# PERIODICA

## DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XL / ~~FASC. I~~
~~15 Martii~~ 1951

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1951

# FASCICULI

# INDEX ANALYTICUS

## I - Dissertationes et quaesita varia


*Pag.*

*Lex orandi lex credendi in recentioribus documentis pontificiis.* H. SCHMIDT S. I. . . . . 5

*Accomodata renovatio legislationis canonicae communis relate ad status perfectionis.* E. BERGH S. I. 29


## II - Monumenta


**SS. D. N. Pius Pp. XII**

1. *Constitutio Apostolica de sacro monialium instituto promovendo* . . . . . 40

**S. C. De Religiosis**

2. *Instructio ad Constitutionem « Sponsa Christi » in praxim deducendam* . . . . . 67

*Annotationes* P. ABELLÁN S. I. . . . . 78

**S. S. C. S. Officii.**

3. *Decretum super clericis nomen dantibus « Rotary club »* . . . . . 111

*Annotationes* F. HURTH S. I. . . . . 111

**Commissio Pontificia de re biblica.**

4. *Instructio de Scriptura Sacra in seminariis et religiosorum collegiis recte docenda* . . . . 121

*Annotationes* F. ASENSIO S. I. . . . . 136

**S. C. Rituum.**

5. *Decretum de solemni vigilia paschali instauranda* 143

*Annotationes* H. SCHMIDT S. I. . . . . 145

**Acta summatim relata.**

*SS. D. N. Pius Pp. XII - C. Consistorialis - C. Pro Ecclesia Orientali - C. De Propaganda Fide - C. Rituum - Romana Rota* . . . . . 150

*Notae Bibliographicae* . . . . . 163

# PERIODICA

## DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XL / FASC. I
15 Martii 1951

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1951

37987

V.40
1951

IMPRIMI POTEST

Romae, die 30 Martii 1951.

P. PAULUS DEZZA S. I.
*Rector Universitatis*

IMPRIMATUR

E Vicariatu Urbis, die 7 Aprilis 1951.

† A. TRAGLIA
*Archiep. Caesarien., Vic. Ger.*

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

# DISSERTATIONES
## ET QUAESITA VARIA

### LEX ORANDI LEX CREDENDI IN RECENTIORIBUS DOCUMENTIS PONTIFICIIS

Pervulgatum adagium *lex orandi lex credendi* [1] solet communiter — verbotenus sub forma *legem credendi lex statuat supplicandi* — adscribi S. Coelestino Papae (422-432); erronee tamen. Haec enim verba continentur in Capitulo VIII *de gratia et libero voluntatis arbitrio* [2], quod opus erat adiectum S. Coelestini epistolae ad episcopos et est incerti auctoris. Haec decem capitula videntur tamen Romae a Prospero Aquitano, discipulo S. Augustini, brevi post S. Coelestinum inter 435 et 442 collecta esse [3] et circa annum 500 ut genuina Sedis Apostolicae doctrina universim agnita [4]. Capitulum VIIIum in re plane concordat cum S. Prosperi

---

[1] Ad bibliographiam de virtute Liturgiae dogmatica colligendam vide: Ph. Oppenheim O. S. B., *Principia theologiae liturgicae*. Torino, Marietti, 1947. p. XIII-XIX, 62-64, 77-82. — Karl Federer, *Liturgie und Glaube; eine theologiegeschichtliche Untersuchung*. Freiburg i. d. Schweiz, Paulusverlag, 1950 (Paradosis, IV).

[2] Textus habetur in: Denzinger 139 — PL 50, 535 — Mansi IV 461-462.

[3] Cfr. M. Cappuyns O. S. B., *L'origine des Capitula pseudo-célestiniens contre le sémipélagianisme*: Revue Bénédictine 41 (1929) 156-170.

[4] Cfr. Petrus Diaconus, *Epistola* (anno 520) c. 8 n. 7: PL 45, 1775. — Brachiarius (saeculo VII), *De ecclesiasticis dogmatibus* c. 22-32: PL 83, 1232-1234. — Gennadius Massiliensis, *De ecclesiae dogmatibus* 30: PL 58, 987D.

*De vocatione omnium gentium* I 12 [5], cum ipsa doctrina iam apud S. AUGUSTINUM inveniatur [6].

Notatu dignum est adagium in Capitulo VIII citatum ab auctore non statui ad modum regulae generalis, sed enuntiari in casu particulari. Conversionem enim peccatorum et infidelium esse opus gratiae, probat auctor ex precibus sacerdotalibus « quae ab apostolis traditae, in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur ».

Relate ad hoc adagium volumus in hoc articulo tractare tantum de recentioribus documentis pontificiis, quae explicite agunt de relatione inter fidem et liturgiam. Primo praebemus conspectum horum documentorum, ad quae in sequentibus reicimus citando eis appositas litteras A B C D E F G.

A. - SIXTUS V *Immensa aeterni Dei* 22 Jan. 1587: Institutio quindecim congregationum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, cum iurisdictionum et facultatum partita concessione, ad faciliorem universae reipublicae christianae statusque ecclesiastici et Romanae Curiae negotiorum et causarum expeditionem: Congregatio quinta pro sacris ritibus et caeremoniis: *Bullarum, diplomatum et privilegiorum sanctorum Romanorum Pontificum Taurinensis editio ... auspicante S. R. E. cardinali* Francisco Gaude. Augustae Taurinorum, Seb. Franco et Henrico Dalmazzo editoribus, 1863. VIII 989.

B. - PIUS IX *Ineffabilis Deus* 8 Dec. 1854: De dogmatica definitione immaculatae conceptionis Virginis Deiparae: Pii X *Pontificis Maximi Acta.* Pars I 598-599.

---

[5] PL 51, 664-665.

[6] Praesertim in *De dono perseverantiae* 23, 63-65: PL 45, 1031-1033. Quoad relationem inter fidem et liturgiam apud Patres vide: Karl FEDERER, o. c.

C. - Pius XI *Quas primas* 11 Dec. 1725: De festo Domini nostri Iesu Christi Regis constituendo: *AAS* 17 (1925) 598.

D. - Pius XI *Divini cultus* 20 Dec. 1928: De liturgia deque cantu gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis: *AAS* 21 (1929) 33-34.

E. - Pius XII *Divino afflante* 30 Sept. 1943: De sacrorum Bibliorum studiis opportune provehendis: *AAS* 35 (1943) 311.

F. - Pius XII *Mediator Dei* 20 Nov. 1947: De sacra Liturgia: *AAS* 39 (1947) 540-541 (al. 44-47).

G. - Pius XII *Munificentissimus Deus* 1 Nov. 1950: Fidei dogma definitur Deiparam Virginem Mariam corpore et anima fuisse ad caelestem gloriam assumptam: *AAS* 42 (1950) 758-760, 769 (al. 16-20, 42).

In quatuor ex hisce documentis adagium citatur sub formulis sequentibus:

*Legem credendi lex statuat supplicandi* (D, F al. 47).
*Legem credendi lex statuit supplicandi* (C).
*Lex credendi legem statuat supplicandi* (F al. 47).
*Lex orandi lex credendi* (F al. 45).
*Lex precandi lex credendi est* (E).

## I. - Virtus adagii « legem credendi lex statuat supplicandi ».

Merito SS. Patres et Doctores catholici ex ritibus et precibus liturgicis saepe hauserunt argumenta ad stabiliendam Ecclesiae fidem adeoque veritatem alicuius doctrinae, et ad impugnandas doctrinas haereticas vel erroneas.

Argumentum autem ex Liturgia desumptum *plena*

*certitudine probat* veritatem alicuius doctrinae fidei, si ex eo — uti requiritur in omni argumento traditionis dogmaticae — constat Ecclesiam moraliter universam aliquo tempore admisisse aut professam esse hanc doctrinam tanquam certo pertinentem ad depositum fidei; impossibile enim est ut Ecclesia universa hac in re erret.

Ex verbis Capituli VIII iam elucet in casu verificari conditionem ad virtutem argumenti ex traditione requisitam. Etiam Summi Pontifices semper hanc conditionem premunt: Pius IX: Doctrinam Immaculatae Conceptionis « ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et Sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicam orbem mirifice propagatam » sacra Liturgia profitetur (B). — Pius XI: « Ex communi sacrorum Librorum doctrina » de Christo Rege sequi profecto oportuit liturgica laudatio Christi Regis (C). — Pius XII: « Sacra Liturgia cum iis doctrinae principiis arctissime coniungitur, quae ab Ecclesia ut certissimae veritatis capita proponuntur » (F al. 44); Liturgia « cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae Supremo Ecclesiae Magisterio subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput » (F al. 47, cfr. G al. 16); « Universali autem ac splendidiore modo haec sacrorum *Pastorum* ac christifidelium fides » de Assumptione B. M. V. « manifestatur » in Liturgia (G al. 16); Universalis fides universae Ecclesiae « ecclesiastico cultu inde ab antiquissimis temporibus comprobata » (G al. 42).

Relationes inter Liturgiam et dogma tales sunt, ut *tantum de Liturgia* Ecclesia approbante dicitur ac dici potest: « legem credendi lex statuat supplicandi »:

*a*) - Testimonia liturgica non sunt semel ab uno prolata vel ab una alterave classe enuntiata, sed ab ipsa

communitate christiana per generationes et generationes repetita.

*b*) - Exprimunt non tantum sensum Ecclesiae discentis sed et docentis, quae composuit vel saltem probavit liturgiam.

*c*) - Ex modo et frequentia attestationis, ex indole ritus in quo exprimitur et ex momento ipsius doctrinae, apparere potest indubie Ecclesiam hanc doctrinam profiteri tanquam ad depositum fidei pertinentem.

*d*) - Ipsa solemnis professio fidei pertinet ad essentiam Liturgiae : ipse usus in Liturgia tribuit Symbolo Apostolico (= Credo in Missa) atque Symbolo Athanasiano auctoritatem absolutam, sicut clarissime patet ex historia Symbolorum. Pius XII : « In sacra Liturgia catholicam fidem expresse atque aperte profitemur ... fidei etiam ' Symbolum ' recitando vel canendo, quod quidem christianorum insigne ac veluti tessera est, itemque tum aliis documentis, tum etiam Sacris perlegendis Litteris, quae Spiritu Sancto afflante conscriptae fuere. Liturgia igitur omnis catholicam fidem continet, quatenus Ecclesiae fidem publice testatur » (F al. 46).

*e*) - Etiam multae homiliae SS. Patrum, documenta pontificia ac alii tractatus theologici Ecclesia ordinante in Liturgiam assumpta sunt, ita ut etiam doctrinaliter ac theologice profiteatur fidem ecclesiasticam, sicut ubique ac in omnibus saeculis vivit.

*f*) - Adagium tamen ad suam plenam virtutem pervenit, quando agitur de doctrina sacrificii, sacramentorum, sacramentalium et cultus christiani. Liturgia enim nihil aliud est ac solemnis celebratio ecclesiastica eorum; quae celebratio revera est fides ecclesiastica in suo actu supremo. Pius XI : Liturgia est « quasi actio sacra praecellenter » (D). — Pius XII : « In sacra Liturgia catholicam fidem expresse atque aperte profitemur ... per mysteriorum celebrationem ac per confectionem Sacrificii Sacramentorumque administrationem » (F al. 46). Ergo,

quando agitur de Sacrificio et de sacramentis, pleno sensu valent verba S. AUGUSTINI in enc. *Mediator Dei* citata: « fide, spe, caritate colendum Deum » (F al. 46) et « in ... fide, spe et caritate continuato desiderio semper oramus » (F al. 47).

Ex modo quo iubet Ecclesia orare, saepius deduci potest cum plena certitudine quid sit credendum: Liturgia probat dogma et lex orandi ostendit legem credendi. Tamen Liturgia non omnia dogmata ostendit. PIUS XII: Liturgia « argumenta ac testimonia suppeditare potest ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput » (F al. 47). Ut fons theologicus Liturgia locum principalem occupat, cum agatur de cultu, sacrificio, sacramentis ac spirituali vita interna Ecclesiae, et in hoc campo etiam habet virtutem apologeticam ac polemicam contra haereticos. PIUS XII: « Quotiescumque de aliqua definienda veritate divinitus data actum est, Summi Pontifices ac Concilia, cum ex ' Fontibus Theologicis ', quos vocant, haurirent, ex sacra etiam hac disciplina haud raro argumenta duxere » (F. al. 47); « Ecclesia ac SS. Patres, cum de aliqua veritate dubia cotnroversaque disceptabatur, a venerandis etiam ritibus ex antiquitate traditis lumen petere non praeteriere » (F al. 47). Sed etiam adsunt dogmata ecclesiastica, quibus Liturgia non est fons theologicus; plerumque tamen hoc in casu agitur de dogmatibus, quae contra mira inventa haereticorum necessaria erant.

Etiam plerumque Liturgia non confitetur fidem ecclesiasticam terminis technicis scientiae theologicae sed modo orationis, evangelii, catecheseos, immo poeseos. SIXTUS V: « Sacri ritus et caeremoniae ... magnam christiani populi eruditionem ... contineant, rerum sacrarum maiestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eas igne inflamment » (A). — PIUS XI: « pulcherrimus nostrorum

et orientalium rituum concentus » (C). — Pius XII: « Splendidiore modo » fides Assumptionis B. M. V. manifestatur in Liturgia (G al. 16); fidem Assumptionis B. M. V. « liturgici libri saepenumero presse breviterque attigerant » (G al. 20). Praesertim quia Liturgia est poetica approbante Ecclesia maxime adhibet sensum spiritualem S. Scripturae. Pius XII: sensum spiritualem S. Scripturae « antiquissimus liturgiae usus declarat, ubicumque rite adhiberi potest notum illud pronuntiatum: Lex precandi lex credendi est » (E).

Ergo mirum non est Ecclesiam, sc. Summos Pontifices, Concilia, SS. Patres et SS. Doctores, semper usos esse et adhuc uti S. Liturgia ut speciali fonte theologico. Raro tamen solebant theologi immediate anteactae aetatis recurrere ad Liturgiam et, si citabant textus liturgicos, non in lucem ponebant specialem virtutem huius argumenti Traditionis, sicut docet nostris diebus Pius XII. Etiam docet historia scholas theologicas catholicas interdum declinasse de via fidei catholicae, cum e contra Liturgia fidelis manebat veritatibus revelatis; exempla habentur quoad fidem Conceptionis Immaculatae ac Assumptionis B. M. V.

Iterum ac iterum Pius XII in enc. *Mediator Dei* adhibet laudatum adagium ad doctrinam catholicam demonstrandam:

In genere confirmat liturgicorum huius aetatis studiorum « salutares fructus in sacrarum disciplinarum campo cernere » licuisse [7].

Praeterea varia capita doctrinae christianae ex ipsa Liturgia demonstrat:

Per studia liturgica « magis in sua luce est positum *christifideles omnes unum arctissimumque efficere cor-*

---

7 AAS 39 (1947) p. 523, al. 4.

*pus,* cuius caput est Christus, christianoque populo officium esse liturgicos aequo modo participare ritus » [8].

*Universus, quem Ecclesia Deo adhibet, cultus esse debet externus,* « quia divina dispositione factum est, ut ' dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur ' » [9], sicut cantatur in Praefatione Nativitatis.

*Praecipuum divini cultus elementum internum esse debet*: « Sacra autem Liturgia postulat ut intime duo eiusmodi (sc. externum et internum) elementa inter se coniungantur; quod ipsamet etiam atque etiam commendare non praetermittit, quotiescumque externum aliquem praecipit religiosi cultus actum. Ita verbi gratia nos adhortatur, cum de ieiunio agitur, ' ut quod observantia nostra profitetur exterius, interius operetur effectu ' » [10], sicut oratur in Secreta feriae V post Dom. II Quadrag.

*Pietas subiectiva necessaria est,* ut Sacramenta et Altaris Sacrificium debitam efficaciam habeant: « Ideo Ecclesia exercitationes omnes, quibus, quadragenarii ieiunii praesertim tempore, animus expiatur noster, significanter presseque vocat ' praesidia militiae christianae ' » [11] in oratione post imposit. cinerum.

*Distinctio inter sacerdotes et laicos*: sacerdotum « tantummodo manus consecratae sunt, ' ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi ' » [12], sicut habetur in manuum unctione ordinationis presbyteri.

*Quadruplex finis sacrificii eucharistici*: *a*) - Gloria caelesti Patri tribuenda: « Utque eiusmodi praeconium numquam intermittatur, in Eucharistico Sacrificio mem-

---

[8] Ibid. p. 523, al. 5.
[9] Ibid. p. 530, al. 23.
[10] Ibid. p. 531, al. 24.
[11] Ibid. p. 533-534, al. 31.
[12] Ibid. p. 539, al. 42.

bra cum divino suo Capite copulantur, et cum ipso unaque cum Angelis atque Archangelis immortales Deo laudes concinunt, Patri Omnipotenti deferentes omnem honorem ac gloriam »[13], sicut habetur in Praefatione ac Canone Missae. — *b*) - Gratiae Deo debitae adhibendae: gratiarum actionem Christus « non intermittit in augusto arae Sacrificio, quod gratiarum actionem, seu eucharisticam actionem, significat; quandoquidem hoc ' vere dignum et iustum est, aequum et salutare ' »[14], sicut cantatur in Praefatione. — *c*) - Expiatio, placatio reconciliatioque: « in altaribus cotidie sese offert pro redemptione nostra, ut ab aeterna damnatione erepti in electorum gregem adsciscamur. Idque non pro nobis tantum, qui mortali hac vita fruimur, sed etiam ' pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis ' »[15], sicut habetur in Canone Missae. — *d*) - Impetratio: Christus « sacris in aris efficaci eadem ratione noster apud Deum sequester est, ut omni benedictione et gratia repleamur »[16], sicut habetur in Canone Missae.

*Sacrificio Eucharistico opus Redemptionis exercetur*: « Augustum autem altaris Sacrificium eximium est veluti instrumentum, quo promerita e divini Redemptoris Cruce orta credentibus distribuuntur: ' quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae Redemptionis exercetur ' »[17], sicut oratur in Secreta Dom. IX post Pentec.

*In oblatione Sacrificii Eucharistici vera aliqua ratione fideles offerunt*: « Eucharistici quoque Sacrificii ritus ac preces haud minus clare significant atque ostendunt victimae oblationem una cum populo a sacerdotibus

---

13 Ibid. p. 549, al. 70.
14 Ibid. p. 549, al. 71.
15 Ibid. p. 549-550, al. 72.
16 Ibid. p. 550, al. 73.
17 Ibid. p. 551, al. 78.

fieri »[18]. « Quotiescumque enim sacerdos id renovat, quod divinus Redemptor in novissima caena peregit, reapse Sacrificium consummatur: quod quidem Sacrificium, semper et ubique, itemque necessario ac suapte natura, publico et sociali munere fruitur; quandoquidem is, qui illud immolat, et Christi et christifidelium, cuius Divinus Redemptor est Caput, nomine agit, atque illud Deo offert pro Ecclesia Sancta Catholica, ac pro vivis et defunctis »[19], sicut habetur in Canone Missae. « Magno autem cum animi gaudio certiores facti sumus eiusmodi doctrinam, postremis hisce praesertim temporibus, ob impensius multorum liturgicae disciplinae studium, in sua luce fuisse collocatam »[20].

*In oblatione Sacrificii Eucharistici fideles debent semetipsos cum Christo offerre*: « Cum christifideles liturgicae actioni tam pia intentaque mente coniunguntur, ut de iisdem reapse dici queat: ' quorum tibi fides cognita est et nota devotio '[21], facere non possunt quin sua cuiusque fides alacrius per caritatem operetur, pietas vigeat atque flammescat, ac singuli universi divinae procurandae gloriae se consecrent, vehementerque cupientes Iesu Christo, acerrimos perpesso dolores, sese arctissime assimulare, cum ipso Summo Sacerdote et per ipsum se quasi spiritualem hostiam offerant »[22]. « Omnia igitur liturgiae elementa eo contendunt, ut animus noster Divini Redemptoris imaginem per Crucis mysterium in se referat »[23].

*Frequens sacra Communio*: « Quandoquidem enim,

---

[18] Ibid. p. 554, al. 86, ubi referuntur plura argumenta ex ipsa Liturgia.

[19] Ibid. p. 557, al. 95.

[20] Ibid. p. 556, al. 93.

[21] Canon Missae.

[22] AAS 39 (1947) p. 558, al. 98; alia argumenta ex S. Liturgia habentur p. 558-559, al. 99-100.

[23] Ibid. p. 559, al. 101; vide etiam p. 568, al. 125.

per Angelorum panis convivium, Sacrificii, ut supra diximus, ' sacramentali ' etiam Communione participes fieri possumus, idcirco Ecclesia Mater, ut efficaciore ratione ' Redemptionis fructum in nobis iugiter sentiamus ' [24], filiis suis singulis universis Christi Domini invitationem iterat: ' Accipite et manducate ... Hoc facite in meam commemorationem ' » [25].

*Communicet populus post communionem sacerdotis*: Fideles « debent, quidquid sacra Liturgia suadeat, non facile spernere, ac quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat » [26].

*Commendatur gratiarum actio post S. Communionem, etiam post Missam finitam*: « Sacra Eucharistici Sacrificii Liturgia ad hoc nos adhortatur, cum nos hisce verbis precari iubet: ' Da, quaesumus, ut in gratiarum semper actione maneamus, ... et a tua numquam laude cessemus ' » [27], sicut oratur in Postcomm. Dom. I post Pentec.

*Cultus adorationis debetur SS. Eucharistiae*: « Nihil est mirum, si Ecclesia, inde ab originibus, Christi corpus sub panis specie adoraverit, ut ex ipsis patet augusti Sacrificii ritibus, quibus sacrorum administris praecipitur ut, positis genibus, vel graviter inclinato capite, Sacramentum sanctissimum adorent » [28]. « Sacrarum specierum conservatio pro infirmis, pro iisque omnibus, qui in mortis discrimen venissent, laudabilem induxit morem adorandi caelestem hanc dapem, quae in templis reponitur » [29]. Templa « sint eadem domus Dei, in quam qui beneficia

---

24 Coll. Festi Corp. Christi.
25 I Cor. XI, 24; AAS 39 (1947) p. 564, al. 117.
26 AAS 39 (1947) p. 566, al. 120.
27 Ibid. p. 566-567, al. 122.
28 Ibid. p. 569, al. 127.
29 Ibid. p. 569, al. 129.

petituri ingrediuntur, cuncta se impetrasse laetentur [30], ac consolationem caelestem consequantur » [31].

*Mysteria Christi commemorantur ut vivamus vitam Christi*: « Dum sacra Liturgia Iesu Christi mysteria in memoriam revocat, contendit ut credentes omnes ita eadem participent, ut divinum Mystici Corporis Caput in singulis membris perfectissima sanctitate sua vivat » [32]. « Sacra Liturgia totum nobis Christum proponit in omnibus suae vitae condicionibus ... » [33].

*Sancti commemorandi sunt*: « Omnia sanctitudinis decora sacra Liturgia nostros ante oculos ponit, ut eadem salutariter intueamur, et ut ' quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis ' » [34], sicut oratur in Coll. IIIae Missae pro plur. Martyr. extra T. P. « At aliud praeterea est, cur sanctis caelitibus a christiano populo habeatur cultus, ut scilicet eorum imploretur auxilium, et ' quorum delectamur praeconiis, sublevemur eorum patrociniis ' [35]. Inde facile eruitur, cur sacra Liturgia plurimas precum formulas nobis praebeat, quibus sanctorum caelitum patrocinium invocetur » [36]. « Liturgicum hoc iter, quod denuo singulis annis nobis patet » [37].

*Liturgica studia adolescenti clero necessaria sunt* « non modo culturae causa, non ea solummodo ratione, ut debito ordine, decore dignitateque sacrorum alumnus religionis ritus peragere aliquando valeat, sed ea praesertim, ut arctissima cum Christo sacerdote coniunctione devinctus educetur, ac sanctus fiat sanctitatis administer » [38].

---

30 Coll. in Missa Ded. Eccl.

31 AAS 39 (1947) p. 571, al. 134.

32 Ibid. p. 577, al. 150; vide etiam p. 577-579, al. 151-158.

33 Ibid. p. 579, al. 161.

34 Ibid. p. 581, al. 165.

35 S. Bern., *Sermo II in festo omnium Sanct.*

36 AAS 39 (1947) p. 582, al. 166; de cultu B. M. V. vide p. 582-583, al. 167.

37 Ibid. p. 583, al. 168.

38 Ibid. p. 591-592, al. 196. — Ex 188 notis enc. *Mediator Dei*

## II. Abusus adagii « legem credendi lex statuat supplicandi ».

Virtus omnis adagii in eo est, quod enuntiatio veritatis per se evidentis convertitur in eius oppositam enuntiationem, quae prima specie veritati contraria videtur sed eo fine adhibetur, ut excellentia alicuius rei extollatur. Ea de causa semper possibile est immo et evenit, auctores adagio abuti vel eius vim exaggerare.

Enc. *Mediator Dei* explicite agit de quadam erronea ac falsa applicatione adagii, quae cum Modernismo cohaeret: « Quam ad rem aliquid in recta luce ponendum esse ducimus, quod vobis, Venerabiles Fratres, non ignotum esse putamus; eorum scilicet errorem atque fallaciam, qui sibi sumpsere sacram Liturgiam quasi quoddam experimentum existere veritatum ex fide retinendarum; quatenus nempe, si certa quaedam id genus doctrina per sacros Liturgiae ritus pietatis ac sanctimoniae fructus dederit, eam ab Ecclesia comprobandam esse, si vero secus, reprobandam. Unde effatum illud: 'Lex orandi, lex credendi' » (F al. 45). « Sacra igitur Liturgia catholicam fidem absolute suaque vi non designat neque constituit » (F al. 47).

Hunc errorem cohaerere cum Modernismo demonstrari potest v. g. ex sententia G. Tyrrell, qui modo modernistico laudatum effatum elaborabat [39] et ex doctrina

---

27 notae continent textus S. Liturgiae, scil.: 23 ex *Missali Romano*: 7 ex Canone Missae (64, 68, 87, 88, 91, 101, 112), 3 ex Praefatione (63, 66, 175), 1 ex Praefatione Nativitatis (26), 1 ex « Orate Fratres » (86), 10 ex Orationibus (105, 130, 153, 155, 28, 76, 120, 114, 115, 31), 1 ex Sequentia Lauda Sion in festo SSmi Corporis Christi (131); 3 *ex Pontificali Romano* (43, 92, 93); 1 ex *Breviario* sc. ex Salve Regina (158).

39 G. Tyrrell, *Lex orandi or prayer and creed.* London, Longmans Green and Co., 1903. — G. Tyrrell, *Through Scylla and Charybdis or the old Theology and the new.* London 1907. In

Pii X, quando exponit, quid Modernismus de dogmate docet [40]. Breviter: cum affectus religiosus maxime exercetur pietate et religione, oratio et cultus secundum modernistas prae ceteris conducunt ad statuenda evolvendaque fidei dogmata: et ita lex orandi est lex credendi seu, ut intelligunt, *producit* legem credendi.

Quamvis Modernismus iure meritoque theologiam rationalisticam impugnaret, ipse etiam exaggeravit infirmanda Ecclesiae potestate Magisterii. Optimo modo in enc. *Munificentissimus Deus* (G al. 41) origo et professio fidei in Ecclesia definitur:

*Auctor* fidei est Spiritus Veritatis.

*Confessor, Protector et Defensor* fidei est Ecclesia sub directione Spiritus Sancti.

*Instrumentum* incolumitatis fidei in Ecclesia est infallibilis potestas Magisterii, qua gaudent Summus Pontifex et Episcopi subditi.

*Manifestatio* fidei in Ecclesia habetur in S. Scriptura, in universali vita christianorum, in cultu divino, in scientia et sapientia Patrum ac theologorum. Cum autem veritas revelata ab una parte semper in S. Scriptura contineatur et ab altera parte non per se in *omnibus* aliis actibus vitalibus Ecclesiae manifestetur, modo generali dicitur fides manifestari simul in S. Scriptura et in Traditione: sic loquendo peculiare munus S. Scripturae eminet, necessaria connexio inter S. Scripturam et Traditionem enuntiatur, et in medio relinquitur, quibus manifestationibus determinata veritas revelata in Traditione eluceat. Etiam in enc. *Munificentissimus Deus* (G al. 41) uniuscuiusque manifestationis munus speciale indicatur: veritas revelata S. Scripturae *innititur*, fidelium animis

---

hoc libro assumpsit dissertationem, quam anno 1907 sub titulo *Lex orandi — lex credendi* publicavit in periodico The Month.

[40] Pius X *Pascendi dominici gregis* 8 Sept. 1907: Pii X *Pontificis Maximi Acta* IV 68.

est *insita*, cultu divino *comprobata*, ceteris revelatis veritatibus *consona*, scientia ac sapientia Patrum theologorumque *explicata et declarata*.

Ergo Liturgia non creat fidem catholicam; hoc etiam non faciunt S. Scriptura, universalis vita christianorum ac scientia theologica. Praeterea S. Liturgia est tantum una ex manifestationibus fidei et nunquam sola probat fidem, primo quia quod attinet ad doctrinam potestas Magisterii supremam auctoritatem habet et non potestas Ordinis, quae relate ad fidem totaliter a Magisterio dependet, et deinde quia Ecclesia suam fidem necessario vivit in omnibus organis suis et non exclusive in cultu divino. Ergo etiam hic desideratur « concors aequilibritas in mystico Iesu Christi Corpore »[41]. Unusquisque affirmare debet in elaboratione ecclesiastica « definitionis » dogmatis potiores partes, salva luce Spiritus Sancti, debere scientiae theologicae, quia ex professo explicat ac declarat. Ea de causa apte S. Scriptura et Traditio dicuntur « fontes theologici » (F al. 47); ex his enim fluit vita fidei ecclesiastica usque in aetatem nostram, ita ut hodierna scientia theologica suo munere explicandi, declarandi ac evolvendi iuste recteque fungi possit sub ductu semper eiusdem Magisterii ecclesiastici. Pius XII hanc virtutem Traditionis claris verbis demonstrat: « Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina ' traditione ', ' sive explicite, sive implicite inveniantur '[42]. Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur. Quapropter sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuve-

---

41 Pius XII *Mediator Dei* 20 Nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 536, al. 34.

42 Pius IX *Inter gravissimas* 28 Oct. 1870: *Acta* I 260.

nescunt; dum contra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit. Sed hac de causa theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiae dumtaxat historicae aequari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio »[43].

Saepius contra adagium « legem credendi lex statuat supplicandi » — quando eius vis exaggeratur — haec obiectio movetur: Si Liturgia fidem catholicam crearet, *quaelibet* assertio in ipsa prolata esset per se stricto sensu scientifico vera ac fide catholica admittenda. Atqui Liturgia non tantum multa continet, quae fidem subobscure manifestant vel quae cum fide non cohaerent, sed etiam errores profitetur. Ergo Liturgia non creat fidem.

Quae argumentatio tamen idonea non est: etiamsi Liturgia fidem crearet, non sequeretur, ut *quaelibet* eius assertio esset de fide catholica; non enim requiretur per se Liturgiam in *quolibet* suo actu exercere munus fidem creandi.

Interdum nonnulli conantur adagium, etiamsi legitime sine exaggeratione adhibetur, enervare proferendo lectiones historicas, obiecta festorum vel indiligentias, quae factis veritatique repugnant. Quid dicendum de erroribus ac fallaciis in Liturgia?

Constat Liturgiam in suis formulis ac dissertationibus non illam diligentiam observare, quae scientiae theo-

---

[43] Pius XII *Humani generis* 12 Aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 568-569, al. 21.

logicae necessaria est. Ratio est, quia Liturgia in suis doctrinis non immediate scientiam exactam sed devotionem ac reverentiam respicit. Ea de causa non tantum de definitione exacta sollicita est sed etiam de affectu ac pulchritudine. Ergo adhibet varia genera litteraria, sicut v. g. formam poeticam, « legendam ». Tamen quod attinet ad ipsam fidem non potest dici Liturgiam continere errores. Relate ad veritates historicas indiligentia certo notari potest secundum hodierna principia historica. V. g. quando Liturgia praebet vitam Sancti alicuius, in antiquitate magis attendebat magnificentiam sanctitudinis quam fidelem relationem eventuum historicorum. Etiam « legenda » est optimum genus litterarium et magis v. g. placent ac ad devotionem excitant lectiones historicae S. Caeciliae, etiamsi fortasse multa contineant quae secundum modernam mentalitatem historicam non sunt vera, quam plures aridae lectiones historicae modernae, quae accuratissime referunt annos, menses, dies, civitates, nomina, eventus. Si autem revera habeantur fallaciae, removendae sunt; tamen hodie, post acrem crisin historicam aliquot decenniorum praeteritorum, docti confiteri debent plura principia moderni methodi historici esse nimis a priori, ita ut plures sic dictae « legendae » magis appropinquent fideli relationi eventuum quam scientia moderna putaret. Semper ante oculos habendum est Liturgiam non intendere educationem fidelium in scientia historica.

Manifestatio tamen fidei catholicae in Liturgia eo fidelior ac certior est, quo formula liturgica est antiquior, universalior, sollemnior ac magis essentialiter cum ipso centro cultus connexa. Quoad hanc rem definivit Conc. Trid.: « Si quis dixerit Canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit »[44]. Etiamsi Liturgia saepius apta non sit ad argumentum stricte scientificum componendum, nemo dicat Liturgiam errores

---

[44] Sessio XXII, can. 6: DENZINGER 953.

contra fidem continere. S. Augustinus iam notabat, cum in Ecclesia imperfectiones observaret: « Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit »[45].

### III. « Lex credendi legem statuat supplicandi »

Ecce enuntiatio veritatis per se evidentis, quae in adagio conversa est. Saepius in documentis de hac enuntiatione quaestio est, etiamsi rarius quoad formulam. Sixtus V: Liturgia « verae fidei protestationem » continet (A). — Pius XI: Per Liturgiam « fidem nostram testamur » (D). — Pius XII: Liturgia « catholicae fidei praeceptis conformanda est, quae supremi Magisterii auctoritas edidit ad divinitus patefactae religionis integritatem tutandam » (F al. 44); Liturgia « catholicae fidei continuata professio est ... In sacra Liturgia catholicam fidem expresse atque aperte profitemur ... Liturgia igitur omnis catholicam fidem continet, quatenus Ecclesiae fidem publice testatur » (F al. 46); Liturgia « cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae Supremo Ecclesiae Magisterio subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput. Quodsi volumus eas, quae inter fidem sacramque Liturgiam intercedunt, rationes absolute generalique modo internoscere ac determinare, iure meritoque dici potest: Lex credendi legem statuat supplicandi » (F al. 47; cfr. G al. 16); « Quandoquidem vero Ecclesiae Liturgia catholicam non gignit fidem, sed eam potius consequitur, ex eaque, ut ex arbore fructus, sacri cultus ritus proferuntur, idcirco

---

[45] S. Augustinus, *Epist.* 55 *ad inquisitiones Januarii*, n. 55: PL 33, 221-222.

Sancti Patres magnique Doctores in homiliis orationibusque, quas hoc festo die ad populum habuere, non hinc veluti ex primo fonte, eiusmodi doctrinam hauserunt, sed de ea potius, utpote christifidelibus iam nota atque accepta, locuti sunt » (G al. 20).

Propter errores atque fallacias praesertim sub influxu Modernismi in adagium adhibendum irreptas, necesse erat Summum Pontificem in enc. *Mediator Dei* explicite loqui de fundamentali relatione dogmatis ad Liturgiam.

Legem supplicandi lege credendi statui, ostenditur ex eo quod:

*a*) - Liturgia innititur fidei; est enim « fides religionis causa et principium »[46]. Importat moralem agnitionem excellentiae Dei et nostrae erga ipsum submissionis: necessario ergo praesupponit Dei nostrarumque ad ipsum relationum cognitionem intellectualem per fidem.

*b*) - Una ex causis progressus ac incrementi S. Liturgiae est profundior intelligentia mysteriorum fidei: « Cum catholica doctrina de Incarnato Dei Verbo, de Eucharistiae Sacramento et Sacrificio, ac de Deipara Virgine Maria certius ac luculentius decerneretur, novae inductae sunt rituum formae, quibus lucem illam, quae splendidius ex Ecclesiastici Magisterii declarationibus affulserat, liturgicae actiones satius aptiusque referebant ac quodammodo reverberabant, ut facilius christiani populi mentes animosque attingere posset »[47].

*c*) - Liturgiam catholicam erroribus suis accommodare solent haeretici et novatores, ut historice constat, inde a Gnosticis et Arianis usque ad Protestantes, Gallicanos et Veteres Catholicos.

---

46 S. Thomas, *In Boëtium de Trinitate* q. III art. 2.

47 Pius XII *Mediator Dei* 20 Nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 542, al. 51.

Bene notandum est, in enc. *Mediator Dei* fidem Ecclesiae vel « legem credendi » non opponi Liturgiae vel « legi orandi », perinde ac si cultus christianus errores ac deviationes contineret: sicut enc. *Humani Generis* opponitur erroribus nonnullorum theologorum catholicorum, sic enc. *Mediator Dei* opponitur erroribus nonnullorum liturgistarum. Hisce temporibus specialis moderatio Summi Pontificis erat necessaria: « Multa cum sollicitudine, non timoris vacua, animadvertimus nonnullos novitatis nimio studiosiores esse, atque ex rectae doctrinae ac prudentiae via transversos aberrare. Siquidem iis consiliis ac votis, quae suscipiunt, de sacra renovanda Liturgia, principia saepenumero interserunt, quae vel ratione vel re ipsa causam hanc sanctissimam in discrimen adducunt, ac non numquam etiam talibus erroribus inficiunt, qui catholicam fidem atque asceseos doctrinam attingunt » [48]. « Fidei autem ac morum integritas peculiaris esse debet norma sacrae huius disciplinae, quae sapientissimis Ecclesiae eloquiis consona sit omnimodis oportet » [49].

In specie pluribus sententiis nostro tempore a nonnullis liturgistis propagatis enc. *Mediator Dei* opponit germanam doctrinam Ecclesiae:

*Quamquam Liturgia vitalis est, tamen doctrinae integritas sarta tectaque servatur*: « Ecclesia procul dubio vivens membrorum compages est, atque adeo in iis etiam rebus, quae ad sacram respiciunt Liturgiam, succrescit, explicatur atque evolvitur, et ad necessitates rerumque adiuncta, quae temporum decursu habeantur, sese accommodat atque conformat, sarta tamen tectaque servata suae doctrinae integritate » [50].

*Reprobatur insana quaedam antiquitatis cupiditas in « lege credendi »*: « E catholicis cordatus nemo, eo consilio ductus ut ad veteres revertat formulas, a prioribus

[48] Ibid. p. 524, al 8.
[49] Ibid. p. 524, al. 9.
[50] Ibid. p. 544, al. 58.

Conciliis adhibitas, illas respuere potest de christiana doctrina sententias, quas Ecclesia, adspirante moderanteque divino Spiritu, recentiore aetate, ubere cum fructu, composuit retinendasque decrevit » [51].

*Recentes errores de sacerdotio fidelium* contradicunt veritatibus de gradu, quo sacerdos in Mystico Iesu Christi Corpore pollet [52].

*Quoad oblationem fidelium in Missa* « veritatis superlationes traiectionesque, quae cum germanis Ecclesiae praeceptis non concordent, vehementer deploremus » [53].

Aliis in locis enc. legitur: « Ex veritatis igitur itinere ii aberrant, qui ... » [54]. « A germana ac sincera Liturgiae ratione ii aberrant nostrorum temporum scriptores, qui ... » [55]. « Attamen falsa eiusmodi commenta sanae omnino obstant doctrinae, a maioribus traditae » [56]. « Mysteria, non incerto ac subobscuro eo modo, quo recentiores quidam scriptores effutiunt, sed quo modo catholica doctrina nos docet, praesentia continenter adsunt atque operantur » [57].

Tandem aliquando in fine enc. habetur admonitio in genere de falso mysticismo, de noxio quietismo, de periculoso humanismo, de insano archeologismo et de falsis commentis theologicis [58].

## IV. Conclusio

Exercitium Magisterii ecclesiastici est actio vitalis Ecclesiae, ergo pervadit totam eius vitam et attingit in supremis eius actibus vitalibus culmen summum. Quia in

---

51 Ibid. p. 546, al. 62.
52 Ibid. p. 553-554, al. 83.
53 Ibid. p. 556, al. 93.
54 Ibid. p. 563, al. 113.
55 Ibid. p. 579, al. 160.
56 Ibid. p. 579, al. 161.
57 Ibid. p. 580, al. 163.
58 Ibid. p. 593, al. 201.

Liturgia Ecclesia exercet suam supremam vitalitatem, etiam fides pervenit in ipsa ad suum supremum exercitium. Magisterium enim ecclesiasticum non docet propter incrementum scientiae humanae et salutarem evolutionem mundanam sed docendo semper gloriosius manifestat et laudat immensas divitias ipsius deitatis eiusque operis mirabilis. Ea de causa exercitium Magisterii ecclesiastici culmen summum non attingit in splendida sessione academica vel in magnifico documento mere scientifico, non solemnitates suas celebrat in aula Universitatis, sed in Aula Dei, quae est templum, ubi scientia fit sapientia, cultura humana cultus divinus, thesis academica oratio. Quamvis Magisterium et Sacerdotium realiter inter se distinguantur, tamen separari non possunt [59]. Habetur enim intima relatio inter virtutem religionis et virtutem fidei ita ut confessio religionis, h. e. oratio, considerari debeat ut confessio fidei. Praeterea habentur relationes inter sacramentum et fidem: fides recipientis partes agit in effectu sacramenti; sacramentum est signum, in quo Ecclesia fidem suam exprimit et confitetur; sacramentum est obiectum fidei Ecclesiae, ubi praecise centrum vitae sacramentalis ac liturgicae, h. e. SS. Eucharistia, est comprehensio totius fidei christianae [60].

Conclusio nostra dividi potest in duabus partibus:

a) Magisterium ordinarium gradu supremo exercetur in S. Liturgia, ita ut Ecclesia approbante tantum

---

[59] Quoad potestatem Ordonis vide: Bernardus Durst O. S. B., *De characteribus sacramentalibus*: Xenia Thomistica 2 (1925) 541-581. — Quoad relationem inter Liturgiam et potestatem iurisdictionis vide: Heinrich Keller S. J., *Liturgie und Kirchenrecht. Zur Klärung und Vertiefung des Begriffes Liturgie*: Scholastik 17 (1942) 342-384.

[60] Cfr. K. Federer, *Liturgie und Glaube; eine theologiegeschichtliche Untersuchung*. Freiburg i. d. Schweiz, Paulusverlag, 1950 (Paradosis, IV). p. 123-128. Quamvis hanc dissertationem laudemus, tamen nobis videtur auctor aliquomodo opponere fidem Ecclesiae universalis et doctrinam Ecclesiae docentis (cfr. p. 126-127).

de Liturgia dici licet: « legem credendi lex statuit supplicandi ».

b) Immo Magisterii extraordinarii exercitium supremum est actus liturgicus. Hoc efficaciter perpulchreque probatur ex sollemni definitione Assumptionis Beatae Mariae Virginis. Praeparationes definitionis principaliter pertinebant ad scientiam theologicam. Tamen ipsa definitionis pronuntiatio est actus cultualis et quidem pars celebrationis Sacrificii Missae. Clarissimis verbis indicatur finis cultualis definitionis dogmaticae: definitio enim fit « ad Omnipotentis Dei gloriam », « ad sui Filii honorem », « ad eiusdem augustae Matris augendam gloriam et ad totius Ecclesiae gaudium exsultationemque » [61].

Ipsa celebratio definitionis est actus liturgicus: cantantur Litaniae, invocatur Veritatis Spiritus lumen cantandis *Veni Creator* cum oratione, Summus *Pontifex* sedens pronuntiat definitionem dogmaticam, voce subdiaconi Ecclesia gratias agit, cantatur hymnus *Te Deum* cum oratione, habetur homilia ac oratio communis, et statim sequitur Missa secundum novam formulam compositam [62]. Ergo sicut omnes supremae functiones Ecclesiae inter Missarum Sollemnia persolvuntur, sic etiam definitio dogmatica, quae est supremum Magisterii extraordinarii exercitium [63].

---

61 Pius XII *Munificentissimus Deus* 1 Nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 770, al. 44.

62 AAS 42 (1950) 778-782.

63 In se secundum structuram liturgicam pulchrior aptiorque fuisset unitas celebrationis, si statim post ritum definitionis in ipsa platea S. Petri, toto populo adstante, celebratum esset Sacrificium Missae, « christianae religionis caput ac veluti centrum » (Pius XII *Mediator Dei* 20 Nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 547, al. 65), et ritus definitionis in parte doctrinali ipsius Missae intextus esset, ita ut cantato fidei « Symbolo », « quod quidem christianorum insigne ac veluti tessera est » (Ibid. p. 540, al. 46), statim secuta esset pars sacrificalis Missae.

Revera S. Liturgia est sollemnissima professio fidei ac principalis catechesis populi christiani. Quamvis omnino non impugnemus legitimam ac necessariam existentiam catecheseos didacticae, quam ab ipsa catechesi « activa et cultuali » distinguimus [64], tamen nobis videtur hisce temporibus in educatione iuventutis ac fidelium virtutem liturgicae catecheseos negligi, cuius v. g. praeclarum exemplum habemus in catechesibus mystagogicis S. Cyrilli Hierosolymitani. Audiatur Magisterium ecclesiasticum: « Etenim in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitae gaudia evehendo longe plus habent efficacitatis annuae sacrorum mysteriorum celebritates quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta; siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur; haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum sollemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulcritudinemque rituum copiosius imbibat, et , in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat » [65].

Herman A. P. Schmidt S. J.

---

[64] Cfr. H. Schmidt S. J., *Liturgie et langue vulgaire. Le problème de la langue liturgique chez les premiers Réformateurs et au Concile de Trente*. Romae, apud aedes Universitatis Gregorianae, 1950 (Analecta Gregoriana, vol. LIII). p. 158-168, 171-172, 176-178, 181-182, 190, 193, 197.

[65] Pius XI *Quas primas* 11 Dec. 1925: AAS 17 (1925) 603.

# ACCOMODATA RENOVATIO LEGISLATIONIS CANONICAE COMMUNIS RELATE AD STATUS PERFECTIONIS

N. B. - In Congressu internationali a S. Congregatione de Religionis Romae indicto 26 nov.-8 dec. 1950, cuius argumentum generale erat « Statuum perfectionis praesentibus temporibus atque adiunctis accommodata renovatio », data est oralis « communicatio », cuius textus infra legitur.

Quamvis in futura collectione Actorum huius Congressus editura sit, cum plurimis aliis, iam visum est nobis opportunum ipsam publici iuris facere, cum agat de puncto quod propter indolem suam stricte iuridicam lectoribus huius commentarii magis aptatur. Data natura « communicationis oralis », quae in viginti momentis absolvi debebat, nec totum argumentum propositum est, nec cum indicationibus omnium fontium. Pariter vota quae in fine exprimuntur imprimis respondent scopo particulari Congressus.

Ante omnia occurrit animadversio facienda circa usum, in numero plurali expressionis: « Status perfectionis ». Haec expressio, ignota in iure Codicis, a momento promulgationis Constitutionis *Provida Mater* frequenter adhibetur. Sane sub aspectu theologico morali, datur unicus status perfectionis acquirendae, constitutus per stabilem professionem consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et obedientiae. Sub aspectu vero iuridico tres gradus distingui possunt: religiones, societates viventium in communi sine votis publicis, instituta saecularia.

Nobis agendum est in hac communicatione de legislatione canonica communi quae regit hos status.

Quoad religiones et Societates in communi viventium invenitur haec legislatio in P. II L. II Codicis. Notemus Commissionem Interpretationis dedisse iam 38 responsa quoad hanc partem Codicis ita ut de progressu iuridico

loquendum sit. Addenda sunt varia responsa ab ipsa Congregatione data, necnon Instructiones et Decreta, quorum unum saltem novam legem partialem condidit, extendens scil. c. 510 de relatione quinquennali ad Congregationes dioecesanas.

Institutorum saecularium ius commune conditum est in Lege peculiari Constitutionis *Provida Mater,* die 2 febr. 1947, additis Motu Proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948 et Instructione S. Congregationis, *Cum Sanctissimus,* 19 martii 1948.

Si referantur ad invicem leges communes de statibus perfectionis, haec notanda sunt:

— Ius commune Religionum fructus est longissimae evolutionis. Est vere completum in diversis suis titulis et capitibus.

— Ius Societatum viventium in communi in plerisque aequiparatur Religionum iuri, congrua tamen congruis referendo.

— Ius Institutorum saecularium, e Constitutione *Provida Mater* nec debet nec potest, nisi exceptionaliter sequi ius religiosum. E primis tamen lineamentis iurisprudentiae quoad haec Instituta, videtur ius Religionum adhibitum tamquam optimas normas in plerisque praebens pro his ipsis Institutis.

Hucusque nullus textus legislativus conditus est vere genericus pro triplici statu perfectionis.

His dictis de fontibus et de relationibus ad invicem legislationis communis de triplici statu, abhinc unice considerabimus jus Religionum cum appareat prototypus et sit magis evolutum.

I. Primo quidem, in eo aspectus generales notandi videntur: unificatio scil. et ordo, claritas, certitudo, ita ut ipsa legislatio Codicis de Religiosis dici possit accommodata renovatio iuris praecedentis.

Unificatio vere necessaria erat. Sufficiat recolere vi-

cissitudines, per plura saecula, Istitutorum cum votis simplicibus quibus denegabatur titulus Religionum proprie dictarum. Sane jam multum contulerant ad unificationem Constitutio *Conditae a Christo* Leoni XIII et Normae datae die 28 Junii 1901 a S. C. Episcoporum et Regularium quoad Congregationes votorum simplicium. Hae Normae referentes jurisprudentiam imprimis saeculi praecedentis, in specie opus Card. Bizzarri, edebant schema integrum constitutionum. Unificatio tamen perfecta est per ipsum Codicem, ut apparet e sensu generico verborum, prout sunt religio, religiosus, professio.

Notemus post promulgationem Codicis visum esse inutile dare in Normis editis die 6 Martii 1921 schema constitutionum: canones hoc praebebant. Jamvero per jurisprudentiam actualem Commissionis approbationis Constitutionum in hac Sacra Congregatione factus est typus in quibusdam novus, cujus publicatio non careret utilitate.

Codificatio et unificatio dederunt juri de Religiosis notas ordinis, claritatis, certitudinis. Sane hoc dici posset de diversis partibus Codicis. In materia tamen nostra perfectio major videtur procurata: praesentia multorum religiosorum in coetu pro codificatione, arcta collaboratio inter Commissionem redactionis Codicis et S. C. de Religiosis explicant illam majorem perfectionem. Superfluum videtur hic immorari in ostendendo ordine logico variorum titulorum hujus partis Codicis, in declaranda opportunitate textuum novorum comparatione facta cum veteribus.

* * *

II. Accedamus potius ad quaedam particularia unde typus « Religionis » in jure communi apparebit:

1. ad ostendendum locum vitae religiosae in Ecclesia hierarchica, ad majorem firmitatem ipsius, expediebat clare determinare relationes religiosorum in specie

cum Ordinariis locorum. Affirmata subordinatione perfecta relate ad Romanum Pontificem in c. 499, statim agit c. 500 de relationibus cum Ordinariis. Ex his principiis ad majorem claritatem deductis in c. 615 sqq., et applicatis in variis canonibus deducitur: religiones dioecesanas, quamvis sint plane subjectae Ordinariorum jurisdictioni, regi tamen debere ab ipsis secundum normas juris communis; in religionibus juris pontificii laicalibus, per visitationem Ordinariorum, inquisitionem fieri posse et debere de observantia; in ipsis religionibus exemptis Ordinarios plura posse quae Codice determinantur.

2. Notandus est favor praestitus religionibus clericalibus omnibus etiam non exemptis. Erga membra sua, clericos scil., vice dioeceseos funguntur quoad incardinationem (c. 111, 115, 585), quoad titulum ordinationis: mensae communis, Congregationis, alia similia (c. 982). Recolamus etiam c. 514 de administratione ultimorum sacramentorum. Immo post Codicem, jurisprudentia introduxit veram derogationem cc. 964, n. 4 et 678, concedendo communiter superioribus clericalibus non exemptis, etiam in Societatibus sine votis, facultatem dandi litteras dimissóriales ad Ordines Sacros.

3. Inter notas particulares juris hodierni religiosorum, saepe indicatur distinctio aperte proposita in Codice, praesertim in c. 530 quoad relationes inter superiores et subditos in foro externo et interno. Historice loquendo, indubium est Abbatem vel Superiorem fuisse ante omnia patrem spiritualem. Saec. XIII apud S. Bonaventuram inveniri potest justificatum et quasi praenuntiatum, quod post S. Ignatium saec. XVI commune factum est in recentioribus institutis, scil. de obligatione reddendi superioribus rationem conscientiae [1]. Propter

---

[1] F. N. Korth, S. J., *The evolution of « Manifestation of conscience » in Religious Rules, III-XVI Centuries*, Dissertatio in fac. can. Pont. Univ. Greg., Rome, 1949, p. 93.

gravissima incommoda in religionibus laicalibus, decretum *Quemadmodum* 17 dec. 1890 omnino sustulit illam obligationem. Codex quamvis ex una parte mitigaret rigorem hujus decreti, ex altera ejus applicationem extendit ad omnes religiones etiam clericales, suadens tamen filialem fiduciam in adeundis superioribus, praesertim sacerdotibus, in rebus conscientiae. Non semper et ubique a prudentibus consiliariis vel confessariis proponitur doctrina accuratissime expressa in c. 530. Nec ipsi superiores semper intelligunt praecipuas partes sui muneris esse ut vere ducant in vias Domini animas sibi concreditas, eas servent a periculis per distributionem discretam officiorum. In utroque casu verum damnum spirituale habetur. Propterea ad hoc tendendum est ut per formationem spiritualem superiorum simul ac per educationem subditorum in spiritu fidei, relationes inter ipsos remaneant primario spirituales.

4. Quod Codex vindicet jura subditorum in pluribus, facile probari potest:

In amplectenda religione omnino liberi esse debent: c. 538, 542, (quoad vim et metum), 552, 571, § 1; 572, § 1, 4°; 637; 2352.

Plura de regimine paupertatis, praecipue simplicis ad hoc diriguntur: c. 568, 580, § 3; 583, 1°; 643, § 2 cum Resp S. C. Relig. 2/3/1924.

In receptione sacramentorum maxima libertas servanda: c. 519, 520, § 2; 521; 522, 523, 524 §§ 2 et 3; 526, 2414, 595, §§ 2 et 4.

In relationibus cum superioribus ecclesiasticis sive occasione visitationis, c. 513, § 1 et 2412; sive in commercio epistolari c. 610 et Resp. CIC 27-11-1947.

In admissione ad professionem perpetuam non obstante infirmitate c. 637.

In cautelis juridicis in omnibus casibus dimissionis, c. 646-668 passim.

5. Inter notas speciales legislationis hodiernae vi-

detur annumeranda cura semper maior solidae formationis alumnorum. Praeter dispositiones Codicis de novitiatu, professione temporaria, ordinatione studiorum clericalium, S. Congregatio diligentem operam navavit in hac materia, ab instructione de secundo anno novitiatus data die 3 nov. 1921 usque ad recens Enchiridion *De Statibus perfectionis* (1949) cuius primum volumen se exhibet tanquam fontem multorum documentorum « pro sodalibus instituendis ».

* * *

III. Jam pluries innuimus jus Codicis religiosorum per jurisprudentiam applicatum fuisse a triginta annis cum aliqua accommodatione. Quaedam nunc dicenda sunt ad ostendendam illam evolutionem :

1. Certum est unificationem juris, conjunctam cum activitate S. C. de Religiosis duxisse ad majorem centralizationem. Inter plura quae afferri possent indicia quaedam selegemus :

a. die 26-6-1918 S. C. de Religiosis praescripsit ut omnes religiones juris pontificii emendarent constitutiones suas ad normam Codicis et textum emendatum eidem S. C. reviscendi causa subjicerent.

b. die 30-3-1919 pariter praescripsit transmissionem directorii et librorum precum ad revisionem in Congregatione peragendam. Quae praescriptio non potuit ad plenum effectum perduci, ut videtur, propter onus extraordinarium quod secum ferebat.

c. e recenti jurisprudentia, antequam Episcopus accipiat licentiam condendi congregationem dioecesanam, jam debet subjicere constitutiones examini S. Congregationis. Quod forsan introducere potest nimium conformismum in his congregationibus quae natura sua indolem vere localem praebere debent.

d. die 19-3-1937 S. C. de Propaganda Fide instructionem dedit de congregationibus indigenis condendis.

Normae integrae juxta quas constitutiones sunt conficiendae editae sunt die 29-6-1940. In hoc casu etiam constitutiones congregationum dioecesanarum submitti debent revisioni Congregationis antequam ab Ordinario promulgentur.

e. Inter praecipua indicia centralizationis simul ac vigilantiae S. C. de Religiosis notandum est decretum *Cum transactis,* die 9-7-1947, de relatione quinquennali ab omnibus religionibus, societatibus, institutis saecularibus etiam juris dioecesani, secundum elenchum amplum quaestionum die 9-12-1948 publicatum, addita obligatione relationis annualis statisticae, necnon transmissionis aliorum documentorum. Ut haec relatio quinquennalis ad fructus intentos conducat, plura videntur requiri quae forsan non adeo facile obtinebuntur, in specie quoad congregationes dioecesanas. Quapropter optandum videtur ut ad eundem finem urgeatur observatio c. 512 de visitationibus serio et regulariter faciendis ab Ordinario vel ab ejus delegato.

f. Notemus denique aliquod consectarium centralizationis. Per Codicem necessitas recursus ad S. Sedem pro petitione variorum indultorum facta est valde frequens. Sufficiat recolere casus qui saepissime occurrunt in communitatibus religiosis: prorogationem muneris superioris localis, modificationem testamenti, absentiam a domo religiosa ultra sex menses, etc.

2. Jam diximus jure Codicis religiones clericales omnes magis ac magis apparere ut organa vere propria administrationis Ecclesiae. Inde praecipue nobis videtur inducta theoria, quam olim in Congressu juridico internationali, Romae habito anno 1934, R. P. Larraona proponebat de natura potestatis dominativae. Haec, quamvis sane differat a jurisdictione, tamen consideranda est ut potestas publica, quippe quae regit « societatem juridicam necessario-voluntariam ab Ecclesiae suprema auctoritate erectam et approbatam ut statum publicum religiosum

plene, statum vero clericalem religioso adjunctum magna ex parte contineat et moderetur »[2].

Aliam proposuit sententiam de natura potestatis dominativae in religione R. P. Kindt, C. ss. R. Postquam diversas theorias exposuerat et discusserat, auctor concludebat potestatem dominativam esse « potestatem ecclesiasticam ordinis privati quam Ecclesia, ob personalem religiosorum in voto oboedientiae peractam mancipationem, superioribus religionis legitimis concedit in personam subditorum »[3].

Si primo aspectu videntur sat contrariae illae duae sententiae, notandum est R. P. Larraona non praetermittere aspectum religiosum promanantem e voto[4], nec R. P. Kindt negare extra illam mancipationem personalem, quae est fructus immediatus voti, superiores gaudere aliqua potestate vi cuius ex ordinatione Ecclesiae plura facere possunt ac debent.

Quaestio tamen non videtur nobis adhuc plene soluta: non facile applicari possunt omnibus religionibus, etiam iuris dioecesani pro mulieribus, quae agnoscuntur superioribus clericalibus vi potestatis dominativae publicae. Accurata determinatio in iure notionis adeo capitalis, sub respectu morali voti obedientiae, omnino optanda foret.

3. Pariter ad melius servandam indolem multiplicem ipsius professionis religiosae, liceat nobis hic referre ea quae olim proposuimus in dissertatione: « Eléments et nature de la profession religieuse d'après le droit actuel »[5]. Thesis eo vergebat ut ostenderet triplex ades-

---

[2] A. Larraona, *De potestate dominativa publica in jure canonico*, in *Acta Congressus Iuridici internationalis* Romae 12-17 nov. 1934, vol. IV, p. 161, n° 15.

[3] G. Kindt, C. SS. R., *De potestate dominativa in Religione*, Romae, Desclée De Brouwer, 1945, p. 322.

[4] *Commentarium pro Religiosis*, 1926, p. 32-33.

[5] E. Bergh, S. I. *Eléments et nature de la profession reli-*

se elementum in professione religiosa, scil. religiosum erga Deum per vota, sociale erga Institutum per incorporationem, publicum erga Ecclesiam per acquisitionem novi status canonici. Impugnabamus conceptum nimis restrictum contractus bilateralis iustitiae commutativae inter Religionem et professum, ad ostendenda consectaria moralia et canonica illius actus vere complexi.

4. E iure religiosorum vel melius religiosarum, est, unum punctum notissimum omnibus sacerdotibus, scil. de necessitate iurisdictionis specialis ad audiendas confessiones religiosarum. Sane exceptio datur in ipso c. 876, possibilitas scil. adeundi confessarium occasionalem ad normam c. 522. Nemo est qui ignoret vicissitudines huius canonis a tempore promulgationis Codicis. Post responsum valde severum vi cuius circumstantia loci declarata fuerat ad validitatem [6], Commissio Interpretationis admisit a die 12 febr. 1935, sensum amplissimum « loci legitime destinati ». Cum agatur de accommodata renovatione iuris communis, dicemus, cum pluribus canonistis, nos minus percipere motiva necessitatis iurisdictionis specialis pro religiosis mulieribus in adiunctis hodiernis. Ad plenissimam libertatem coscientiae religiosarum, ad ipsam tranquillitatem animi plurimorum confessariorum, ad veram utilitatem communitatum quae, in quibusdam regionibus, non possunt regulariter confiteri apud confessarium ordinarium, labore obrutum, nec apud adiunctum, haec quaestio de iurisdictione speciali pro religiosis mulieribus utile posset de integro retractari.

5. Inter puncta graviora propter sua consectaria moralia, apprime consideranda venit dispositio Codicis de saecularizatione cum effectu libertatis plenae a vinculo trium votorum, saltem quando non agitur de clericis in

---

*gieuse,* dans *Ephemerides theologicae Lovanienses,* XIV, 1937, p. 5-32.

[6] *A. A. S.,* XX, 1928, p. 61.

sacris. Sub vetere iure, a voto castitatis perfectae saltem Ordinarii dispensare non poterant. Utrum disciplina Codicis, apud quosdam nimiam facilitatem causaverit in sibi comparando indulto saecularizationis et sic nocuerit stabilitati in vita religiosa permolestum est pronuntiare. Peculiariter attendit S. Congregatio ad saecularizationem clericorum in sacris propter exercitium ordinum. Prudentiae causa concedit indultum exclaustrationis ad praevium experimentum, executioni mandandum per Episcopum benevolum receptorem.

IV. Per modum conclusionis, liceat nobis modeste quaedam proponere relate ad ulteriorem accomodationem iuris, ratione habita difficultatum specialium legislationis canonicae communis in materia nostra:

1. Magis quam in aliis partibus Codicis occurrit hic difficultas componendi duas notas societatis visibilis supernaturalis, scil. motum internum caritatis et necessitatem ordinationis fori externi.

Essentia status perfectionis est in ipso motu caritatis semper maioris, qui difficile exprimi potest formulis iuridicis. Optandum foret ut quandoque saltem canones referant verba magis sapida, de ipso praecepto caritatis loquantur, textus ipsius Scripturae Sacrae adhibeant, ut optime habetur in c. 1347, § 2 de praedicatione divini verbi. Ius debet amari, sicut ipsa Ecclesia, sicut ipse Christus, solus legislator et sola lex.

2. Alia difficultas exurgit ex eo quod ius commune, quod omnibus indiscriminatim imponitur, periculum creare potest obnubilations spiritus genuini uniuscuiusque familiae religiosae.Exinde absoluta necessitas leges ferendi ratione habita historiae vitae religiosae et variorum Institutorum, sub eorum aspectu theologico, ascetico et mystico.

3. Nec obliviscendum est legislationem canonicam, ut sit efficax, debere applicari per veram multitudinem Superiorum et Superiorissarum ubique gentium, in rebus quandoque sat gravibus. Iamvero praeparatio canonica huius multitudinis in multis deficit. Propterea legislatio debet esse clara, simplex, non nimis minuta, ita ut apparatus iuridicus non obruat gubernationem suavem ac paternam.

4. Denique, evolutio iuris religiosi praepari debet, quantum fierit potest, in sensu manifestationis semper maioris caritatis[7], sive intra ipsas communitates, sive inter familias religiosas ut optime habetur in hoc Congressu, sive ad proximum quemlibet. Sciant omnes Superiores, in quolibet gradu, voluntatem Christi et Ecclesiae esse ut omnes domus, provinciae, et religiones nostrae sint concretae realizationes intentionum Redemptoris: « Ut omnes unum sint ».

E. Bergh S. I.

---

[7] Per modum exempli, afferri posset textus c. 537. Ipse cavet de largitionibus prodigis et in obliquo tantum loquitur de eleemosyna facienda. Nonne opportune ius praecipere posset omnibus domibus eleemosynas faciendas pro rata parte superflui?

# MONUMENTA

## 1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXIII [10 ian. 1951] p. 5)

### CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE SACRO MONIALIUM INSTITUTO PROMOVENDO

### PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

*Sponsa Christi* Ecclesia [1], vel a primis suae historiae incunabulis exsistimationis ac maternae dilectionis sensus, quibus erga sacras Deo Virgines suaviter ferebatur, tam iteratis actibus ac signis patefecit quam perspicuis documentis confirmavit [2].

---

[1] *Eph.* 5, 25-27; *Apoc.* 21, 2-3; 22, 17; HERMAS, *Vis.* 4, c. 2 (FUNK, *Patres Apostolici* [*FPA*], 1, 460); S. METHODIUS, *Convivium*, orat. 3, (Thaliae), c. 8 (*PG*, 18, 72-75); et orat. 7, 7 (*PG*, 18, 133); S. AMBROSIUS, *De virginitate*, 1, 6, n. 31 (*PL*, 16, 208); *Exhortatio virginitatis* c,. 10, n. 67 (*PL*, 16, 372).

[2] S. IGNATIUS, *Epist. ad Polycarp.* 5. (FPA, 1, p. 290); *ad Smyrn.*, 12 (*FPA*, 1, p. 284); IUSTINUS, *Apologia I pro christianis*, 15 (*PG*, 6, 349); S. CYPRIANUS, *De habitu virginum*, 3 (*PL*, 4, 455), 11 (*PL*, 4, 462); Pseudo-CLEMENS, *De virginitate*, cc. 2, 3 (*FPA*, 2[3], 1-5); S. ATHANASIUS, *De virginitate*, 24 (*PG*, 28, 280); S. BASILIUS, *Liber de virginitate* (*PG*, 30, 670 ss.); S. AMBROSIUS, *De virginibus* (*PL*, 16, 198 sq.); *De virginitate*, c. 5, 24-26 (*PL*, 16, 286); *De institut. virg.*, 17, 104 (*PL*, 16, 345); S. HIERONYMUS, *Epist.* 22, 2 (*PL*, 22, 395), 22 (*PL*, 22, 409); S. AUGUSTINUS, *Epist.* 188, 1 (*PL*, 33, 849); *De sancta virginitate* (*PL*, 40, 397ss.), praesertim 27, (*PL*, 40, 410); S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De virgini-*

Nec mirum sane, cum Virgines christianae, « illustrior portio gregis Christi » [3], caritate actae, alienas omnes mundi sollicitudines dedignantes [4] facilemque periculorum plenam cordis divisionem superantes [5], non solum se totas Christo, ut vero animorum Sponso [6] devoverent [7], sed integram vitam suam omnium christianarum virtutum gemmis ornatam [8], in perpetuum ipsi Christo Domino atque Ecclesiae manciparent [9].

---

*tate*, 11 (*PG*, 48, 540), 34 (*PG*, 48, 556); S. Leander, *Regula*, Introduct. (*PL*, 72, 876, *B*); *Constitutiones Apostolicae*, 2, c. 57 (*PG*, 1, 733; Funk, *Constitutiones Apostolorum* [*FCA*], 2, c. 57, 165).

[3] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 3 (*PL*, 4, 455).

[4] 1 Cor. 7, 32-35; S. Thomas, 2-2, q. 186, a. 4.

[5] 1 Cor. 7, 32,35; S. Augustinus, *De sancta virginitate*, 22 (*PL*, 40, 407).

[6] 2 Cor. 11, 2; Tertullianus, *De oratione*, c. 22 (*PL*, 1, 1296); *De virginibus velandis*, c. 16 (*PL*, 2, 960); *De resurrectione carnis*, c. 61 (*PL*, 2, 932); *De exhortatione castitatis*, c. 13 (*PL*, 2, 978); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 22 (*PL*, 4, 474); S. Methodius, *Convivium*, orat. 7 (Procilae) cc. 2-4 (*PG*, 18, 128, 129); S. Athanasius, *Apologia ad Constantium Imp.*, n. 33 (PG, 25, 640); *De virginitate*, c. 2 (*PG*, 28, 253); S. Basilius, *Epist.* 199, c. 18 (*PG*, 32, 717; S. Ambrosius, *De virginitate*, 12 (*PL*, 16, 297; *De virginibus*, 1, 7, n. 36 (*PL*, 16, 209), 1, 11, nn. 65, 66 (*PL*, 16, 218); S. Hieronymus, *Epist. 22*, nn. 2, 25 (*PL*, 22, 395, 411); S .Augustinus, *Epist.* 188, 1 (*PL*, 33, 848); *In Ioannis Evang.* tr. 9, n. 2 (*PL*, 25, 1459); S. Thomas, *In IV Sent.*, d. 38 q. 1, ,a. 5.

[7] S. Cyprianus, *De habitu virginis*, 4 (*PL*, 4, 455); S. Methodius, *Convivium*, orat. 5 (Talusa) 1, 4 (*PG*, 18, 97, 101); Ps.-Clemens, *De virginitate*, 1 (*FPA*, 2, p. 1); S. Augustinus, *De sancta virginitate* 8, (*PL*, 40, 400), 29 (*PL*, 40, 412).

[8] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 4 (*PL*, 4, 455); Ps.-Clemens, *De virginitate*, cc. 2, 3 (*FPA*, 2, p. 1-5).

[9] Origenes, *In Rom.* 9, 1 (*PG*. 14, 1205); S. Methodius, *Convivium*, orat. 11 (Aretes), c. 1 (*PG*, 18, 204); ort. 8 (Theclae) c. 17 (*PG*, 18, 173); S. Athanasius, *De virginitate*, 21 (*PG*, 28, 275); S. Ambrosius, *De virginibus*, 1, 10 (*PL*, 16, 216); *Exhortatio virginitatis*. 12, n. 80 (*PL*, 16, 375); S. Hieronymus, *Epist. 130*, 14 (*PL*, 22, 1118); S. Augustinus, *Epist. 98*, 6 (*PL*, 33, 362).

Mystica haec Virginum Christo mancipatio Ecclesiaeque traditio primis christianis saeculis, sponte, ac potius factis quam dictis, perficiebantur. Cum vero Virgines, postea, non classem tantum, sed statum iam definitum atque ordinem ab Ecclesia receptum efformarent [10], virginitatis professio publice fieri coepit, adeoque arctiore in dies vinculo confirmari [11]. Dein Ecclesia, dum sanctum virginitatis votum propositumve acceptabat, qui merito inter pulchriora antiquae liturgiae monumenta recensetur [12]; eamque ab aliis clare distinguebat, quae privatis tantum vinculis sese Deo obligabant [13].

---

10 S. Ignatius, *Ad Smyrn.* 13 (*FPA*, 1, 287); Tertullianus, *De virginibus velandis*, 14 (*PL*, 2, 957); Origenes, *In Num. homilia II*, 1 (*PG*, 12, 591); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 3 (*PL*, 4, 455); S. Methodius, *Convivium*, orat. 1 (Marcel.) c. 1 (*PG*, 18, 35); Ps.-Clemens, *De virginitate*, 1 (*FPA*, 2, p. 1); *Constitutiones Apostolicae*, 2, c. 57 (*PG*, 1, 733; *FCA* 2, c. 57, 165); S. Gregorius Nyssenus, *De vita S. Macrinae* (*PG*, 46, 988); S. Ioannes Chrysostomus, *1 Tim.* 5, 9 (*PG*, 51, 323).

11 Tertullianus, *De oratione*, c. 22 (*PL*, 1, 1294); *De virginibus velandis*, c. 11 (*PL*, 2, 954); c. 13 (*PL*, 2, 956); c. 14 (*PL*, 2, 957); c. 15 (*PL*, 2, 959); Clemens Alexandrinus, *Stromatum*, 3, 2 (*PG*, 8, 1104), 25 (*PG*, 8, 1197); Origenes, *In Levit. hom.* 3, n. 4 (*PG*, 12, 428), *In Num. hom.* 23, n. 3 (*PG*, 12, 748), *In Epist. ad Rom.*, 9, 37, (*PG*, 14, 1237); S. Cyprianus, *De habitu virginis*, 4 (*PL*, 4, 455); S. Ambrosius, *De institutione virg.*, c. 17 (*PL*, 16, 345); S. Nicetas, *De lapsu virginis*, c. 5 (*PL*, 16, 388), *Conc. Illiberit.* (a. 395), c. 13 (Mansi, 2, 8).

12 *Pontificale Romanum, De benedictione et consecratione virginum;* S. Ambrosius, *De instit. virg.*, c. 17 (*PL*, 16, 345); *De virginibus* 3, c. 1 (*PL*, 16, 231); S. Nicetas, *De lapsu virginis*, 5 (*PL*, 16, 387); S. Hieronymus, *Epist. 130*, n. 2 (*PL*, 22, 1108); *Sacramentarium Leonianum, 30 ad virgines sacras* (*PL*, 55, 129).

13 Tertullianus, *De virginibus velandis*, cc. 14, 15 (*PL*, 2, 957, 959); S. Basilius, *Epist. 199*, c. 18 (*PG*, 32, 717); Innocentius I, *Epist. 2 ad S. Victricium*, c. 13 (*PL*, 20, 478 s.); S. Gelasius I, *Epist. 14*, c. 20 (A. Thiel, *Epist. RR. Pontificum*, Brunsbergae, 1868, p. 373); *Codex Theodosianus*, 9, 25, 2; S. Ambrosius, *De virginitate*, c. 5, n. 26 (*PL*, 16, 286), *De institut. virg.*, c. 17, 114 (*PL*, 16, 348).

Vitae virginalis professio vigilanti severaque ascesi servabatur, simulque omnibus pietatis et virtutum exercitiis nutriebatur ac fovebatur. In prisca tam graecorum ac ceterorum orientalium quam latinorum Patrum doctrina, fidelis sane ac pulcherrima imago prostat et ob oculos ponitur Virginis christianae. In suis scriptis sive interna sive etiam externa, quae ad virginalem sanctitatem ac perfectionem spectare quovis modo poterant, diligentissime magnoque amore a Patribus illuminata ac vivide depicta fuerunt [14].

Quousque christianarum Virginum angelica vivendi ratio, primo hoc suae historiae tempore, Patrum exhortationibus ac descriptionibus responderit, et quot altiorum heroicarum virtutum gemmis ornatam sese nobis ostendat, partim ex historicis documentis ac monumentis directo certoque tramite, noscimus, partim vero, non dubie, ex aliis etiam securis fontibus conicere imo et deducere nobis licet [15].

Praesertim post concessam christianis hominibus pacem, Eremitis et Coenobitis praeeuntibus, consecrata Deo virginitas frequentius in dies consiliorum paupertatis strictiorisque oboedientiae expressa signataque professione compleri ac confirmari solebat [16].

---

[14] S. Polycarpus, *Epist. 5*, 3 (*FPA*, 1, 303); Tertullianus, *De virginibus velandis*, (*PL*, 2, 935); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, (*PL*, 4, 451 ss.); S. Methodius, *Convivium*, orat. 1 (Marcel.) 1 (*PG*, 18, 35); S. Athanasius, *De virginitate*, 3 ss. (*PG*, 28, 253 ss.); S. Basilius, *Epist. 173* (*PG*, 32, 648); *Constitutiones Apostolicae*, 8, c. 24 (*PG*, 1, 1122; *FCA*, 8, c. 24, 528); S. Ambrosius, *De virginibus*, 2, 2 (*PL*, 16, 220), 3, 1-4 (*PL*, 16, 231); S. Augustinus, *De sancta virginitate*, 31 ss. (*PL* 40, 412 ss.).

[15] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 22 (*PL*, 4, 474); S. Ambrosius, *De virginibus*, 1, cc. 4, 5 (*PL*, 16, 203-205), c. 10 (ib. 16, 215); S. Augustinus, *De moribus catholicae Eclicae*, 1, c. 31, 68, c. 33, 70 (*PL*, 32, 1339 ss.).

[16] S. Augustinus, *Epist. 211*, cc. 5, 6 (*PL*, 33, 960), 15 (*PL*, 33, 964); S. Caesarius, *Regula ad virgines*, cc. 4, 11, 16, 19 (*PL*,

Mulieres virginitatem professae, quae iam prius ad vitam communem, ab hominum consuetudine quantum fieri poterat segregatam, tum ob solitudinis amorem, cum ob defensionem contra gravissima undique imminentia, in corrupta romana societate, pericula, conspiraverant, faventibus postea rerum adiunctis, satis cito, exemplum secutae immensae multitudinis Coenobitarum, ac relicta generatim viris eremitica vitae ratione, coenobiticam vitam imitatae sunt atque in ipsam fere omnes se receperunt [17].

Vitam communem latiore significatione acceptam, Ecclesia Virginibus generatim commendabat, sed vitam monasticam, per longa tempora, ne consecratis quidem Virginibus imponere stricte voluit, quas honoratas ut decebat, liberasque in saeculo reliquit. Attamen Virgines liturgice consecratae propriis in domibus vel in liberiore vita communi degentes semper rariores inveniebantur, usque dum pluribus locis de iure, ubique vero de facto extinctae fuerunt; quin imo, generatim non amplius restitutae, recentius etiam prohibitae fuerunt [18].

---

67, 1107, 1109, 1110; *Ed. Dom Morin G.*, 2 (1942) 101-105; S. Leander, *Regula*, 18 (*PL*, 72, 890); Anonymus, *Regula ad virgines*, c. 17 (*PL*, 88, 1066).

[17] S. Basilius, *Regulae fus.*, n. 35, *Regulae brev.*, 108-110 (*PG*, 31, 1004, 1156), *Epist. 55* (*PG*, 32, 402); S. Ambrosius, *De virginibus*, 1, c. 10, n. 59 (*PL*, 16, 215), *In Luc. 2*, nn. 8, 20, 21 (*PL*, 15, 1636 1640); S. Epiphanius, *Adv. haereses*, 2, 67 (*PG*, 42, 174), *Exposit. fid. cath.*, 21 (*PG*, 42, 822); S. Hieronymus, *Epist. 22*, 17 (*PL*, 22, 404), 24, 3 (ib. 427), 66, 13, (ib. 646), 108, 19 (ib. 896), 130, 19 (ib. 1122); S. Augustinus, *De moribus cath. Eccl.* 1 c. 31, 68, c. 33, 70 (*PL*, 32, 1339 ss.); *Aeteriae peregrinatio*, 23, 2, 3 (W. Heraeus, Heidelberg, 1908, p. 27).

[18] *Conc. Carth. III* (a. 307), c. 33 (Mansi, 3, 885), *Conc. Aurelian. V* (a. 549), c. 19 (Mansi, 9, 133); Venantius Fortunatus, *Vita S. Radegundis*, c. 12 (*PL*, 88, 502); *Conc. Paris. V* (a. 614), c. 12-13 (Mansi, 10, 542); c. 13, C. 27, q. 1; *Conc. Aquisgr.* (a. 789), c. 39 (Mansi, 13, App. 3, 166); *Conc. Moguntin.* (a. 888)

* * *

Cum res ita se haberent, Ecclesia suam maternam convertit sollicitudinem erga illas praesertim Virgines, quae, optimam partem eligendo [19], mundo plane vale dicebant, totamque christianam perfectionem, strictam paupertatem atque plenam oboedientiam virginitatis professioni addentes, in Monasteriis amplectebantur. Harum Virginum coenobiticam professionem, severioribus in dies clausurae legibus Ecclesia provide externe defendit [20]. Intrinsecus vero, ita ipsarum vitae rationem ordinavit, ut sensim sine sensu typum Monialis seu Sanctimonialis vitae contemplativae, sub rigida regulari disciplina, prorsus deditae, clare perspicueque in suis legibus atque religiosa ascesi delinearet [21].

---

c. 26 (Mansi, 18, 71); *Conc. Lat. II* (a. 1139), c. 26 (Mansi, 21, 532); c. 25 C. 28, q. 2.

[19] Luc. 10, 42.

[20] S. Caesarius, *Regula ad virgines*, 1, 33, 34, 35 (*PL*, 67, 1107-1114; *Ed. Dom Morin* o. c. 1011 ss.); *Conc. Lat. II* (a. 1139), c. 26 (Mansi, 21, 532), c. 25 C. 28, q. 2; Bonifacius VIII, *De statu regularium*, c. un. 3, 16 in 6°; *Conc. Trid. Sess. 25, De regularibus et monialibus*, c. 5; Pius V, *Circa Pastoralis*, 29 maii 1566, § 1 (Gasparri, *Fontes I. C.*, 1. n. 112); *Decori* 1 Febr. 1570 (Gasparri, *Fontes I. C.*, 1, n. 133); Benedictus XIV, *Salutare*, 3 ian. 1742, (Bull. Ben. XIV, I. p. 106).

[21] CC. 11, 20-25, C. 18, q. 2; c. 8, *De statu monachorum et canonicorum regularium*, X, 3, 35; c. 2, *De statu monachorum et canonicorum regularium*, 3, 10 in Clem.; *Conc. Trid. Sess. 25, De regularibus et monialibus;* Clemens VIII, *C. Religiosae congregationes*, 19 iun. 1594 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin, 10, 146); *Nullus omnino*, 25 iul. 1599 (*Fontes I. C.*, 1, n. 187); *C. Cum ad regularem*, 19 mart. 1603 (*Fontes I. C.*, 1, 189); Gregorius XV, *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin, 12, 656); Innocentius XI, *Litt. Encycl.*, 9 oct. 1682 (Bizzarri, *Collectanea*, 2, p. 374); *C. Cum ad aures* (Ferraris, *Prompta Biblioth.*, v. *Eucharistia* n. 41); Benedictus XIV, *C. Pastoralis cura* 5 aug. 1748 (*Bull. Ben. XIV*, 2, 471).

Postquam autem ineunte fere media aetate, Virginum consecratarum in saeculo commorantium vivendi forma penitus desiit, Sanctimoniales, numero, fervore, varietate supra modum auctae, antiquarum Virginum unicae, velut in solidum heredes earumque legitimae successores habitae sunt [22]; neque heredes ac successores tantum, sed traditi patrimonii fideles procuratrices argumentosaeque fautrices, quae quinque talentis ditatae, alia quinque superlucratae fuerunt [23]. Monumenta liturgica, canonica documenta, atque historica testimonia omne genus, scripta, insculpta, depicta, hanc Monialium originem ac dignitatem, merita sanctitatemque comprobant atque vindicant [24].

Statum perfectionis, qui iam adeo solemniter receptus atque plene recognitus fuerat, ut perfectius usque publicam referret naturam, Moniales, per plura saecula ad exeuntem mediam aetatem — ut ex Decretalibus, imo ex toto Corpore iuris canonici luculenter patet — solae inter mulieres cum Monachis et Canonicis regularibus exhibebant [25].

Non paucis deinceps inde nec levibus evictis difficultatibus, prius fratres omnes, qui vel Mendicantes, vel

---

22 *Pontificale Romanum, De benedictione et consecratione virginum;* cfr. not. 12.

23 Math. 25, 20.

24 Honorius IV, *C. Ascendit fumus.*, 24 sept. 1285 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin., 4, p. 83); *Conc. Trid. Sess. 25 De regularibus et monialibus*, c. 1; Pius IV, *Motu prop. De statu*, 5 apr. 1560 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin. 7, 21); Pius V, *C. Decori*, 24 ian. 1570 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin. 7, 808); Pius VI, *Litt. Quod aliquantulum*, 10 mart. 1791 (*Coll. Brevium atque Instructionum SS. DD. N. Pii P. VI*, 1800, p. 1, pag. 47; *Conc. Vat. Schema Constit. Ecclesiae*, c. 15 (*Coll. Lacensis*, 7, appendix, 575); Leo XIII, *Litt. Testem benevolentiae*, 22 ian. 1899 (*Acta Leonis XIII*, 19, 5); *Litt. Au milieu*, 23 dec. 1900 (*Acta Leonis XIII*, 20, 339).

25 C. un *De Statu Regularium* 3, 16 in 6°; c. 1, *De religiosis ...* 3, 11- in Clem.; c. un. *De religiosis ...* 3, 9 in Extravag. Comm.

Hospitalarii, vel Redemptores, vel alio nomine nuncupabantur ac, post tria fere saecula, Clerici quoque, qui regulares dicti fuerunt, inter veros religiosos et regulares, simul cum Monachis et Canonicis regularibus, recepti sunt; Moniales vero universae, tum illae quae in Fratrum mendicantium secundos Ordines cooptabantur, quod ad ius canonicum attinet, unicum, nobile et vetustum institutum prosequebantur eandemque religiosam vivendi rationem amplectebantur [26].

Ad primas igitur usque mulierum Congregationes, quae vel saec. XVII vel XVII ortae sunt, Moniales eae tantum habebantur quae facto et iure vitam legitime religiosam profitebantur. Imo etiam post toleratas, et decursu temporis, prius facto et postea oeconomico etiam quodam iure receptas Congregationes [27], Moniales tantum, usque ad Codicem Iuris Canonici promulgatum, stricto iure uti verae religiosae ac regulares admissae sunt [28].

Quodsi hoc loco animum ad vitae monasticae penetralia convertere velimus, quis recensere et ponderare poterit perfectionis religiosae thesauros in Monasteriis absconditos? quis flores ac fructus sanctitatis, quos hi conclusi horti Christo Ecclesiaeque tulerunt? quis precationum efficacitatem, quis deditionis divitias, quis denique

---

[26] *S. C. Ep. et Reg. Bergom,* 14 maii 1841, ad 16, III (Lucidi, *De visitatione sacrorum liminum* 4ª, II, n. 463); *Gerunden* 9 maii 1860, ad 2 (Bizzarri, *Collectanea,* 2, pag. 780, VI); *Albien.,* 23 iun. 1860, ad 14 (Bizzari, l. c. p. 786; 16 sept. 1864 (Bizzari, l. c. p. 744 ss.); *Rilievi circa gli Statuti della Congr. dei Fratelli della S. Famiglia,* art. I, et 13 (Bizzarri, l. c. pp. 800, 803; *Normae secundum quas S. C. Ep. et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium,* 28 iun. 1901, art. 32.

[27] S. C. Ep. et Reg. dec. *Ecclesia Catholica,* 11 aug. 1889, (*ASS.,* 23, 634).

[28] Leo XIII, *C. Conditae a Christo,* 8 dec. 1900 (*Acta Leonis XIII,* 22, pp. 317-327); *Normae secundum quas S. C. Ep. et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium,* 28 iun. 1901.

bona omne genus quibus Moniales Ecclesiam Matrem suam ornare, sustinere, confortare totis viribus satagerunt?

* * *

Sanctimonialium rigidus sane definitusque typus, in legum canonicarum et in ascesis paginis insculptus, ab innumeris Ordinibus, Monasteriis, Conventibus, quae in Ecclesia iugiter exstiterunt, facile, et, quoad ipsius praecipua lineamenta, etiam fideliter receptus fuit, atque per plura saecula tenaciter retentus. Ex hac communi fidelitate atque constantia, arcta compago in sacro Monialium Instituto exorta est, quae fortius quam omnium aliorum regularium sive religiosorum utriusque sexus Institutorum, innovationibus quibuslibet restitit semper. Id, intra certos iustosque limites, merito ipsi vertendum esse non est ambigendum.

Haec, quam laudavimus, Monialium unitas minime ceterum obstitit quominus, et quod attinet ad ascesim et quod ad interiorem pertinet disciplinam, iam antiquitus diversae figurae varietatesque admitterentur, quibus Deus, mirabilis in sanctis suis, Ecclesiam Sponsam suam ditavit et decoravit. Quae Monialium varietates ex eiusdem generis varietate oriri videntur Ordinum ac Religionum virorum, quibus Monialium Ordines adiecti quodammodo fuerunt. Revera, vix non omnes Monachi, Canonici regulares, Mendicantes praecipue secundos Ordines instituere nitebantur, qui servata semper generali Monialium ratione, fere ut primi Ordines inter se diversi conspiciebantur. Pariter nonnulli Ordines Clericorum regularium et nonnullae Congregationes virorum proprii Instituti Monialium Ordines recentius condiderunt.

Monialium varietates, quas supra attigimus, sive Instituti historiam respicimus, sive communes eius interiores mutationes, dignissimae profecto sunt quae attente considerentur. Sane, ipsae, generali vitae contemplativae ra-

tione incolumi atque firmis praecipuis receptae disciplinae normis ac principiis, novam veluti sanctitatis vim veteri Instituto compararunt.

Recentioribus temporibus, praesertim saeculo XVI abeunte, novae Monialium Ordinum formae inductae et ab Ecclesia pedetentim probatae fuerunt; ut ecce Institutum Sanctae Ursulae, Angelicarum, Congregatio Religiosarum Dominae Nostrae, Ordo Visitationis, Societas Dominae Nostrae, Moniales B. Mariae de Caritate [29] pluresque aliae. Hae novae fundationes dum, vel ab initio earum institutinis vel deinceps ad acceptandum Monialium commune ius vigens — ut vitam vere religiosam, unice tunc pro mulieribus recognitam, profiteri valerent — adigebantur seu moraliter cogebantur, ipsius iuris renovationem diversis modis praeparabant.

Hae novae Monialium formae, etsi vitam contemplativam canonicam profitebantur, et strictam clausuram pontificiam, propriae rationi vivendi aptatam, ex sententiis tunc vigentibus aegre quidem sed sincere demum receperant, tamen quandoque divinum Officium recitandum non susceperunt. Multa vero apostolatus et caritatis opera quae cum suo sexu suoque statu iuridico consentanea habebantur, ipsae laudabili sollicitudine, ut sui muneris partes fecerunt.

---

[29] PAULUS V, C. *Inter universas*, 13 iun. 1612 (*Règle et Constitutions de l'Union Romaine de l'Ordre de Sainte Ursule*, 1936, p. 231-239); C. *Debitum Pastoralis*, 24 mart. 1614 (*l. c.*, p. 240-246); *Salvatoris et Domini*, 3 oct. 1616 (*l. c.*, p. 246-250); URBANUS VII, *Alias felicis*, 6 nov. 1626 (*l. c.*, p. 273); PAULUS V, *Sacri Apostolatus*, 23 apr. 1618 (*Oeuvres de Saint-François de Sales*, 1912, 18, p. 423); PAULUS V, *Salvatoris et Domini*, 7 apr. 1607 (Instituto de la Compañía de Nuestra Señora, t. I, *Constituciones Pontificias y Reglas aprobadas*, Manresa, 1899, p. 7-14); INNOCENTIUS X, *Exponi nobis*, 28 sept. 1645 (*Bull. Rom.*, Ed. Taurin. 15, p. 403); BENEDICTUS XIV, *In supremo*, 26 sept. 1741 (*Règle de Saint-Augustin et Constitutions pour les Religieuses de la Congregation de Notre-Dame de Charité du Bon Pasteur d'Angers*, 1836, p. 39-41).

* * *

Annis volventibus, sive ob novorum Ordinum exemplum sive ob progressum Congregationum ac Societatum, quae cum vita perfectionis fecundam caritatis, auxilii, educationis exercitationem coniungere nitebantur, sive denique ob communem rerum atque idearum omne genus processum, non pauca Monasteria multorum Ordinum, qui vitam contemplativam unice ex instituto suo sectabantur, opera apostolatus, probante ac prudenter moderante Sancta Sede, pluribus in locis recèperunt [30].

Exinde sensim sine sensu obtinuit, ut commune Monialium Institutum non solum diversos Ordines cum propriis Regulis et Constitutionibus in se contineret, sed etiam profundior quaedam in ipso admitteretur divisio inter Ordines scilicet et Monasteria quae vitam solummodo contemplativam sequebantur atque Ordines ac Monasteria in quibus, sive ex peculiari constitutionis lege sive ex subsequentibus Apostolicae Sedis concessionibus, ad vitam contemplativam canonice probata apostolatus opera convenienter adiungebantur.

Nostro hoc tempore, totum Monialium Institutum, tum in iis Ordinibus ac Monasteriis, quae fideliter vitam tantum contemplativam hucusque obiverant, tum in iis maxime quae ex Ecclesiae praescripto vitam contemplativam amice cum operibus apostolatus sociabant, adiunctorum rerumque varietates ac mutationes non leviter persensit. Sane, cum hi Ordines educationis similibusque caritatis operibus vacent, quae sive ex inductis ubique moribus sive ex rerum publicarum interventu ita nunc exercentur ut vix compatibilia vel prorsus incompatibilia fiant cum aliquibus e classicis clausurae pontificiae regulis, huius clausurae normae, retenta ipsius communi ratione, sapienter mitigari debuerunt, ut cum illis operi-

---

[30] *Formulae S. C. de Religiosis,* N. 91.

bus componi possent; quod profecto Ecclesiae sanctae animorumque utilitas postulare videbatur, cum nisi ita factum fuisset, ea opera vel omnino suscipi non potuisset vel non ea saltem ratione. Neque quoad apostolicos Ordines solum, sed etiam quoad Ordines tantum contemplativos, temporum adiuncta, atque gravis egestas, qua saepe laborant, mitigationes seu largiores interpretationes quandoque exigere ac requirere visa sunt.

Hodie, ut exemplum proponamus, civium sensus, quem socialem appellant, vix ferret nimis arctam can. 601 interpretationem, ne cum de Monialibus quidem contemplativis agitur. Hinc Sancta Sedes, pluribus necessitatibus vel utilitatibus materne in dies largius providet, quae iuxta receptum olim iudicium non ita graves existimabantur, ut ob eas clausuram pontificiam infringere liceret vel ipsa eximere. Ceterum, domiciliorum securitas atque sanctitas, quae non unica quidem causa fuit pontificiae clausurae, sed varie pro temporum adiunctis, cum aliis causis ad ipsam constituendam et ordinandam contulit, hodie magis quam olim tecta sartaque est.

* * *

Summatim origine et fastis sacri Monialium Instituti propositis, opportunum ducimus in praesens accurate distinguere ipsius propria ac necessaria elementa, quae vitam Monialium contemplativam canonicam ut primum ac praecipuum earum finem directo afficiunt. Nativis hisce atque praecipuis lineamentis quibus figura canonica Monialium clare in iure definitur, alia magni momenti accedunt quae, etsi non sunt necessaria, eam tamen complent, cum satis apte publico Monialium fini respondeant ipsumque securum faciant. Aliqua vero in Monialium Instituto invenimus quae nec necessaria sunt nec eam complent, sed tantum externa atque historica sunt, cum scilicet ex adiunctis superiorum temporum, nunc valde mu-

tatis, certo nascantur. Quando haec, vel iam non prosunt, vel maius bonum impedire valent, nulla speciali ratione servanda videntur.

Porro, firmis prorsus omnibus nativis ac potissimis venerandi Monialium Instituti elementis, quoad elementa alia, quae externa et adventicia censentur, illas caute prudenterque ad hodierna adiuncta accomodationes inducere decrevimus, quae Instituto eidem non modo maiorem decorem, sed pleniorem etiam efficacitatem tribuere poterunt.

Ad has Instituti Monialium temperatas accomodationes inducendas Nos movent, imo urgent, plenae quas habemus de re in singulis orbis partibus notitiae, certaque inde exorta cognitio gravis inopiae, in qua Moniales saepe, ne dicamus semper, versantur. Sane, non pauca exstant Monasteria quae, pro dolor! vix non fame, miseria, inedia pereunt; plura vero sunt quae, ob domesticas difficultates, duram, nec plerumque tolerabilem, vitam ducunt. Monasteria praeterea habentur quae, quamvis in egestate non vivant, cum tamen ab aliis quibuslibet Monasteriis seiuncta ac separata exsistant, non raro languescunt. Arctiores etiam clausurae leges non levibus saepe difficultatibus facilem viam sternunt. Postremo, crescentibus semper Ecclesiae animorumque necessitatibus, ac multiplicis his subveniendi adiutrice omnium opera urgente, momentum advenisse videtur, in quo vita moderata apostolatus participatione concilientur.

Quod Nostrum hac de re iudicium saepissime confirmarunt Ordinariorum locorum ac religiosorum Antistitum testimonia, quae ex nonnullis nationibus prorsus communi consensu ad Nos pervenerunt.

* * *

Ex iis quae infra in Statutis Monialium Genaralibus decernuntur, aliqua hic illustrare iuvabit, ut regulas et

iudicia inde proponamus ex quibus facile ac secure singula praescripta intelligi recte possint.

Et in primis, quoad vitam Monialium contemplativam hoc, quod iuxta mentem Ecclesiae semper viguit, firmum ac inviolatum servari debet: Monasteria omnia Monialium vitam contemplativam, ut primum atque praecipuum suum finem, canonice semper et ubique profiteri debere. Quam ob rem, labores et ministeria, quibus Moniales vacare possunt modum rationemque ordinanda ac disponenda sunt, ut vita vere et solide contemplativa, sive totius Communitatis sive singularum Monialium, salva non tantum sit sed iugiter alatur ac roboretur.

Praescripta concessionesque olim, urgentibus rerum adiunctis, pro aliquibus regionibus data, ex quibus vota solemnia in simplicita commutabantur, odiosam dispensationem (can. 19) secum ferre certo dicenda sunt; eo vel magis odiosam, quod notae praecipuae Monialium haec immunitas adversetur; nam vota solemnia, quae arctiorem ac pleniorem quam alia publica vota Deo consecrationem secum ferunt, notam canonice necessariam et potissimam Ordinum exhibent. Quapropter, cum diuturna experientia diversis in locis aperte constet sive Regularium virorum sive Monialium vota solemnia, etsi rerum publicarum iure ignorentur, facile nulloque negotio servari posse, pariterque securitati aliorum bonorum communium aliunde apte provideri, etsi persona iuridica, ut alicubi accidit, Religionibus et Monasteriis denegetur, in hoc iam ante non paucos annos merito S. Sedis leges actioque simul conspirant [31], ut odiosae de quibus diximus exeptiones restringantur et, quoad fieri possit, tollantur.

---

31 Pius VII, *Breve ad ep. Tornac.* 24 iun. 1810 (Bizzarri, *Collectanea 2*, p. 738); *S. C. De Relig.*, 22 maii 1919 (AAS., 11 [1919], p. 240); *S. C. De Relig.*, 23 iun. 1923 (AAS., 15 [1923], p. 357); *S. C. de Relig.*, 6 febr. 1924 (AAS., 16 [1924], p. 96-101).

Et revera Moniales non oportet honore, merito et gaudio privare vota solemnia ipsarum propria emittendi.

Ad tutiorem assequendam solemnis castitatis vitaeque contemplativae custodiam utque hortus conclusus, Monasteriorum nullo mundi ausu penetrari, nullo astu insidiaque violari, nullo saeculari profanoque contactu turbari posset, sed verum animarum claustrum evaderet [32] in quo Moniales Deo liberius servire valerent [33], Ecclesia sapienti ac vigilanti sollicitudine severiorem clausuram, tamquam institutum Monialium peculiare statuit, diligenter ordinavit atque gravibus pontificiis sanctionibus perpetuo communivit. Haec veneranda Monialium clausura, quae ex Auctoritate suprema a qua procedit atque ex sanctionibus quibus interius exteriusque defenditur pontificia appellatur, in Nostra hac Constitutione non solum, pro diversis adiunctis Monasteriorum, quae ipsi hucusque obstricta sunt, consulto ac solemniter confirmatur, sed caute ad illam etiam Monasteria extenditur, quae eadem adhucusque, ob legitime impetratas dispensationes, non obligantur.

Monasteria quae vitam unice contemplativam profitentur, neque intra domus religiosae terminos stabilia opera educationis, caritatis, recollectionis vel alia id genus admittunt, clausuram illam pontificiam retinebunt vel accipient, de qua in Codice agitur (can. 600-602), quaeque « *maior* » appellabitur.

Quoad vero Monasteria illa quae, sive ex instituto sive ex legitimis S. Sedis praescriptis, vitae contemplativae exercitium quorundam ministeriorum cum ipsa consentaneorum intra monasticas ipsas aedes amice coniungunt, clausura pontificia, illis retentis quae eidem neces-

---

[32] Hugo de Folieto, *De claustro animae* (*PL*, 176, 1017).

[33] Innocentius IV, *ad Moniales S. Dominici de Im.*, 11 maii 1252 (*Bull. Ord. Praed. l.*, 1, p. 206).

saria atque insita sunt, in nonnullis, quae vix vel ne vix quidem observari possunt, temperatur; in aliis vero, quae ad clausuram pontificiam Codicis non adeo necesaria censentur (can. 599, 604 § 2), apte completur. Haec clausura pontificia temperata atque hodiernis necessitatibus accommodata quae, ut ab antiqua regidiore distinguatur, « *minor* » nuncupabitur, illis etiam Monasteriis concedi poterit quae, etsi vitam tantum contemplativam retineant, vota solemnia non habent vel nonnullis carent conditionibus quae ad maiorem clausuram pontificiam, iurisprudentia receptoque stilo Curiae merito requiruntur. Accurata horum omnium clausurae pontificiae minoris elementorum definitio infra, in Statutis Generalibus et in Instructionibus a S. Congregatione de Religiosis Nostra Auctoritate Nostroque nomine dandis, tradetur.

Quod spectat ad Monasteriorum Monialium autonomiam seu mutuam libertatem, ea hîc repetere opportunum ducimus et Monialibus applicare quae, consulto de Monachis dixeramus in Homilia habita die 18 septembris 1947 in patriarchali Basilica S. Pauli extra moenia, revoluto decimo quarto saeculo ab obitu S. Benedicti Nursiani [34]. Mutatis rerum adiunctis, plura iam suadent, ac non raro postulant, Monasteriorum Monialium consociationem, uti facilior ac convenientior officiorum distributio, utilis ac saepe necessaria religiosarum ab uno ad aliud Monasterium variis de causis ad tempus translatio, oeconomicum iuvamen, laborum coordinatio, observantiae communis defensio, aliaque id genus. Quod autem haec omnia fieri et obtineri valeant, quin necessariae autonomiae derogetur nec quomodolibet clausurae vigor enervetur vel recollectioni vitaeque monasticae severiori disciplinae damnum inferatur, tam ex amplissima experientia Congregationum Monasticarum virorum, quam ex non raris speciminibus

[34] AAS., 39 (1947), pp. 451-455.

Unionum ac Foederationum quae inter Moniales hucusque approbatae fuerunt, certe ac secure comprobatur. Ceterum Foederationum erectio et Statutorum quibus regi debeant approbatio, Sanctae Sedi reservatae manebunt.

Ad laborem, sive manuum sive animi, omnes, viris vel mulieribus minime exceptis qui vitae contemplativae vacant, non solum lex naturalis obligat [35], sed paenitentiae etiam ac satisfactionis officium [36]. Labor praeterea generale est instrumentum quo animus, et a periculis servatur et ad altiora evehitur; quo nos, ut oportet, divinae Providentiae operam praebemus nostram tum in ordine naturae tum in ordine qui naturam excedit; quo opera caritatis exercentur. Labor denique norma est ac lex praecipua vitae religiosae, vel ab eius originibus, iuxta illud « ora et labora ». Sane huius vitae disciplina, magna ex parte in praecipiendo, ordinando ac perficiendo labore posita fuit semper [37].

Monialium labor, si aeterna respiciantur, talis esse oportet, ut quae illum suscipit, in primis sancto proposito suscipiat; ut eadem praesentem Deum saepe cogitet; ut illum ex oboedientia capiat, cum suique voluntaria castigatione coniungat. Quod si labor ita sustinebitur, ille potens ac constans erit omnium virtutum exercitatio, atque pignus suavis efficacisque coniunctionis vitae contemplativae cum activa, ad exemplum Nazarethanae Familiae [38].

Si vero monasticus labor vel quoad naturam vel quoad disciplinam aestimetur, e Regulis, Constitutionibus traditisque singulorum Ordinum consuetudinibus non tantum viribus Monialium eum par esse oportet, sed ita etiam disponi ac perfici, ut, pro temporum cursu rerum-

---

[35] Gen. 2, 15; 3, 19; Iob. 5, 7; 2 Thes. 3, 10.
[36] Gen. 3, 19.
[37] AAS., l. c., p. 453.
[38] Matth. 13, 55; Marc., 6, 3.

que adiunctis, et Monialibus necessarium victum quaerat, et ad egenorum, ad hominum societatis, ad Ecclesiae utilitatem conferat [39].

Cum christianae vitae perfectio in caritate specialiter posita sit [40] cumque caritas qua Dominum unice super omnia diligere debemus omnesque in Ipso, una eademque vere sit, Mater Ecclesia ab omnibus Monialibus quae canonice contemplationem profitentur, cum Dei perfecto amore, perfectam erga proximos caritatem exigit; cuius caritatis suique status gratia, religiosi viri religiosaeque mulieres Ecclesiae omniumque indigentium necessitatibus totos se devotos persentiant oportet.

Moniales ergo omnes probe sciant ipsarum vocationem plene totamque apostolicam esse [41], nullis locorum, rerum, temporum limitibus circumscriptam, sed ad omnia, semper et ubique sese porrigentem, quae aut ad Sponsi honorem aut ad animorum salutem quovis modo spectant. Haec vero universalis apostolica Monialium vocatio nulla re impedit quominus Monasteria suis precibus et totius Ecclesiae et singulorum hominum vel coetuum necessitates commendatas habeant.

Communis omnium Monialium apostolatus, quo divini Sponsi sui honorem zelare [42] et universae Ecclesiae omniumque christifidelium bonum provehere debent, his tribus praecipue veluti instrumentis utitur:

1° exemplo christianae perfectionis; cum earum vita, licet sine verbis, alte tamen loquatur et continuo ad

---

[39] EPH. 4, 28.

[40] IOAN. 4, 16; COL. 3, 14; S. THOMAS 2, 2, q. 184, a. 1.

[41] PIUS X, Epist. *ad Praepositum Gen. et universum Ordinem Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, tertio pleno saeculo ab honoribus coelitum S. Theresiae tributis*, AAS., 6 [1914], p. 139, 142; PIUS XI, Const. Apost. *Umbratilem*, AAS., 16 [1924], p. 385-386, 389; PIUS XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*, AAS., 35 [1943]; pag. 241, 245.

[42] *Off. S. Theresiae Virg.*, die 15 Oct.

Christum atque ad christianam perfectionem fideles trahat, et bonos Christi milites [43] ad legitimum certamen ut vexillum excitet alliciatque ad coronam [44];

2° precatione, tum publice Ecclesiae nomine, septies in die solemniter canonicis horis ad Deum fundenda, tum etiam privatim perenniter Deo omnibus formis offerenda;

3° devovendi se studio, ita ut afflictationibus, quae ex vita communi fidelique regulari observantia oriuntur, alia propriae abnegationis exercitia sive ex Regulis ac Constitutionibus praescripta sive prorsus voluntarie suscepta, addantur, quibus generose illa impleantur « quae desunt passionum Christi Iesu, pro corpore Eius, quod est Ecclesia » [45].

Postquam Monialium Instituti historicos fastos illustravimus accurateque descripsimus quibus idem terminis cum hodiernis vitae necessitatibus componi possit, iam generales normas tradere putamus iuxta quas ad rem compositio illa adducenda sit. Totam Constitutionem atque Statuta Generalia quoad omnes vel iam factas vel faciendas Monasteriorum Foederationes et quoad singula Monasteria, S. Congregatio de Religiosis ad effectum adducet; quae Nostra Auctoritate, per instructiones, declarationes, responsa aliaque id genus documenta, illa omnia peragere poterit, quae ad Constitutionem diligenter atque efficaciter inducendam atque ad Generalia Statuta fideliter prompteque servanda spectant.

---

[43] Tim. 2, 3.
[44] 2 Tim. 4, 8.
[45] Col. 1, 24.

## STATUTA GENERALIA MONIALIUM

### Art. I

§ 1. Monialium nomine in hac Constitutione, ad normam iuris (c. 488, 7°) veniunt, praeter religiosas votorum solemnium, illae etiam quae vota simplicia, perpetua vel temporaria, professae sunt in Monasteriis in quibus vota solemnia vel actu nuncupantur vel ex instituto emitti deberent; nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud certo constet.

§ 2. Legitimo Monialium nomini (c. 488, 7°) et iuris Monialium applicationi minime officiunt: 1) *professio simplex* in Monasteriis legitime emissa (§ 1); 2) *clausura Pontificia minor* quae Monasteriis sit praescripta vel rite concessa; 3) *operum apostolatus exercitium*, quod cum vita contemplativa coniunctum sit, sive ex instituto a S. Sede pro aliquibus Ordinibus probato et confirmato, sive ex legitimis S. Sedis pro nonnullis Monasteriis praescripto aut concessione.

§ 3. Apostolica haec Constitutio iuridice non respicit: 1) Congregationes religiosas (c. 488, 2°) Sororesque ipsarum sodales (c. 488, 7°), quae ex instituto vota tantum simplicia nuncupant;2) Societates mulierum in comuni ad instar religiosarum viventium earumque sodales (c. 673).

### Art. II

§ 1. Peculiaris ratio vitae religiosae monasticae, quam Moniales fideliter sub rigida regulari disciplina colere debent, et ad quam ab Ecclesia destinantur, est vita contemplativa canonica.

§ 2. Vitae contemplativae canonicae nomine intelligitur non illa interna et theologica ad quam animae omnes in Religionibus imo et in saeculo viventes invitan-

tur, quamque apud se singulae ducere ubique valent; sed exterior disciplinae religiosae professio quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis mortificationisque exercitiis, sive denique ex laboribus quibus Moniales incumbere debent, in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut eiusdem studio tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui.

§ 3. Si vita contemplativa canonica sub rigida regulari disciplina habitualiter servari non possit, character monasticus nec concedendus est nec, si iam habeatur, retinendus.

## Art. III

§ 1. Vota religiosa solemnia, ab omnibus Monasterii sodalibus vel ab una saltem ipsarum classe nuncupata, praecipuam notam efficiunt ex qua Monasteria mulierum, non inter Congregationes religiosas sed inter Ordines regulares iure numerantur (c. 488, 2°). Religiosae autem in his Monasteriis professae omnes, Regularium appellatione in iure, ad normam c. 490, veniunt, atque non Sororum sed Monialium proprio nomine vocantur (c. 488, 7°).

§ 2. Monasteria omnia, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur, votorum solemnium instaurationem impetrare poterunt. Quinimmo, nisi prorsus graves obsint rationes, eadem iterum suscipere curabunt.

§ 3. Solemnes antiquae formulae consecrationis Virginum, quae in Pontificali Romano habentur, Monialibus reservantur.

## Art. IV

§ 1. Severior Monialium clausura, quae pontificia dicitur, firmis semper ac pro omnibus Monasteriis iis notis quae eidem quasi naturales sunt, duplex in posterum distinguetur: *maior* et *minor*.

2 §. 1° Clausura pontificia *maior*, illa scilicet quae in Codice describitur (cc. 600-602), hac Nostra Apostolica

Constitutione plane confirmatur. Sacra Congregatio de Religiosis, Nostra Auctoritate, declarabit quas ob causas dispensatio a clausura maiori concedi possit, ut, rei natura incolumi, nostri temporis adiunctis aptius eadem accommodetur.

2° Clausura pontificia maior, salvo § 3, 3°, in omnibus Monasteriis vigere ex regula debet, quae vitam contemplativam unice profitentur.

§ 3. 1° Clausura pontificia *minor* illa ex antiqua clausura Monialium retinebit, illisque sanctionibus defendetur, quae ad ipsius naturalem rationem conservandam ac vindicandam necessaria in Instructionibus S. Sedis expresse definiuntur.

2° Huic pontificiae minori clausurae obnoxia sunt Monasteria Monialium votorum solemnium quae, sive ex instituto sive ex legitima concessione, ita ministeria cum extraneis suscipiunt, ut plures religiosae et notabilis domus pars habitualiter in haec ministeria incumbant.

3° Pariter, saltem huius clausurae praescriptis subici debent omnia et singula Monasteria, etsi unice contemplativa, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur.

§ 4. 1° Clausura pontificia maior vel minor, necessaria condicio habenda est, non solum ut vota solemnia emitti possint (§ 2) sed etiam ut illa Monasteria, in quibus vota simplicia nuncupantur (§ 3), ut vera Monasteria Monialium ad normam c. 488, 7° in posterum habeantur.

2° Si regulae clausurae pontificiae, saltem minoris, observari plerumque non possint, vota solemnia quae habeantur adimenda sunt.

§ 5. 1° Clausura pontificia minor, quoad illas praesertim notas in quibus a clausura Congregationum vel Ordinum virorum distinguitur, observanda est in locis ubi Moniales vota solemnia non nuncupant.

2° Si autem certo appareat in aliquo Monasterio clausuram saltem minorem ex more servari non posse,

Monasterium illud in domum vel Congregationis vel Societatis mutandum erit.

## Art. V

§ 1. Ecclesia ad orationem publicam, quae eius nomine, sive in choro (c. 610, § 1) sive privatim (c. 610, § 3), Deo funditur, solas Moniales inter mulieres Deo sacras deputat; easque ex regula ad normam suarum Constitutionum, huic orationi horis canonicis cotidie persolvendae graviter obstringit.

§ 2. Omnia Monialium Monasteria singulaeque Moniales vota solemnia vel simplicia professae, Officium divinum in choro ad normam c. 610, § 1 et suarum Constitutionum, ubique recitare tenentur.

§ 3. Iuxta c. 610, § 3 Moniales, quae a choro abfuerunt, si vota solemnia non nuncupaverint, ad privatam horarum recitationem, nisi aliud expresse praescribant Constitutiones (c. 578, 2°), restricte non tenentur; tamen non solum Ecclesiae mens est, ut supra diximus (art. IV), ut vota Monialium solemnia ubique instaurentur, sed etiam, si ad tempus instaurari non valeant, ut Moniales vota perpetua simplicia loco solemnium professae, pensum Officii divini fideliter absolvant.

§ 4. Missa conventualis in omnibus Monasterii Officio diei respondens, secundum rubricas, quoad fieri possit celebrari debet (c. 610, § 2).

## Art. VI

§ 1. 1° Monialium Monasteria, secus ac aliae religiosae mulierum domus, ex Codice et ad ipsius normam sui iuris sunt (c. 488, 8°).

2° Antistitae singulorum Monasteriorum Monialium in iure Superiores maiores sunt, omnibusque facultatibus donantur quae Superioribus maioribus competunt (c. 488,

8°), nisi ex contexu sermonis vel ex rei natura aliquae ad viros tantum attineant (c. 490).

§ 2. 1° Ambitus condicionis *sui iuris* seu autonomiae, quam vocant Monasteriorum Monialium et iure communi et iure peculiari definitur.

2° Tutelae iuridicae, quam ius sive Ordinariis locorum sive Superioribus regularibus quoad singula Monasteria concedit, neque ex hac Constitutione neque ex Foederationibus Monasteriorum a Constitutione permissis (art. VII) atque eius auctoritate inductis, quovis modo derogatur.

3° Iuridicae relationes singulorum Monasteriorum cum Ordinariis locorum vel Superioribus regularibus, ex iure communi atque ex iure peculiari regi pergent.

§ 3. Hac Constitutione nullo modo definitur utrum singula Monasteria Ordinarii loci potestati obnoxia sint an, intra terminos iuris, de ea sint exempta et Superiori regulari subiacent.

## Art. VII

§ 1. Monasteria Monialium non solum sui iuris sunt (c. 488, 8°), sed etiam iuridice distincta atque invicem independentia, nullis vinculis praeter quam spiritualibus ac moralibus, inter se unita ac devincta, etsi eidem primo Ordini vel religioni iure sint subiecta.

§ 2. 1° Monasteriorum mutuae libertati, potius facto receptae quam iure impositae, nullo modo officit Foederationum constitutio; neque eae Foederationes haberi debent ut iure prohibitae vel quomolibet naturae et finibus vitae religiosae Monialium minus consentaneae.

2° Monasteriorum Foederationes quamvis regula generali non praecipiantur, tamen a Sede Apostolica valde commendantur non solum ad mala et incommoda praecavenda quae ex plena separatione oriri possunt, sed etiam ad regularem observantiam vitamque contemplativam provehendam.

§ 3. Constitutio cuiuslibet formae Foederationis Monasteriorum Monialium vel Confoederationis Foederationum Sedi Apostolicae reservatur.

§ 4. Omnis Foederatio seu Confoederatio suis legibus a S. Sede probatis, ordinari ac regi necessario debet.

§ 5. 1° Salvis art. VI, §§ 2, 3, et salva praecipua autonomiae ratione supra definita (§ 1), nihil vetat quominus in Foederationibus Monasteriorum ineundis, ad exemplum nonnullarum Congregationum monasticarum et Ordinum sive Canonicorum sive Monachorum, quaedam huius autonomiae inducantur aequae condiciones et intermissiones, quae necessariae vel magis utiles videantur.

2° Formae tamen Foederationis quae praedictae autonomiae de qua diximus (§ 1) contrariae videantur et ad rationem regiminis centralis accedant, S. Sedi speciali modo reservantur, nec sine expressa Ipsius concessione institui possunt.

§ 6. Foederationes Monasteriorum ex fonte unde proveniunt atque ex Auctoritate a quae directe dependent et reguntur, sunt iuris pontificii ad normam iuris canonici.

§ 7. S. Sedes immediatam vigilantiam et auctoritatem, prout casus ferat, in Foederationem exercere poterit per aliquem Adsistentem religiosum, cuius munus erit non tantum S. Sedem repraesentare sed etiam conservationem genuini spiritus proprii Ordinis fovere et Superiorissas in recto ac prudenti Foederationis regimine opera et consilio adiuvare.

§ 8. 1° Statuta Foederationis non solum praescriptis normis a S. Congregatione de Religiosis Nostra Auctoritate elaborandis, sed etiam naturae, legibus, spiritui et traditionibus sive asceticis sive disciplinaribus sive iuridicis et apostolicis proprii Ordinis, conformentur oportet.

2° Foederationum Monasteriorum praecipuus finis est fraternum adiutorium sibi mutuo praestare, non solum

in spiritu religioso ac in regulari monastica disciplina fovendis, sed etiam in rebus oeconomicis provehendis.

3° Si casus ferat, peculiares normae in approbandis Statutis tradendae sunt, quibus moderari oporteat facultas et moralis obligatio petendi ac mutuo sibi concedendi Moniales, quae tum ad regimen Monasteriorum, tum ad institutionem novitiarum in communi novitiatu pro omnibus vel pro pluribus Monasteriis erigendo, tum denique ad aliis moralibus vel materialibus Monasteriorum aut Monialium necessitatibus providendum, necessariae existimentur.

## Art. VIII

§ 1. Labor monasticus, cui etiam Moniales vitae contemplativae incumbere debent, Regulae, Constitutionibus, traditionibus singulorum Ordinum debet esse pro viribus consentaneus.

§ 2. Labor ita ordinari debet ut, simul cum aliis rationibus ab Ecclesia probatis (cc. 547-551, 582), et cum subsidiis a Divina Providentia suppeditatis, securam reddat ac convenientem Monialium substentationem.

§ 3. 1° Ordinarii locorum, Superiores regulares et Superiorissae Monasteriorum ac Foederationum, omnem tenentur diligentiam adhibere ut necessarius, adaequatus ac proficuus labor numquam Monialibus desit.

2° Moniales vero ex conscientiae officio tenentur, non solum ad sibi honeste frontis sudore panem quo vivant, ut monet Apostolus (II Thess., III, 10) lucrandum, sed etiam ad sese, prout tempora exigunt, in dies ad diversa opera habiliores reddendas.

## Art. IX

Moniales omnes ut divinae apostolicae vocationi fideles inveniantur, non tantum generalia monastici apo-

stolatus instrumenta adhibere debent, sed praeterea sequentia observare curabunt.

§ 1. Moniales quae in propriis Constitutionibus seu legitimis praescriptis specialis apostolatus opera definita habent, ad normam Constitutionum seu Statutorum ac praescriptionum sese fideliter eisdem dare ac consecrare tenentur.

§ 2. Moniales quae vitam unice contemplativam profitentur:

1° si in propriis traditionibus aliquam externi apostolatus specialem formam acceptam habeant vel habuerint, illam hodiernis necessitatibus aptatam, salva semper ipsarum vita contemplativa, retineant fideliter, et si perdiderint, eam restituere diligenter curent. Si vero circa adaptationem aliquod dubium remaneat, S. Sedem consulant;

2° ex adverso, si vita pure contemplativa neque ex Ordinis probatis Constitutionibus neque ex traditione externo apostolatui hucusque coniuncta iugi constantique ratione fuerit, tunc nonnisi in casibus necessitatis et per limitatum tempus, in illis apostolatus formis singularibus praesertim seu personalibus, occupari poterunt aut, ex caritate saltem, debebunt, quae cum vita contemplativa, prout in Ordine servatur, iuxta criteria a S. Sede figenda, compatibiles videantur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra

ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima prima mensis Novembris, Praesentationi B. Mariae V. sacra, anno iubilari millesimo nongentesimo quinquagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

## 2 - S. C. De Religiosis

(*AAS.* XXXXIII [10 ian. 1951] p. 37)

### INSTRUCTIO

AD CONSTITUTIONEM « SPONSA CHRISTI » IN PRAXIM DEDUCENDAM.

I. Inter praeclara documenta quibus Ss.mus Dominus Noster, Pius Div. Prov. Papa XII, tamquam pretiosissimis gemmis Maximum Iubilaeum ornare et coronare voluit, non ultimum certe locum obtinet Apostolica Constitutio « *Sponsa Christi* », de sacro ac venerando Monialium Instituto in Ecclesia Dei promovendo et renovando. S. Congregatio, quae pro suo munere et officio fideliter prompteque Ss.mo in omnibus adstat, quae ad Statum perfectionis spectant, commissionem reverenter ac libenter ab Ipso hanc accepit, tot adspectibus vere praeclaram Constitutionem, exsecutioni mandandi atque securam et facilem ipsius applicationem reddendi.

II. S. Congregatio ut tam honorifico muneri satisfaciat, in hac Instructione practicas normas colligit circa illa quae maiorem difficultatem offerunt.

III. Porro, specialem prae se ferunt difficultatem specialique proinde indigent declaratione: 1° ea quae ad Monialium clausuram maiorem vel minorem sese referunt; 2° ea quae de Foederationibus inducendis et de autono-

mia moderata constituuntur; 3° ea tandem quae de fructifero labore Monasteriis procurando et inter ipsa coordinando in Apostolica Constitutione innuuntur.

## I

## DE MONIALIUM CLAUSURA MAIORI ET MINORI

IV. Constitutio « *Sponsa Christi* » (art. IV) pro omnium Monialium Monasteriis clausuram peculiarem praescribit quae a clausura episcopali Congregationum differt (c. 604), quaeque ex generali norma iuris, ut clausura regularis virorum, papalis est (c. 597 § 1); immo, quoad plura praescripta, tum pro ingressu extraneorum intra clausurae limites cum pro Monialium ab eisdem egressu, normis severioribus, quam clausura papalis virorum, regitur.

V. Clausura papalis Monialium in posterum duplex erit: *maior*, quae Monasteriis reservatur in quibus, licet numerus Monialium imminutus sit, vota solemnia emittuntur et vita unice contemplativa ducitur; et *minor*, quae, ex regula, Monasteriis applicatur in quibus vita non unice contemplativa colitur vel ubi Moniales vota tantum simplicia profitentur.

### I - Clausura papalis maior

VI. Clausura papalis *maior* illa est, quae in Codice prostat (cc. 600, 602), a S. Congregatione, Instructione « *Nuper edito* », S. P. Pio XI, f. m. die 6 februarii a. 1924 approbante,[1] accurate definita. Haec clausura in Constitutione « *Sponsa Christi* » plene confirmatur, salvis declarationibus quae sequuntur, quasque Constitutio

[1] *A. A. S.*, XII (1924), p. 96-101.

S. Congregationi faciendas committit (art. IV, § 2, 1°) ut illius observantia temporum necessitatibus adiunctisque locorum prudenter accommodetur.

VII. Moniales quae clausura papali maiore ligantur, emissa professione, vi huius professionis atque legis ecclesiasticae praescripto, gravem obligationem contrahunt:

1° semper intra Monasterii septa manendi quae sub definitis clausurae limitibus posita sunt [2], ita ut ipsis inde vel ad momentum exire quovis praetextu vel colore [3] non liceat sine speciali S. Sedis indulto, exceptis tantum casibus in canonibus [4] et Instructionibus S. Sedis [5] expressis vel qui in approbatis ab ipsa S. Sede Constitutionibus seu Statutis contemplantur;

2° in partes Monasterii clausurae legi obnoxias [6] nullam admittendi personam, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis ,etiam ad temporis momentum, sine speciali indulto S. Sedis, exceptis personis et casibus in canonibus expressis [7] atque in S. Sedis instructionibus [8] approbatisque ab Ipsa Constitutionibus vel Statutis.

VIII. 1° Indulta ac dispensationes egrediendi e clausura maiori post emissam professionem (VII, 1° vel in ipsam ingrediendi aut alios admittendi (ib., 2°), uni S. Sedi reservantur et ab Ipsa, vel eius nomine ac delegatione, unice concedi valent.

2° Causae ad dispensationes obtinendas, adiunctis cusuum, temporum ac locorum aeque ponderatis, attentisque praxi et stilo Curiae, proportionate graves esse debent.

IX. 1° Facultas dispensandi ab homine dari potest,

---

2 Can. 597.
3 Instr. *Nuper edito*, III, 1, *b-d.*
4 Can. 601.
5 Instr. cit. III, 1, *a.*
6 Can. 597, §§ 2, 3.
7 Can. 600, P. C. I.
8 Instr. cit. III, 2. *a. g.*

sive ad definitum tempus pro omnibus casibus qui eo currente acciderint, sive ad certum casuum numerum. Nihil tamen vetat quin aliquae concessiones habituales in iure particulari, legitime approbato, e. g. in Constitutionibus, in Foederationum statutis similibusque documentis, fiant.

2° Indulta et dispensationes, sive *ab homine* sive *a iure*, generali aut particulari, procedant, ad normam Instructionum S. Sedis [9], ac praxis stilique Curiae, conditiones cautelasque definire debent quibus dispensatio subiicitur.

X. Poenas contra huius clausurae leges violantes illae firmae manent quae in Codice continentur (c. 2342, nn. 1, 3).

### II - Clausura papalis minor

XI. Clausura papalis *minor*:

1° regulas fundamentales clausurae Monialium, quatenus ipsa tam a clausura Congregationum (c. 604) quam etiam a clausura Ordinum virorum (cc. 598-599) longe distat, salvas relinquit;

2° securam et omnibus patentem observantiam et custodiam castitatis solemnis reddat oportet;

3° vitam contemplativam Monasterii protegere et efficaciter fovere debet.

4° Ministeria quae Ecclesia his Monasteriis consulto commisit, ita sub hac clausura papali minori cum vita contemplativa componenda sunt ut haec salva prorsus sit illaque rite et fructuose exerceri valeant.

5° In Monasteriis quae approbatis operibus vacant, praescriptum can. 599 § 1 pro clausura Regularium virorum, quod Congregationum clausurae, canone 604 § 2, etiam applicatur, rigide et fideliter observandum est, ita ut clara perfectaque separatio semper adsit inter aedes

---

[9] Instr. cit. III, 2.

seu aedium partes habitationi Monialium vitaeque monasticae exercitiis destinatas et illas quae operibus addicuntur.

XII. Clausura papalis minor secumfert:

1° gravem prohibitionem admittendi intra partes domus, Monialium Communitati destinatas et legitime clausurae subiectas (c 597), quaslibet personas Communitati extraneas, cuiusvis generis, conditionis, sexus atque aetatis, ad normam can. 600;

2° prohibitionem etiam gravem pro Monialibus post professionem egrediendi extra septa Monasterii, eadem ratione ac Moniales clausurae maiori subiectae (n. VII-IX).

XIII. 1° Egressus Monialium e partibus Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita et operibus apostolatus addicta, tantum huius ratione, illis ex venia Superiorissae adhibitisque cautelis licet, quae ad normam Constitutionum praescriptorumque S. Sedis apostolatui exercendo quomodolibet destinantur.

° Dispensationes, a praescripto n. XII, 2°, si quae, ratione apostolatus, necessariae sint, concedi tantum possunt Monialibus aliisque sodalibus quae ministeriis sint legitime adscripta, onerata graviter conscientia Superiorissarum, Ordinariorum et Superiorum quibus clausurae tutela commissa est (c. 603).

XIV. Ingressus extraneorum ad loca Monasterii operibus destinata his normis regitur:

1° ingressus habitualis licet alumnis seu alumnabus, aliisve in quorum favorem ministeria exercentur et mulieribus tantum quae, ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent:

2° exceptiones quae admitti necessario debent, e. g. quae a legibus civilibus ratione inspectionum, examinum aliisve de causis imponi solent, Ordinarius loci, ut tales, generali seu habituali declaratione definiat;

3° aliae exceptiones, si quae quandoque in casibus

singulis videantur vere necessariae, Ordinarii expressis concessionibus reservantur, qui ex conscientiae officio prudentes cautelas imponere debet.

XV. 1° Moniales illegitime e septis Monasterii exeuntes excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata ad normam can. 2342, 3°, vel ex expressa concessione Ordinario loci reservata, ipso facto plectuntur.

2° Moniales illegitime egredientes e partibus Monasterii Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate culpae puniendae sunt.

3° Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes in partes Monasterii Communitati reservatas, excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam incurrunt.

4° Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes ad loca Monasterii extra partes Communitati destinatas ab Ordinario loci ubi Monasterium adest, severe pro gravitate culpae puniantur.

XVI. Clausurae papalis minoris dispensationes ex regula, exceptis casibus in iure admissis, S. Sedi reservantur.

Facultates plus minus latae, prout adiuncta exigere videantur, sive ab homine sive in Constitutionibus et Statutis possunt Ordinariis delegari.

## II

## DE FOEDERATIONIBUS MONASTERIORUM MONIALIUM

XVII. Foederationes Monasteriorum Monialium, ad normam Constitutionis « *Sponsa Christi* » (art. VII § 2, 2°), tam ad damna vitanda quae gravius et facilius Monasteriis prorsus independentibus obvenire solent quaeque

per unionem efficaciter magna ex parte evitari possunt, quam etiam ad bona spiritualia et temporalia fovenda, enixe commendantur.

Etsi ex regula Foederationes non imponantur, (art. VII, § 2, 2°), rationes tamen ex quibus in genere commendantur, ita in casibus particularibus urgere possunt, ut omnibus perpensis, a S. Congregatione ipsae tamquam necessariae aestimentur.

XVIII. Foederationes Monasteriorum non impediri debent ex eo quod Monasteria quae ipsas constituere intendunt, ut singula, Superioribus regularibus sint subiecta. In *Statutis Foederationis* ratio haberi debet huius communis subiectionis.

XIX. Quando ex mente Fundatoris vel ex qualibet alia superveniente ratione, aliqua extiterit veluti inchoatio unionis vel foederationis Monasteriorum ipsius ordinis vel instituti, ipsa Foederatio ita perficienda est ut ratio habeatur illorum quae prius iam recepta vel adumbrata erant.

XX. Monasteriorum Foederatio nullo modo directo afficit habitudinem singulorum Monasteriorum ad Ordinarios locorum aut Superiores regulares ad normam iuris communis vel particularis vigentem. Hinc, nisi expresse ac legitime huic regulae derogetur, potestas Ordinariorum ac Superiorum regularium ex Foederatione nec augetur, nec minuitur, nec in aliquo modificatur.

XXI. In Foederationis Statutis possunt aliqua circa Foederationem iura Ordinariis vel Superioribus concedi, quae ex regula eisdem non competerent, incolumi generatim iure in singula Monasteria qua talia.

XXII. Unionum seu Foederationum generales ac praecipui fines et commoda sunt:

1° facultas, iuridice agnita, atque officium canonice sancitum fraterni adiutorii, tam in regularis observantiae conservatione, defensione, incremento, rebusque oeconomicis quam in omnibus aliis mutuo sibi praestandis;

2° erectio novitiatuum omnibus seu pluribus Monasteriis communium pro casibus in quibus, sive ob defectum personarum ad officia directionis necessariarum sive ob alia adiuncta moralia, oeconomica, localia etc., in singulis Monasteriis solida et practica institutio spiritualis, disciplinaris, technica, culturalis dari certe non possit;

3° facultas et moralis obligatio, certis normis definita, a Monasteriis foederatis suscepta, petendi ac mutuo sibi concedendi Moniales quae ad regimen et formationem necessariae esse possunt;

4° possibilitas et libertas mutuae temporariae communicationis seu cessionis subiectorum, et etiam destinationis ratione infirmitatis aliusve moralis vel materialis necessitatis.

XXIII. Characteres et notae Foederationum, quae si complexive sumantur essentiales habendae sunt, sequentes recensentur:

1° Foederationes Monialium, *ex fonte* unde proveniunt atque *ex auctoritate* a qua ut tales directe dependent ac reguntur, sunt *iuris pontificii* ad normam Codicis (c. 488, 3°). Hinc, S. Sedi competit et reservatur non tantum ipsarum erectio [10], verum et Statutorum approbatio atque Foederationi Monasteriorum adscriptio vel ab eadem separatio [11].

Salvis quoad singula Monasteria his omnibus quae a Codice Ordinariis tribuuntur, Foederationes S. Sedi in iis omnibus subiiciuntur, nisi aliquod legitime atque expresse excipiatur, in quibus Religiones mulierum iuris pontificii eidem S. Sedi directe subiecta sunt. Ex quibus aliqua S. Sedes, prout censuerit, suis immediatis pro Foederationibus Adsistentibus seu Delegatis, habitualiter vel ad casum committere poterit.

2° *Ex parte ambitus seu extensionis,* nisi exiguus

---

[10] Const. *Sponsa Christi,* art. VII, § 3.

[11] Const. *Sponsa Christi,* art. VII, § 4.

Monasteriorum numerus vel aliae iustae proportionataeque causae aliud exigant, potius per regiones, utpote facilioris regiminis, constituendae sunt.

3° *Ex parte personarum moralium*, quibus, qua personae collegiales (c. 100 § 2), constituuntur, Foederationes ex Monasteriis eiusdem Ordinis eiusdemque internae observantiae componuntur, etsi non necessario eiusdem subiectionis Ordinario loci vel Superiori regulari, nec eiusdem classis votorum vel formae clausurae esse debent.

4° Si necessitas, magna utilitas vel Ordinum traditiones suadeant, admitti possunt Confoederationes Foederationum regionalium.

5° Ratione autem independentiae Monasteriorum, vinculum quo Monasteria foederata inter se vinciuntur tale esse oportet ut autonomiae, essentiali saltem (c. 488, 2°, 8°), non adversetur. Etsi autonomiae derogationes praesumendae non sunt, concedi tamen valent, praevio singulorum Monasteriorum consensu [12], si graves causae id suadere vel exigere videantur.

XXIV. Antequam erigi valeant, omnes Foederationes Monasteriorum Monialium propria Statuta habere debent a S. Sede approbanda [13]. In his Statutis accurate definiri debent praesertim:

1° fines quos unaquaeque Foederatio sibi proponit [14];

2° ratio qua Foederationis regimen ordinandum erit, sive quoad elementa ex quibus constabit, ut ecce Praeside, Visitatricibus, Consilio, etc., sive quoad modum ad haec munera designandi, sive tandem quoad ipsius regiminis potestatem ac rationem procedendi;

3° media quibus Foederatio uti debet ut fines quos prosequitur suaviter et fortiter consequi valeat;

---

12 Cfr. Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 5, 2°.

13 Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 4.

14 Cfr. supra n. XXIV.

4° conditiones et modus quibus exsecutioni mandari debeant ea quae circa personarum mutuam communicationem in art. VII, § 3, n. 2° Constitutionis « Sponsa Christi » et n. XXII, 4° huius Instructionis statuuntur;

5° conditio iuridica Moniales in aliud Monasterium translatae, sive in Monasterio a quo transfertur sive in Monasterio ad quod fit translatio;

6° oeconomica cooperatio, quae ad opera communia totius Foederationis a singulis Monasteriis praestanda sit;

7° regimen sive novitiatus communis sive aliorum operum communium si quae habeantur.

XXV. 1° Ut S. Sedes directam et efficacem vigilantiam atque auctoritatem in Foederationes exercere valeat, unicuique Foederationi dari potest, prout necessitas vel utilitas suadeat, Adsistens religiosus.

2° Adsistens religiosus, illis quorum interest auditis ad normam Statutorum, a S. Congregatione nominatur.

3° In singulis casibus eius officia in documento nominationis accurate definientur. Praecipua autem haec sunt: curare ut genuinus spiritus vitae profunde contemplativae et spiritus etiam proprii Ordinis ac Instituti in Foederatione secure conservetur et augeatur; similiter, ut prudens ac rectum regimen in Foederatione instruatur et retineatur; solidae novitiarum ac ipsarum religiosarum institutioni religiosae consulere; in rebus oeconomicis maioris momenti Consilio adsistere.

4° Adsistens etiam munere veluti *Adsessoris* fungetur, servatis normis pro singulis Foederationibus statuendis.

5° Eidem S. Sedes, prout casus ferant aliqua, delegabit seu committet quae opportuna videantur.

## III

## DE LABORE MONASTICO

XXVI. 1° Cum temporales vitae necessitates ,ex Divinae Providentiae ordinatione, adeo quandoque urgeant ut Moniales moraliter coactae videantur ad alios praeter consuetos labores quaerendos vel acceptandos, ad horaria modificanda, imo etiam ad tempus labori dicatum forsan augendum, sicut Christi fideles in similibus adiunctis, dispositionibus Divinae Providentiae omnes, qua verae religiosae, prompte ac humiliter sese subiiciant.

2° Tamen non anxie vel leviter aut ex arbitrio fiat, sed prudenter quantum necessarium seu conveniens reapse demonstretur, harmoniam inter sensum fidelitatis litterae et traditionis ac filialem subiectionem Divinae Providentiae permissionibus ac ordinationibus simplici animo quaerentes.

XXVII. Superiores ecclesiastici et religiosi debent:

1° Omnibus modis fructiferum laborem Monialibus, quae ipso egeant, quaerere ac procurare, utendo etiam, si casus ferat, praeterquam aliis industriis honestis, commisionibus piarum mulierum aut virorum, imo caute et prudenter societatibus externis ad hoc constitutis;

2° prudenter invigilare perfectioni et ordini laborum, atque iusto pretio pro ipsis exigendo;

3° operum laborisque diversorum Monasteriorum coordinationi ita diligenter consulere, ut ea sese mutuo adiuvent, suppleant, compleant, atque vel a longe absit quaelibet etiam aemulationis species.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Religiosis, die XXIII mensis Novembris, anno sacro MDCCCCL.

✠ C. Card. MICARA, Episc. Veliternus *Praefectus*

A. Larraona, C. M. F., *Secretarius*

L. ✠ S.

## Annotationes

### *Introductio*

**1.** Praeclara Constitutio Apostolica « Sponsa Christi » die 21 Novembris anni 1950 data [1], novum signum perspicuumque documentum est illius « existimationis ac maternae dilectionis sensus » quo Ecclesia « vel a primis suae historiae incunabulis ... erga sacras Deo Virgines suaviter ferebatur », quemque nunc iterum per Summum Pontificem Pium XII patefecit ac confirmavit [2].

**2.** Tres in ipsa partes facile distingui possunt.

*Prima,* historica (p. 5-11), ex qua breviter adumbratur evolutio Instituti Monialium a suis initiis usque ad nostra tempora, ut inde pateat ratio praesentium difficultatum, atque profundioris discriminis inter varias formas vitae monasticae.

*Altera,* doctrinalis (p. 11-15) exponit altiora criteria, quae spiritum informantem subsequentes normas auctoritative patefaciunt, simulque validum interpretationis subsidium praebent. Sunt enim, iuxta ipsum Legislatorem, *regulae* ac *iudicia* « ex quibus facile ac secure singula praescripta intelligi recte possint » [3].

*Tertia,* legislativa (p. 15-21), praebet « Statuta generalia Monialium » continentia novem Articulos qui in paragraphos subdividuntur [4]. Hanc subsequuntur (p. 21-24) fontes totius Constitutionis accuratissime expressi.

---

[1] AAS. XXXXIII (1951) 5-24.

[2] Cfr. Const. Apost., p. 5 (Numerus paginarum se refert ad eius editionem in AAS.).

[3] Const. Apost., p. 11.

[4] Commoditatis causa, haec tertia pars, quamvis omnino intra Constitutionem Apostolicam contineatur, citabitur: *Statuta.*

*Complementum* huius Constitutionis est Instructio S. C. de Religiosis « Ad Constitutionem *Sponsa Christi* in praxim deducendam », d. d. 23 eiusdem mensis Novembris 1950 [5].

**3.** Exinde sufficienter apparet laborem nostrum non in documentis enucleandis consistere, siquidem eorum sensus gradata successione determinatur; sed potius in systematica expositione, qua puncta ad idem argumentum pertinentia ex variis collecta locis synthetice proponantur.

## I. Legis subiectum

**4.** Constitutio « Sponsa Christi » cum inclusis Statutis adiuncta Instructione versatur *tota quanta et exclusive* circa *Moniales,* prout illae in Codice intelliguntur (can. 488, 7°). Hoc aperte exprimitur tam positive [6] quam negative [7] in articulo I° Statutorum. Sed hic continet insuper declarationem auctoritativam relate ad elementa essentialia status iuridici Monialium. Nam, ut expresse asserit, huic (suppositis conditionibus can. 488, 7°) nullo modo officiunt:

1) Professio simplex, *in Monasteriis* legitime emissa;

3) Clausura pontificia minor, quae *Monasteriis* sit praescripta vel rite concessa;

3) *Legitimum* exercitium operum apostolatus, quod *cum vita contemplativa coniunctum sit* [8].

---

[5] AAS. XXXXIII (1951) 37-44. — Sunt XXVII numeri cum subdivisionibus.

[6] Statuta, a. I § 1.

[7] Statuta, a. I § 3

[8] Statuta, a. I § 2.

## II. Necessitas et scopus novae legis

**5. Praenotanda.**

Consideranti cuilibet profunda discrimina nunc existentia inter varias *Monialium* classes, praesertim ex eo quod aliquae vitam pure contemplativam profitentur, aliae vero se operibus apostolicis pro posse devovent, non facile apparebit quaenam sint elementa *substantialia* generica, quae omnibus monialibus *communia* sint, non obstante praedicta diversitate, simulque earum omnium Institutum a Sororibus distinguant.

Inde necessitas auctoritative declarandi haec elementa ut Institutum iuridicum monialium clare delineatum sit.

Cui necessitati adiungitur alia, ab evolutione historica Monialium imperata, scil. *normae* omnibus *communes*, respondeant *elementis* vere *communibus;* aliaeque magis *peculiares* constituantur, *peculiaribus differentiis accommodatae,* ne continuis dispensationibus procedere oporteat, ex eo quod lex omnibus communis *de iure* (v. c. strictissimae clausurae), *de facto et habitualiter* multis applicari non posset.

Utraque necessitas scil. declarandi elementa vere essentialia, et constituendi normas tempori aptatas, elucet ex evolutione historica ubi tres gressus facile inveniuntur. Ex facto enim quod nonnulli Ordines et Monasteria substantialem evolutionem non habuerint, ideoque in primaevo stadio permanserint, sequitur actualis coexistentia duarum valde diversarum classium Monasteriorum.

**6. I. Evolutionum gressus.**

1. *Praecedens evolutio* Instituti Monastici apud foeminas Deo sacras, quae totalis fuit in Medio Aevo, vixque ullum vestigium reliquit anterioris stadii, produxit Sanctimonialium rigidum definitumque typum in paginis legum canonicarum et in scriptis asceticis insculptum.

Hic facile et quoad praecipua lineamenta, etiam fideliter receptus fuit, atque per plura saecula tenaciter retentus. Inde arcta compago in sacro Monialem instituto exorta est, quae fortiter innovationibus quibuslibet restitit semper [9].

2. *Novus gressus* habetur praesertim saeculo XVI abeunte, cum novae Monialium Ordinum formae inductae et ab Ecclesia pedetentim probatae fuerunt.

Hae novae fundationes:

a) ex una parte iuri monialium subiiciebantur quia vel ab initio earum institutionis, vel deinceps ad acceptandum Monialium commune ius vigens, ut vitam vere religiosam unice tunc pro mulieribus recognitam, profiteri valerent, adigebantur, seu moraliter cogebantur. Ideo vitam contemplativam canonicam profitebantur, et strictam clausuram pontificiam, propriae rationi vivendi aptatam, ex sententiis tunc vigentibus, aegre quidem sed sincere demum receperunt.

b) sed ex alia parte ipsius iuris renovationem diversis modis praeparabant. Nam quandoque divinum Officium recitandum non susceperunt (sic Ordo Visitationis), et multa apostolatus et caritatis opera quae cum suo sexu suoque statu iuridico consentanea habebantur, laudabili sollicitudine ut sui muneris partes fecerunt [10].

3. *Tertius* quidam *gressus* habetur ex eo quod innovationes habitae in constitutione novorum Ordinum, etiam ad antiquiores transierunt. Nam annis volventibus, non pauca Monasteria multorum Ordinum qui vitam contemplativam unice ex instituto suo sectabantur, opera apostolatus, probante ac prudenter moderante Sancta Sede, pluribus in locis receperunt.

**7.** II. *Discrimina exorta ex hac evolutione.*

Exinde sensim sine sensu obtinuit ut in communi Mo-

---

[9] Const. Apost., p. 8.

[10] Cfr. Const. Apost., p. 8/9.

nialium Instituto profundiore divisione exorta, duae quasi species haberentur, quae etiam nostris temporibus perspicue apparent:

*a*) Prima complectitur Ordines et Monasteria quae vitam solummodo contemplativam sectantur;

*b*) Altera, Ordines et Monasteria in quibus sive ex peculiari constitutione sive ex subsequentibus Apostolicae Sedis concessionibus, ad vitam contemplativam canonice probatam, apostolatus opera convenienter adiuncta sunt [11].

**8.** III. *Necessitas ulterioris accommodationis.*

Persentitur nunc haec necessitas in toto Monialium Instituto. Etenim:

a) *Ordines apostolici,* opera nunc exercent quae vix compatibilia vel prorsus incompatibilia sunt cum aliquibus e classicis clausurae pontificiae regulis. Ideo huius clausurae normae, retenta ipsius communi ratione, sapienter mitigari debuerunt.

b) *Ordines* tam *apostolici* quam *pure contemplativi* propter temporum adiuncta atque gravem egestatem qua saepe laborant, mitigationes seu largiores interpretationes, praesertim circa modum sibi procurandi necessariam sustentationem, quandoque exigere ac requirire visa sunt [12].

IV. *Distinctio* auctoritative proposita a Summo Pontifice *inter diversa elementa,* quae de facto inveniuntur nunc in vita Monialium, maximi momenti est ad hanc accommodationem prudenter faciendam.

*a*) quaedam enim ita propria ac necessaria sunt in Instituto Monialium, ut directe afficiant earum vitam contemplativam canonicam, primum ac praecipuum earum finem;

---

11 Const. Apost., p. 9.

12 Const. Apost., p. 9/10.

*b*) alia, etsi non necessaria sint, magnum momentum obtinent, utpote quae complent figuram canonicam Monialium in iure definitam, apteque publico Monialium fini respondent et ipsum securum faciunt;

*c*) alia denique adventitia sunt, ex adiunctis temporum tantum nata.

**9.** Inde patet *scopus* Constitutionis Apostolicae et *fundamentale criterium* quo subsequentia Statuta composita sunt, scil. ut *retentis* prorsus nativis ac potissimis elementis, *accommodentur* alia caute et prudenter ad hodierna adiuncta, unde maior in Instituto Monialium decor et efficacia [13].

## III. Vota sollemnia

**10.** Circa relationem inter Vota sollemnia et Institutum Monasticum, tria puncta praesertim enuntiantur, quorum duo priora votorum sollemnium valorem ac sensum in clara luce ponunt.

Nam *in primis haec asseruntur* esse nota *praecipua* Monialium [14], unde datae dispensationes ea in simplicia commutandi, (quarum dispensationum ratio, experientia teste, vix amplius apparet), restringi aut tolli debent.

Ideo et Monialibus reservantur sollemnes antiquae formulae Consecrationis Virginum, quae in Pontificali Romano habentur [15].

*Dicitur secundo* (quod ad ulteriorem evolutionem doctrinae circa vota sollemnia valde attendendum erit), illa « *arctiorem ac pleniorem quam alia publica vota Deo consecrationem* » secum ferre [16]; unde « non oportet Mo-

---

13 Const. Apost., p. 10/11.

14 Cons. Apost., p. 11. - Cfr. Statuta a. III § 1.

15 Statuta, a. III, § 3.

16 Const. Apost., p. 11.

niales *honore, merito* et *gaudio* privare vota sollemnia ipsarum propria emittendi »[17]. Itaque, quoad fieri potest, reinstauranda erunt[18].

Haec verba in ipso textu Constitutionis Apostolicae inveniuntur, et suadere videntur aliquid adesse in ipsis Votis sollemnibus quae *in ratione Consecrationis Deo factae,* et in consequenti ratione *meriti,* superat caetera vota publica etiam perpetua. Quod diversimode explicabitur iuxta diversas sententias circa naturam sollemnis Professionis[19].

*Tertio* autem *asseritur* accidere posse ut aliqua religiosa, vere Monialis dicenda sit, quamvis vota sollemnia personaliter, aut nondum emiserit, aut nunquam emissura sit, modo pertineat ad Monasterium in quo:

*a*) aut actu emittuntur vota sollemnia (sive ab omnibus religiosis sive a determinata earum classi);

*b*) aut saltem iuxta Institutum emitti deberent, licet actu, ex dispensatione S. Sedis, non emittantur[20].

### IV. Vita contemplativa

**11.** Elementum essentiale omnino servandum apud omnes Moniales est vita contemplativa[21]. Quod gravibus omnino verbis asseritur, cum eius momentum statuatur,

---

17 Const. Apost., p. 12.

18 Const. Apost., p. 12. - Statuta, a. III § 2.

19 Cfr. Wernz-Vidal III, n. 322.

20 Statuta, a. III § 1. - Praescindimus nunc a speciali positione qua inveniuntur relate ad hoc aliqui Coetus Religiosarum, ut ex. gr., Ursulinae Unionis Romanae. Nihil sane obstat quominus ulterior fiat accommodatio legum, intra ambitum generalium principiorum quae in Apostolica Constitutione proponuntur.

21 Inde nihil deducitur circa proportionem qua coetus contemplativi et activi in Ecclesia necessarii sint nostris temporibus. Sed illa vita contemplativa *necessario* exercenda est a Monialibus non tamen exclusive.

non tantum absolute sed etiam relative [22], quatenus caeteri labores et ministeria ita *subordinanda sunt* vitae vere et solide contemplativae, ut haec tam in Communitate quam apud singulas, « salva non tantum sit sed iugiter alatur ac roboretur » [23]. Ideo ipsa nova forma clausurae pontificiae minoris, quamvis mitigationem antiquae severioris clausurae importet, ita ordinatur ut vita contemplativa, etiam cum labores apostolici exercentur, *salva prorsus sit* [24].

Ex instituto igitur Ecclesiae, vita contemplativa *canonica* est elementum adeo essentiale vitae religiosae *monasticae* apud feminas Deo sacras, ut si illa sub rigida regulari disciplina habitualiter servari nequeat, character monasticus nec concedendus est, nec, si iam habeatur, retinendus. Ideo inter praecipua officia Adsistensis religiosi relate ad Foederationes Monasteriorum, suae curae commendatas, ponitur: « Curare ut genuinus spiritus vitae profunde contemplativae ... secure conservetur et augeatur » [25].

**12.** Hic conceptus vitae contemplativae *canonicae*, hactenus nondum delimitatus, proponitur in Statutis tamquam exterior professio disciplinae religiosae quae in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut eiusdem studio tota vita totaque actio et *facile valeat* et *efficaciter debeat* imbui.

Haec ordinatio habetur potissimum

*a*) ex clausura;

*b*) ex exercitiis pietatis, orationis, mortificationis;

*c*) ex laboribus quibus Moniales incumbere debent [26].

---

22 « ... ut *primum* atque *praecipuum* suum *finem* canonice *semper* et *ubique* profiteri debere ». (Const. Apost. p. 11).

23 Const. Apost., p. 11.

24 Instr., XI, 4°.

25 Statuta, a. II §§ 1 et 3; Instr., XXV, 3°.

26 Statuta, a. II § 2.

Vocatur *canonica* propter praedicta elementa *externa*, quae vitae contemplativae iuvamen efficax important, sed non sunt elementa constitutiva eius nec conditio sine qua non. Haberi namque potest, et de facto habetur extra Monasteria, interna et theologica vita contemplativa, ad quam invitantur animae omnes in Religionibus imo et in saeculo viventes, quamque apud se singulae ducere ubique valent.

**13.** Inter formas orationis proprias vitae contemplativae *canonicae* habetur oratio choralis.

Recitatio Divini Officii honor simul et gravis obligatio Monialium est.

Honor quia illae *solae* inter religiosas *deputantur ab Ecclesia* ad orationem *publicam* Deo *nomine ipsius Ecclesiae* effundendam sive in choro sive privatim [27].

A. Obligatio recitandi *in Choro* gravat:

*a*) Omnia [28] Monialium monasteria et quidem ita ut etiam in Monasteriis ubi nondum vota sollemnia instaurari possunt, Moniales vota perpetua simplicia loco sollemnium professae pensum Officii divini fideliter debeant absolvere. Cum hac recitatione coniungitur celebratio Missae Conventualis, quoad fieri possit [29].

*b*) Singulas Moniales quae vota emiserunt sive sollemnia sive simplicia [30].

B. Obligatio recitandi *privatim* relate ad Moniales quae a Choro abfuerunt:

a) *tenet* Moniales sollemniter professas;

b) *Non autem stricte* caeteras, nisi aliud *expresse* praescribant Constitutiones [31].

---

[27] Statuta, a. V § 1.

[28] Exceptis his quae iam ex Instituto non tenebantur ad Officium divinum. Dicitur in § 1: «Ad normam suarum Constitutionum»; Sic v. gr. Ordo Visitationis.

[29] Can. 610 § 4; Statuta, a. V § 4.

[30] Can. 610 § 1.

[31] Can. 610 § 3; 578, 2°.

## V. Clausura Pontificia

**14.** Clausura *pontificia* [32] sic dicta ex auctoritate a qua procedit et ex sanctionibus quibus munitur, instituta fuit tamquam medium ad tutiorem custodiam et sollemnis castitatis, et vitae contemplativae, ita ut Monasterium per separationem a saeculo eiusque periculis et contagiis « verum animarum claustrum evaderet in quo Moniales Deo liberius servire valerent » [33].

Est institutum peculiare Monialium, tamque necessarium olim existimabatur ut etiam novae Monialium formae apostolica opera profitentes, debuerint illam tandem « aegre quidem sed sincere » [34] recipere et quidem strictam, licet propriae rationi vivendi aptatam. Temporum adiuncta varias mitigationes postularunt, quae facilius conceduntur, tum quia opera apostolica secus vix aut ne vix quidem exerceri possent, tum etiam quia domiciliorum securitas atque sanctitas magis nunc in tuto posita sunt [35].

Nullo tamen modo intendit S. Sedes hanc clausuram pontificiam, adeoque diversam a clausura sororum supprimere; imo (et hoc maximi momenti est ad ostendendam mentem Ecclesiae) et *confirmatur* et *extenditur*, simulque *accommodatur*.

*Confirmatur* sollemniter relate ad monasteria quae illa habent de facto.

*Extenditur* autem caute ad illa quae hucusque propter legitime impetratas dispensationes non obligantur [36].

---

32 Constitutio Apostolica (non exclusis Statutis) praefert vocem « pontificia »; in Instructione vocatur « papalis ». Nos utraque voce sine distinctione utemur.

33 Const. Apost., p. 12.

34 Const. Apost., p. 9. - Typicum exemplum habetur in modo agendi S. Francisci Salesii in fundatione Ordinis Visitationis.

35 Const. Apost., p. 10.

36 Videbimus infra quomodo districtior sit haec obligatio quam illa imposita per Responsum Pont. Comm. ad Cod. interpr. d.d. 1 martii 1920 (AAS. 13 [1921] 178).

*Accommodatur* nostris temporibus, statuta differentia inter clausuram maiorem et minorem, quarum utraque est *vere pontificia*: et concessa largiore quadam potestate dispensandi.

**15. Necessitas** eius relate ad Moniales, proponitur duplici principio:

A. - *Relate ad emissionem Votorum sollemnium*: Clausura pontificia (sive maior sive saltem minor) est conditio adeo necessaria ut vota sollemnia emitti possint, ut si observari nequeat, vota sollemnia quae habeantur adimenda sint [37].

B. - *Relate ad conditionem iuridicam Monasterii*: Clausura pontificia omnino requiritur ut vera monasteria Monialium ad normam c. 488, 7° in posterum habeantur; secus illa in domum Congregationis vel Societatis mutanda erunt [38].

Inde in locis ubi Moniales vota tantum simplicia nuncupant, in posterum haec clausura observanda erit, si velint *Moniales* permanere; ideoque iam non viget principium quod subest Responso Pontificiae Commissionis (d. d. 1 martii 1921) scil. clausuram *papalem* non obligare *in Monasterio* nisi vota sollemnia ibi *actu* nuncupentur [39]; sed applicandum erit novum principium: Nullum Monasterium sine pontificia clausura.

**16. Distinctio** maximi momenti per hanc Constitutionem introducta, est inter clausuram *pontificiam maiorem* et *minorem*.

*Maior* est illa quae prius simpliciter papalis vocabatur, quaeque describitur in Codice cc. 600-602 [40].

---

[37] Statuta, a. IV § 4, 1° et 2°.

[38] Statuta, a. IV § 4, 1°; § 5, 1° et 2°.

[39] Cfr. Schäffer, De Religiosis, n. 1164.

[40] Statuta, a. IV § 2, 1°. - Cfr. Instr. S. C. de Religiosis (AAS., 16 [1924] 96-101).

Eam *nunc* retinebunt vel accipient Monasteria quae vitam contemplativam unice profitentur, i. e. quae non admittunt intra domus religiosae terminos opera stabilia educationis, caritatis, recollectionis, vel alia id genus [41].

Pauca circa ipsam notanda sunt: nam doctrina classica, additis nonnullis auctoritativis declarationibus clare exponitur in praefata Instructione, cum agit:

*a*) De Obligatione ipsa (VII);

*b*) De Indultis ac dispensationibus (VIII et IX);

*c*) De Poenis contra eam violantes (X);

Declarationes autem praesertim se referunt ad maiorem facilitatem in dispensationibus concedendis, sive in ipsis Constitutionibus et Statutis contineantur, sive ab homine dentur: retenta tamen substantia legis prout in Codice prostat. Sic clausurae observantia prudenter accommodabitur temporum necessitatibus adiunctisque locorum [42]. Nam ut in ipsa Apostolica Constitutione legimus: « Hodie, ut exemplum proponamus, Civium sensus quem socialem appellant, vix ferret nimis arctam can. 601 interpretationem, ne cum de Monialibus quidem contemplativis agitur » [43].

**17.** *Minor* autem, sic dicta ut a rigidiore distinguatur, est clausura pontificia temperata, atque hodiernis necessitatibus accommodata, in qua:

*a*) illa retinentur quae ad conceptum clausurae papalis necessaria atque insita sunt;

*b*) temperantur quae vix aut ne vix quidem observari possunt;

*c*) apte complentur quaedam quae ad clasuram pontificiam Codicis non adeo necessaria censentur (c. 599. 604 § 2) [44].

---

41 Statuta, a. IV § 2, 2°; Instr., V .

42 Statuta, a. IV § 2, 1°; Instr., VI.

43 Const. Apost., p. 10.

44 Const. Apost., p. 12.

De facto *retinentur* omnia praescripta quae vigent in Codice relate ad clausuram papalem *in genere,* quaeque proinde etiam viris regularibus applicabantur, praesertim circa ingressum personarum extranearum in locum Communitati destinatum..

*Temperantur* quae vigebant in Monasteriis Monialium, in quibus nulla erat pars domus religiosae ubi *simul* Moniales et externi convenire poterant.

*Complentur* elementa *essentialia* clausurae papalis addita prohibitione Monialibus facta exeundi extra septa Monasterii; et vetito ingressu personarum *etiam eiusdem sexus* in partem Communitati reservatam.

Haec duplex prohibitio reddit clausuram minorem Monialium longe strictiorem quam est illa Regularium, quamvis haec contineat elementa essentialia verae clausurae papalis.

**18.** *Illi obnoxia sunt* Monasteria Monialium votorum sollemnium quae, sive ex instituto sive ex legitima concessione, ita ministeria cum extraneis suscipiunt, ut plures religiosae et notabilis domus pars habitualiter in haec ministeria incumbant [45].

*Saltem* huius clausurae praescriptis subici debent omnia et singula Monasteria, etsi unice contemplativa, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur [46].

**19.** *Quid ergo intendit et obtinet* clausura papalis minor?

1° Regulas fundamentales clausurae Monialium, quatenus ipsa tam a clausura Congregationum (can. 604) quam etiam a clausura Ordinum virorum (cc. 598-599) longe distat, salvas relinquit;

2° Securam et omnibus patentem observantiam et custodiam castitatis sollemnis reddit;

---

[45] Statuta, a. IV § 3, 2°.

[46] Statuta, a. IV § 3, 3°.

3° Vitam contemplativam Monasterii protegit et efficaciter fovet;

4° Ministeria quae Ecclesia his Monasteriis consulto commisit, ita sub hac clausura papali minori cum vita contemplativa amice componit, ut haec salva prorsus sit, illaque rite et fructuose exerceri possint [47].

**20.** *Innovatio fundamentalis* in hoc instituto clausurae minoris in eo est, quod, praeter partem Domus Communitati exclusive reservatam, pars quaedam alia a priore clare perfecteque distincta, intra septa Monasterii sita habetur,ad quam sub certis conditionibus accedere possunt simul et moniales et personae externae.

Inde fit ut duo diversi casus considerari debeant quoad egressum Monialium ex parte Monasterii Communitati exclusive destinata; pariterque duo quoad ingressum extraneorum.

**21.** I. **De egressu Monialium.**

A. *Egressus a parte domus Communitati reservata ad alia loca intra septa Monasterii* posita et operibus apostolatus addicta.

1. Licet tantum:

*a*) iis religiosis quae, ad normam Constitutionum praescriptorumque S. Sedis, Apostolatui exercendo quomodolibet destinantur. Verbum « quomodolibet » in Instructione adhibitum magnam latitudinem secum fert, et merito: nam secus res innumeris scrupulis obnoxia esset. Cum tam diversa sint opera v. c. catechetica, curae infirmorum, domus exercitiorum, etc. determinatio fiet aptis Statutis pro unoquoque eorum.

*b*) ratione ipsius apostolatus;

*c*) ex venia Superiorissae; quae esse poterit ma-

---

[47] Instr., XI, 1°-4°.

gis minusve generalis, hisce vel illis conditionibus subordinata;

*d*) adhibitisque cautelis [48]. Quales hae erunt, multum pendet ex natura laboris et ex circumstantiis, ita v. c. ut in loco omnino patenti cum externis colloquantur; ut binae servitium praestent infirmis etc. Sapienter noluit Legislator minuta praescribere sed principia statuit unde legitime postea dentur normae singulis Monasteriis accommodatae.

Moniales *illegitime* ad illam partem domus egre*dientes*, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate culpae puniendae sunt [49]. *Gravitas culpae* dimetietur ex fine ad quem illegitimus accessus ordinatur, ex reincidentia, ex scandalo, ex perturbatione internae disciplinae, etc. *Illegitime* egrediuntur tam illae quibus egressus numquam licet, quam illae quibus tantum sub certis conditionibus, in casu neglectis, exitus permittitur.

Communiter punitio fiet a Superiorissa; sed si ipsa deliquerit aut negligens sit, aut cum imponenda sit poena quam ipsa decernere nequit, Ordinarius loci interveniet. Ipsi ut patet semper praesto est facultas puniendi transgressores.

**22.** B. *Egressus Monialium extra septa Monasterii.*

1. Post professionem *vetatur* per se graviter, sicut pro Monialibus clausurae maiori subiectis [50].

2. Concedi possunt *dispensationes*:

*a*) ratione apostolatus;

*b*) Monialibus tantum aliisque sodalibus quae ministeriis sunt legitime adscriptae;

*c*) Onerata graviter conscientia Superiorissarum, Ordinariorum et Superiorum quibus clausurae tutela commissa est [51].

---

[48] Instr., XIII, 1°.
[49] Instr., XIV, 2°.
[50] Instr., XII, 2°.
[51] Instr., XIII, 2°. - Cfr. can. 603.

3. Illegitime factus *plectitur* excommunicatione ipso facto incurrenda, Sanctae Sedi ad normam can. 2342, 3°, vel ex expressa concessione Ordinario loci reservata [52].

Hic etiam evidenter apparet sollicitudo Legislatoris in retinendo uno ex elementis substantialibus clausurae propriae Monialium; ita tamen ut per maiorem facilitatem in dispensationibus concedendis, quas natura laboris apostolici exigere potest, haec clausura pontificia, dicenda sit *minor*.

**23.** II. **De ingressu extraneorum.**

A. *Ingressus extraneorum in partem Monasterii operibus apostolicis legitime destinatam.*

1. Habitualiter licet:

*a*) Alumnis et alumnabus;

*b*) Aliis in quorum favorem ministeria exercentur;

*c*) *Mulieribus tantum* quae ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent [53].

Potest sane fieri ut ministeria etiam ad viros legitime destinentur. Tunc in ipsa approbatione talis laboris apostolici (v. c. nosocomii) Auctoritas Ecclesiastica probat ingressum virorum in partem Monasterii huic operi destinatam.

Sed viri ad quos opera approbata non destinantur, nequeunt *per se* accèdere ad partem monasterii ubi haec opera exercentur, quamvis aliquam connexionem cum ipsis habeant. Ita vi huius n. 1 ab ingressu prohibetur pater alicuius alumnae qui informationes a Moderatrice circa ipsam accipere vult. E contra talis accessus liceret matri puellae.

Dixi *vi n. 1;* nam in aliis casibus quos Ordinarius

---

[52] Instr., XV, 1°.

[53] Cfr. Instr., XIV, 1°.

loci iudicet necessarios, etiam relate ad viros, valet norma numeri sequentis.

2. In aliis casibus necessariis v. g. quia a lege civili visitationes ratione inspectionum, examinum, aliisve de causis imponi solent, Ordinarius loci generali seu habituali declaratione definiat quid permitti possit [54].

3. In casibus non comprehensis praecedente declaratione:

*a*) exigitur *expressa* concessio Ordinarii;

*b*) supposita vera necessitate in singulis casibus;

*c*) appositis ab ipso Ordinario ex conscientiae officio prudentibus cautelis [55].

Discrimen inter hunc numerum et praecedentem in eo stat, quod hic considerantur casus non habituales ideoque non comprehensi generali illa declaratione. « In singulis casibus » non significat ad singulas vices, nam etsi casus quoad speciem sit extraordinarius, postulari potest iteratus ingressus quem unico actu Ordinarius concedere valet.

4. Si illegitime fiat:

*a*) puniri debent severe pro gravitate culpae ab Ordinario loci ubi Monasterium adest;

*b*) tam illegitime ingredientes, quam eos introducentes vel admittentes [56].

**24.** *B. Ingressus extraneorum in partes domus Monialium Communitati destinatas* et legitime clausurae subiectas (c. 597).

1. Vetita est quibuslibet personis Communitati extraneis cuiusvis generis, conditionis, sexus atque aetatis, ad normam can. 600 [57].

2. Si illegitime fiat:

---

[54] Instr., XIV, 2°.
[55] Instr., XIV, 3°.
[56] Instr., XV, 4°.
[57] Instr., XII, 1°.

*a*) tam ingredientes quam eos introducentes vel admittentes;

*b*) incurrunt excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam [58].

Habetur ergo quoad hoc perfecta paritas inter clausuram maiorem et minorem.

**25.** III. Adduntur denique *duae normae generaliores*:

1. *Dispensationes,* clausurae papalis ex regula reservantur S. Sedi, exceptis casibus in iure admissis [59].

2. *Facultates plus minus* latae, prout adiuncta exigere videantur, sive ab homine, sive a iure in Constitutionibus et Statutis possunt Ordinariis delegari [60].

## VI. Vita apostolica

**26.** Principium fundamentale circa exercitium Apostolatus proponitur in prima parte Constitutionis « Sponsa Christi » [61].

Perfectio vitae christianae specialiter in caritate posita est; et caritas perfecta erga Deum coniungi debet cum perfecta caritate erga proximum; quae, cum agitur de bono spirituali ipsius, exercitium vitae apostolicae secum fert. Vocatio ergo Monialium, utpote tota quanta ad perfectionem acquirendam ordinata, debet esse plene totaque apostolica.

Erraret tamen vehementer qui exinde deduceret vitae pure contemplativae semper substituendam esse vitam mixtam cum exercitio externi Apostolatus; nam verus Apostolatus *duplicem* admittit *formam*:

---

58 Instr., XV, 3°.
59 Instr., XVI.
60 Instr., XVI.
61 Const. Apost., p. 14.

*A. Una est communis omnibus Monialibus.*

1. Haec tribus praecipue *instrumentis Apostolatus* utitur:

*a*) exemplo christianae perfectionis: nam earum vita, etiam sine verbis, alte tamen loquitur; ex eo quod lux huius vitae, oratione et sacrificio plenae, coram hominibus lucet, eos quoque illuminat;

*b*) precatione privata et publica;

*c*) studio se devovendi, ita ut afflictionibus ex vita communi, ex observantia regularum, aliisque voluntarie superadditis, generose illa impleantur quae desunt Passionum Christi Iesu, pro corpore Eius, quod est Ecclesia.

Inde intelligitur cur etiam in locis Missionum talia monasteria pure contemplativa a Missionariis experientia plenis vehementer exoptentur.

2. Haec sola ratio Apostolatus habitualiter servatur a Monalibus vitam *pure contemplativam* profitentibus.

Tales dicendae sunt quae neque ex Ordinis probatis constitutionibus, neque ex traditione, externum Apostolatum cum vita contemplativa *iugi constantique* ratione coniunctum habuerunt [62]. Denominatio enim sumitur ab *habituali* procedendi modo, nam vix Institutum aut Monasterium invenies in quibus *transeunter* propter peculiaria adiuncta, sive publicarum calamitatum, sive persecutionum, una alterave praxis apostolica exculta non fuerit.

*B. Altera forma* addit opera externa apostolica ad illum generalem et essentialem Apostolatum de quo supra.

Relate ad ipsam distinguendae sunt, secundum historicam evolutionem, *diversae Monialium classes, quibus diversae applicantur normae.*

1. Moniales quae iam iuxta naturam proprii Instituti (sive ex Constitutionibus sive ex aliis praescriptis

---

[62] Statuta, a. IX § 2, 2°.

legitimis) habent definita opera specialis Apostolatus, iis exercendis sese fideliter consecrare tenentur [63].

2. Moniales quae ex Instituto vitam contemplativam unice profittentur, sed in propriis traditionibus aliquam externi apostolatus specialem formam acceptam habent:

*a*) si haec de facto exercetur, eam fideliter retineant;

*b*) si eam olim habuerint et perdiderint, ipsam restituere diligenter curent.

*c*) In utroque autem casu:

1° salva semper sit *ipsarum vita contemplativa.* Nam vita contemplativa in genere est propria et essentialis omnium Monialium. Modus autem exercendi talem vitam pertinet ad characterem proprii Instituti, cuius elementa essentialia vult S. Sedes ut intacta permaneant.

2° Forma Apostolatus sit aptata hodiernis nenecessitatibus iuxta placita S. Sedis [64]. Potest enim accidere ut opera apostolica olim in usu (v. c. educatio puellarum in rigida forma claustrali) nunc aut obsoleta aut saltem minus utilia evaserint.

3. Moniales quae *de iure et de facto* sunt *unice* contemplativae, exerceri *poterunt* aut etiam ex caritate *debebunt* in apostolatu, sed cum quadam *restrictione* scil.:

*a*) in casibus necessitatis;

*b*) ad limitatum tempus;

*c*) praesertim in apostolatus formis singularibus et personalibus quae compatibiles sint cum vita contemplativa *prout in Ordine servatur;*

*d*) iuxta criteria figenda a S. Sede [65].

---

[63] Statuta, a. IX § 1.
[64] Statuta, a. IX, § 2, 1°.
[65] Statuta, a. IX, § 2, 2°.

Remanet ergo habitualis quaedam forma vitae stricte contemplativae; quae tamen, *salva eius substantia* (de quo S. Sedes auctoritative iudicat) *in casibus necessitatis congruentem* Apostolatum exercere *poterit* aut *debebit.*

### VII. Labor monasticus

**27.** Doctrina ascetica circa laborem, non tantum in genere sed etiam in peculiaribus adiunctis Monialium, profunde exponitur in prima parte Constitutionis Apostolicae (p. 13); ulteriores autem normae canonicae ac practicae determinationes locum habent sive in Statutis sive in Instructione. Quae omnia synthetice colligimus.

**28.** I. **Intelligitur** *labor sive manuum sive animi.* Unde mens S. Sedis non est laudes et obligationem restringere ad solum manualem, qui fiat more operariorum. Erit ergo etiam studium, munus docendi, exercitium pulchrae artis, etc.

II. **Obligat** ex lege naturali, ideoque urget etiam Moniales vitae contemplativae deditas [66]; quae, duplici obligatione tenentur:

*a*) Ut frontis sudore honeste sibi lucrentur panem quo vivant;

*b*) Ut sese in dies habiliores reddant ad diversa opera prout tempora exigunt [67].

III. **Natura sua** est:

1. *Officium* paenitentiae ac satisfactionis;

2. *Instrumentum* quo animus, et a periculis servatur, et ad altiora evehitur;

3. *Cooperatio* nostra cum divina Providentia naturali et supernaturali;

4. *Instrumentum* operum caritatis;

5. *Norma* ac lex praecipua vitae religiosae iam ab originibus.

---

[66] Statuta, a. VIII, § 1.

[67] Statuta, a. VIII, § 3, 2°.

IV. **Animi dispositio:** Religiosae debent laborem:

1. *Suscipere* sancto proposito et ex oboedientia;

2. *Exercere* in praesentia Dei;

3. *Coniungere* cum voluntaria sui castigatione.

V. **Fructus eius,** si sic exerceatur erunt:

1. *Exercitatio* potens ac constans omnium virtutum;

2. *Pignus* suavis efficacisque coniunctionis vitae activae ac contemplativae;

3. *Imitatio* Familiae Nazarethanae.

**29.** VI. **Modus** illum exercendi:

1. Exerceri debet quatenus fieri potest *secundum Regulas,* Constitutiones diversorum Ordinum [68].

2. *Non semper tamen* sic fieri poterit. Nam urgentes vitae necessitates moraliter quandoque cogent Moniales:

*a*) ad alios praeter consuetos labores quaerendos vel acceptandos;

*b*) ad horaria modificanda;

*c*) ad augendum tempus labori dicatum [69].

3. *Norma* in his mutationibus faciendis proponitur prudentissima:

a) *Negativa*:

1° *Non anxie*: propter nimiam temporalem sollicitudinem. Labor est cooperatio cum Divina Providentia, sed fiducia in Eius paterno adiutorio numquam deserenda est.

2° *Non leviter*: ideoque nec propter merum mutationis desiderium, nec sine ratione ita gravi ut iustificet mutationem normae regularis.

3° *Nec ex arbitrio*: quapropter si mutationes inducendae superent potestatem Superiorissae vel Capi-

---

[68] Statuta, a. VIII § 1.

[69] Instr., XXVI, 1°.

tuli in dispensationibus concedendis a praescriptis Instituti, competens auctoritas ecclesiastica adeunda erit.

b) *Positiva*: quantum necessarium seu conveniens reapse demonstretur.

4. *Spiritus* autem quo tales mutationes peragi et acceptari debent duo complectitur:

a) *sensum fidelitatis* litterae et traditionis;

b) *subiectionem* promptam, humilem, filialem, permissionibus et ordinationibus Divinae Providentiae.

Haec autem submissio, quam re vera exercent in similibus adiunctis Christifideles, propriissima est verae religiosae [70].

Si haec moderatio habeantur in mutationibus faciendis certe nihil substantiale, sive spiritus sive modi vivendi, proprii Instituti amittetur. Quaedam certe accidentalia aut adventitia peribunt, sed longe meliorem compensationem obtinebunt, tam in spiritu submissionis erga Deum, quam in exercitio laboris *ex necessitate* ideoque *more pauperum.*

5. *Ratio* ergo *laboris* attendere debet:

a) *ad propriam necessitatem,* ita ut Monialibus necessarium victum quaerat simul cum aliis rationibus ab Ecclesia probatis; inter quas commemoranda veniunt tam dos quam alia bona quae Monasterio obveniunt ratione Monialis post sollemnem ipsius professionem, et cum subsidiis a Divina Providentia suppeditatis [71].

b) *ad communem utilitatem,* egenorum, societatis civilis, totius Ecclesiae.

**30. VII. Superiorum cura.**

Ut talis effectus obtineatur:

1. Superiores (i. e. Ordinarii locorum, Superiores regulares, quatenus ipsis Moniales subduntur, et Supe-

---

[70] Cfr. Instr., XXVI, 1°, 2°.

[71] Statuta, a. VIII § 2.

riorissae Monasteriorum ac Foederationum) omnem tenentur diligentiam adhibere ut necessarius, adaequatus et proficuus labor numquam Monialibus desit [72].

2. Potissimum eis assignatur munus:

*a*) Quaerendi diligenter fructiferum laborem Monialibus quae ipso egeant;

*b*) Invigilandi ordini et perfectioni eius;

*c*) Exigendi iustum praetium;

*d*) Procurandi coordinationem inter diversa Monasteria ut, vitata qualibet aemulatione, sese ad invicem adiuvent, suppleant, compleant [73].

3. Prima functio quaerendi « omnibus modis » illum opportunum laborem, facilius saepe exercetur « utendo commissionibus piarum mulierum aut virorum, imo caute et prudenter societatibus externis ad hoc constitutis » [74].

## VIII. Foederatio Monasteriorum

**31.** Typus primigenius Monasterii sub Regula S. Benedicti, cum perfecta autonomia quoad gubernationem, et plena stabilitate membrorum intra eius septa, mansit, ut plurimum, exemplar relate ad Monasteria Monialium; earum etiam quae intime connectebantur cum Ordinibus Mendicantibus. Ita factum est ut regiminis ratio, qua singulae domus Provinciis coniunguntur, quarum complexus sub auctoritate Superioris Generalis posita est, vigens in multis virorum Ordinibus, aliena sit a Monasteriis Monialium etiam eiusdem Ordinis. Insuper, multis de causis factum est ut Monasteria quaedam subiecta immediate sint Praelatis regularibus, dum alia sub eadem Regula constituta, subiciantur Ordinariis loci. Hic autem

---

72 Statuta, a. VIII § 3, 1°.

73 Instr., XXVII, 1°-3°.

74 Instr., XXVII, 1°.

praeterea, vi iuris communis, gaudent determinatis facultatibus in omnes Monialium domus.

Ex historia patet quomodo Monasteria virorum saepe Monasticas Congregationes efformaverint, quarum ope mutuum iuvamen promovebatur, retenta tamen fundamentali autonomia quoad regimen, ideoque sine illa arcta connexione ac compagine, quae apud domos Mendicantium et Clericorum Regularium viget, quaeque communiter habetur in recentioribus Congregationibus tam virorum quam foeminarum.

Nunc autem S. Sedes, mutatis historicis adiunctis quae via facti plenissimae independentiae Monasteriorum apud Moniales locum dederunt, maiorem inter ipsas communicationem promovet; sed moderatione sapientissima non ipsis ut exemplar proponit regimen quod apud Sorores in usu est, sed via quadam media procedit, eis *Foederationes* commendando.

**32.** Normae autem quae sequuntur ad Foederationes constituendas, his qualitatibus ornantur:

*a*) Foederationem, additis validis rationibus, commendant; eam tamen per se non imponunt;

*b*) Autonomiam essentialem uniuscuiusque Monasterii, etiam intra Foederationem, intactam relinquunt;

*c*) Iura Ordinarii loci vel Superioris regularis relate ad singula Monasteria, non tangunt;

*d*) Nullam determinatam formam Statutorum imponunt; sed praevident haec multiformia esse debere;

*e*) Sanctae Sedi ultimatim relinquunt supremum regimen Foederationum *qua talium.*

Haec certe prudenter constituta, dum timoribus subitaneae mutationis parcunt, viam apertam relinquunt ut, experientia duce, ulterius evolutio progrediatur.

I. *De motivis Foederationem suadentibus.*

**33.** Ratio cur tam disserte de foederatione nunc ser-

mo fiat praebetur ab ipso Summo Pontifice: « Mutatis rerum adiunctis, plura iam suadent, ac non raro postulant, Monasteriorum Monialium consociationem ». *Rationes* praecipuae enumerantur [75]:

a) *Facilior ac convenientior officiorum distributio,* quae potissimum habetur, supposita facultate et morali obligatione a Monasteriis foederationis suscepta certis normis in Statutis definitis, petendi ac mutuo sibi concedendi Moniales quae ad regimen et formationem necessariae esse possunt [76];

b) *Translatio religiosarum ab uno ad aliud monasterium* quae in foederationibus utilis ac saepe necessaria est, *saltem ad tempus,* ratione infirmitatis aliusve moralis vel materialis necessitatis sive Monasteriorum sive Monialium [77].

Sic absoluta stabilitas, hucusque vigens, prudenter temperatur; et data possibilitate translationis, non ex levitate sed seria ratione facta, multa incommoda valetudinis tam corporalis quam praesertim psychicae, quae hactenus nullum levamen obtinere poterant, facilius disparent;

c) *oeconomicum iuvamen;*

d) *laborum coordinatio;*

e) *observantiae communis conservatio,* defensio, incrementum [78]. Haec iam maxime habebuntur ex eo quod institutio religiosarum in quodam communi Noviciatu, saepe accuratior erit, non solum in re spirituali sed etiam in aliis disciplinis, quae ad vitam monasticam summi momenti erunt [79];

---

75 Const. Apost., p. 13.

76 Statuta, a. VII § 8, 3°; Instr., XXII, 3°. - Haec accurate constare debent in Statutis uniuscuiusque Foederationis (Cfr. Instr., XXIV).

77 Statuta, a. VII § 8, 3°; Instr. XXII, 4°.

78 Statuta, a. VII § 8, 2°; Instr. XXII, 1°.

79 Statuta, a. VII § 8, 3°; Instr. XXII, 2°.

f) *aliaque id genus* [80]. Unde praecedens enumeratio minime ut taxativa haberi debet.

**34.** Ita ex foederatione, per fraternum adiutorium *canonice sancitum* quod secum fert, non solum praecaventur plura mala et incommoda quae ex plena separatione oriri possunt, imo et solent [81], sed tota vita religiosa provehitur [82]. Ratio ergo ultima Foederationum est suprema lex Charitatis.

Sed praecise quia ad charitatem promovendam ordinantur, ita etiam ex charitate procedere debent Monasteriorum foederationes. Ideo non praecipiuntur ex regula generali. Sed a Sede Apostolica valde commendantur.

Potest tamen accidere ut rationes ex quibus in genere commendantur, ita in casibus particularibus urgentes sint, ut omnibus perpensis a S. Congregatione ipsae tamquam necessariae existimentur [83]. Tunc enim per maternam S. Sedis providentiam, Foederatio imponi potest his Monasteriis apud quos illae rationes urgeant, tamquam medium necessarium ad proprium bonum, quod iam ipsa ex charitate erga se debuissent eligere.

### II. *De Constitutione Foederationum.*

**35.** Constitutio cuiuslibet formae Foederationis inter Monasteria vel Confoederationis Foederationum, pertinet exclusive ad Sedem Apostolicam. Quoniam earum Statuta ab ipsa Sancta Sede debent probari, ipsaeque (*quatenus Foederationes sunt*) directe a Sede Apostolica reguntur [84], triplex titulus habetur unde dicendae sint

---

80 Instr., XXII, 1°.

81 Instr., XVII.

82 Statuta, a. VII § 2, 2°.

83 « Plura iam suadent ac non raro postulant » (Const. Apost., p. 13; Statuta, a. VII § 2, 2°; Instructio, XVII.

84 Statuta, a. VII § 3; Instr., XXIII, 1°; XXV.

Iuris Pontificii ad normam Iuris Canonici (c. 488, 3°) scil.: fons unde proveniunt; leges, quibus reguntur; auctoritas a qua directe dependent [85].

**Praecipuae normae** ad foederationes constituendas sunt:

1. Ut si iam ex mente Fundatoris vel ex alia ratione aliqua exstiterit veluti *inchoatio* unionis vel foederationis inter Monasteria ipsius Ordinis vel Instituti, ipsa foederatio ita perficiatur ut ratio habeatur illorum quae prius iam recepta vel adumbrata erant [86]. Ita suavior et efficacior erit.

2. Foederationes, ut plurimum, sint *regionales,* ad facilius regimen [87]; insuper quia communicatio mutuumque adiutorium de quo supra, longe facilius habentur si non nimium distent; denique Statuta facilius poterunt normas concretas continere.

3. Sint *homogeneae*:

*a*) quatenus componantur Monasteriis eiusdem Ordinis eiusdemque internae observantiae;

*b*) etsi non necessario eiusdem subiectionis Ordinario loci vel Superiori regulari nec eiusdem classis Votorum vel formae clausurae [88].

Elementa namque sub *b*) posita, quamvis magni momenti sint ad vitam uniuscuiusque Monasterii, impedire nequeunt, quamvis diversa sint, veram unitatem Foederationis, si in aliis conveniant. Etiam Monialium translatio earumque adaptatio vitae novi Monasterii facilior erit, si in utroque vigeat idem spiritus asceticus et eadem ratio sit quoad regularem observantiam.

4. Admitti possunt *Confoederationes* Foederatio-

---

85 Statuta, a. VII § 6.
86 Instr., XIX.
87 Instr., XXIII, 2°.
88 Instr., XXIII, 3°.

num regionalium si hoc suadeant: necessitas, magna utilitas vel Ordinum traditiones [89].

III. *De regimine uniuscuiusque Monasterii intra Foederationem.*

**36.** Cum autonoma constitutio Monasteriorum tam altas radices egerit, Constitutio « Sponsa Christi », iterum atque iterum asserit ipsam sartam tectamque intra ipsas Foederationes permansuram. Quod sapienter stabilitur ne praepropera mutatio damnosa sit; et prudenter repetitur, ne timor proprium regimen amittendi Monasteria retrahat ab ineundis Foederationibus. En doctrina proposita:

1. Asseritur factum autonomiae, seu quod idem est, Monialium Monasteria secus ac aliae religiosae mulierum domus, ex Codice et ad ipsius normam sui iuris sunt [90]; iuridice distincta et ad invicem independentia, nullis vinculis praeter quam spiritualibus ac moralibus, inter se unita ac devincta, etsi eidem primo Ordini vel religioni iure sint subiecta [91]; et singulorum Antistitae sunt superiores maiores [92].

2. Consociatio Monasteriorum, prout constat ex experientia, fieri potest ita ut necessariae autonomiae non derogetur [93]; nec naturae et finibus vitae religiosae Monialium ullum inferatur praeiudicium [94];

3. Imo et per se haec autonomia in suis constitutivis essentialibus (nam quaelibet ratio Foederationis exigit quandam diminutionem autonomiae in accidentalibus) inviolata esse debet etiam intra Foederationem. Unde:

---

89 Instr., XXIII, 4°.
90 Statuta, a. VI § 1, 1°.
91 Statuta, a. VII § 1.
92 Statuta, a. VI § 1, 2°.
93 Const. Apost., p. 13; Statuta, a. VII § 2, 1°.
94 Statuta, a. VII § 2, 1°.

*a*) Autonomiae derogationes praesumendae non sunt;

*b*) Concedi tamen valent:

1° praevio singulorum Monasteriorum consensu;

2° si graves causae id exigere vel suadere videantur [95].

4. Si autem Autonomiae derogationes tales sunt ut ad rationem regiminis centralis accedant, S. Sedi speciali modo reservantur, nec sine expressa Ipsius concessione institui possunt [96].

5. Dependentia singulorum Monsteriorum, sive ab Ordinario loci sive a Superiore regulari, coexistere omnino potest cum vinculo Foederationis [97] Imo ex expressa voluntate S. Sedis intacta permanet etiam post Foederationem constitutam; quod iterum iterumque repetitur ne dubitationibus detur locus [98].

IV. *De Regimine Foederationum.*

**37.** Supposita ingenti diversitate, tum causarum quae in concreto movent ad Foederationem efformandam in singulis casibus; tum Monasteriorum eam constituentium, nihil mirum est si principia tantum generalia enuntiantur, tam de Legibus Foederationum quam de earum regimine.

A. *De Statutis Foederationum*:

1. Ordinatio et regimen uniuscuiusque Foederationis debet fieri specialibus legibus [99], ante erectionem [100] a S. Sede probatis [101].

---

95 Instructio, XXIII, 5°.

96 Statuta, a. VII § 5, 2°.

97 Instr., XVIII.

98 Statuta, a. VI § 2, 2°, 3°; Instr., XX.

99 Statuta, a. VII § 4.

100 Instr., XXIV.

101 Const. Apost., p. 13; Statuta, a. VII § 4; Instr., XXIII, 1°; XXIV.

2. Haec Statuta:

*a*) ex una parte erunt conformes normis elaborandis a S. C. de Religiosis;

*b*) et ex alia naturae, legibus, spiritui et traditionibus sive asceticis, sive disciplinaribus sive iuridicis et apostolicis proprii Ordinis [102].

3. Inter praecipuas materias in ipsis determinandis numerantur:

*a*) Fines uniuscuiusque Foederationis et media apta ad illos assequendos [103];

*b*) Ius Constitutionale, quo ordinetur tam regimen Foederationis ut talis, quam novitiatus aliorumque operum communium [104];

*c*) Normae ad mutuam concessionem Monialium, tum quoad iura et officia inter Monasteria, tum quoad iuridicam conditionem Monialium quae transferantur [105];

*d*) Oeconomica cooperatio ad opera communia [106].

B. *De regimine ipsius Foederationis.*

1. Incolumi generatim iure in singula Monasteria qua talia, *possunt* in Foederationibus Statutis aliqua iura circa Foederationem ipsam Ordinariis locorum vel Superioribus regularibus concedi, quae ex regula eisdem non competerent [107]. Cum Foederatio non subiaceat praecedentibus Iuris normis sitque quid novum, patet hos Praelatos nullam habere iure proprio auctoritatem erga ipsam. Sitne opportunum talem auctoritatem ipsis praebere, pendet ex adiunctis, ideoque totum relinquitur S. Sedi determinandum. Norma tamen generalis proponitur potius numero sequenti.

---

102 Statuta, a. VII § 8, 1°.
103 Instr., XXIV, 1°, 3°.
104 Instr., XXIV, 2°, 7°.
105 Statuta, a. VII § 8, 3°; Instr., XXIV, 4°, 5°.
106 Instr., XXIV, 6°.
107 Instr., XXI.

2. *Per se* Foederationes *ut tales* immediate subiciuntur S. Sedi [108], in iis omnibus in quibus Religiones mulierum iuris pontificii eidem S. Sedi directe subiecta sunt, nisi aliquid legitime et expresse excipiatur [109].

3. Sedes Apostolica immediatam vigilantiam et auctoritatem in Foederationes exercere *poterit* per aliquem Adsistentem religiosum [110], habitualiter vel ad casum delegatum [111], nominatum a S. Congregatione, auditis ad normam Statutorum illis quorum interest [112].

4. *Officium Adsistentis ecclesiastici* in singulis casibus in documento nominationis accurate definiendum, erit praesertim [113]:

*a*) S. Sedem repraesentare;

*b*) Conservationem genuini spiritus vitae profunde contemplativae et proprii Ordinis fovere;

*c*) Superiorissas in recto ac prudenti Foederationis regimine opera et consilio adiuvare; maxime circa institutionem tam noviciarum quam aliarum religiosarum; et in rebus oeconomicis maioris momenti Consilio adsistere.

## Conclusio

**38.** Ex hac synthetica expositione facile apparebit novam ordinationem totius Monastici Instituti relate ad foeminas Deo sacras, maximi momenti esse, quatenus prudentes quidem sed profundas innovationes continet, quibus urgentibus necessitatibus satis fit, et multiplices defectus adaptationis ad praesentes circumstantias, diu iam patentes, vitantur.

---

108 Statuta, a. VII § 7; Instr., XXIII, 1°.
109 Instr., XXIII, 1°.
110 Statuta, a. VII § 7; Instr., XXV, 1°.
111 Instr., XXIII, 1°.
112 Instr. XXV, 2°.
113 Statuta, a. VII § 7; Instr., XXV, 3°.

Sed insuper, quod attente considerari debet, ad momentum Apostolicae Constitutionis ponderandum, hae innovationes locum novis experientiis certe dabunt, sicque ulterior praeparabitur evolutio, qua, intactis sane maximis vitae religiosae contemplativae principiis, vita intensior et efficacior florebit apud Moniales, unde earum fructus maiores adhuc erunt intra Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia.

PETRUS M. ABELLÁN S. I.

## 3 - S. S. C. S. Officii

(*AAS.* XXXXIII [30 ian. 1951] p. 91)

### DECRETUM

*Feria IV, die 20 Decembris 1950*

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione utrum liceat catholicis nomen dare Associationi, quae vulgo nuncupatur « *Rotary Club* ».

E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in Plenario Consessu Feriae IV, diei 20 Decembris 1950, respondendum decreverunt:

« Clericis non licere nomen dare Associationi « *Rotary Club* » vel eiusdem coetibus interesse; laicos, vero hortandos esse ut servent praescriptum can. 684 C. I. C. ».

Et die 26 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. U. Pius divina Providentia Papa XII in audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit atque publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 11 Ianuarii 1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

### Annotationes

1. Pluries S. Sedes de « Rotary Clubs » in decursu temporis egit; Responsum generalem datum est die 4 Febr. 1929 a S. Congr. Consistoriali, a qua non pauci sacrorum Antistites, pro sua pastoralis officii religione, exquisierant: « *An Ordinarii permittere possint clericis ut nomen dent Societatibus, hodiernis temporibus consti-*

*tutis, quibus titulus « Rotary Clubs », vel ut eorundem coetibus saltem intersint* ». — S. Congr. Consistorialis, re mature perpensa, respondendum censuit: *Non expedire.* (cf. AAS. 21 (1929) pg. 42; « Periodica » 18 (1929) pg. 106). Recens S. Officii Decretum ultra progreditur et quoad clericos statuit: « Clericis *non licere* nomen dare Associationi « Rotary Club » vel eiusdem coetibus interesse ». Secundum ordinarias interpretationis regulas hoc vetitum non respicit nisi ipsam *Associationem Rotary Club,* non includit alias associationes vel opera adnexa, quae *ipsa non sint* « Rotary Club » neque coetus *ei proprii,* (licet forte per Rotary Club convocati et instituti). Utrum necne clerici huiusmodi affinibus associationibus et coetibus nomen dare vel interess licite valeant, non ex novo Decreto, sed aliunde (secundum ordinaria principia) dijudicari debet. A priori neque simpliciter *affirmative* neque simpliciter *negative* responderi potest, sed quaestio ex obiecto, ex fine, ex circumstantiis dijudicari debet. In memoria revocare hic iuvat « Monitum » S. Officii d. d. 5 Junii 1948 de non habenda parte in « mixtis conventibus » catholicorum et acatholicorum, necnon correspondentem « Instructionem » de « Motione Oecumenica » d. d. 20 Dec. 1949. Clericis (et laicis) fuit interdictum his conventibus mixtis sine praevia S. Sedis venia interesse. Nihilominus in allegata « Instructione » (n. 15) explicite declaratum fuit: Monitum eiusque prohibitionem non respicere « eos conventus catholicorum et acatholicorum mixtos, in quibus non agitur de rebus fidei et morum, sed deliberatur, quanam via collatis viribus *principia fundamentalia iuris naturae* vel religionis christianae defendantur contra colligatos hodie Dei inimicos, vel *agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus* »; addita tamen dein monitione « Quibus etiam in conventibus, ut evidens est, catholicis non licet aliquid probare vel concedere quod cum divina revelatione et Ecclesiae, in re sociali quoque, doctrina

non congruat ». Haud difficile patet quomodo haec regula, adaptatis adaptandis, ad clericorum participationem in affinibus Rotary Clubs societatibus et coetibus aplicari possit.

Quod si alicubi finis Associationis Rotary Club proprius et principalis est « agere de negotiis commercialibus, oeconomicis, professionalibus » ut talibus, ex rei natura apparet: esse extra munus et missionem sacerdotis hisce negotiis se immiscere. At spectat ad missionem Ecclesiae et consequenter etiam ad munus et missionem sacerdotum Ecclesiae quoad omnia huiusmodi negotia principia Ethicae naturalis et christianae docere, explicare, urgere [1].

Veritati rerum non corresponderet: finem Associationis Rotary Clubs designare imprimis finem oeconomicum et professionalem; finis primarius est *finis culturalis*, (non excluso sane, sed explicite incluso etiam campo oeconomico et professionali). Prae manibus habemus textum « Statutorum » alicuius associationis Rotary localis, quae tamen quoad assignationem « finis principalis » omnino concordat cum finis assignatione in Statutis Rotary International.

§ 3.

« Rotary perfectam praeclaramque *serviendi formam* fundamentum profitetur et statuit omnis activitatis, laude et aestimatione dignae.

---

1 Hoc toties a Romanis Pontificibus est inculcatum, reiecta illa iterum iterumque a quibusdam asserta exemptione vitae publicae, activitatis oeconomicae et professionalis a normis Ethicae et religionis christianae, vel asserta harum sphaerarum saltem indole, quoad religionem praescindente et indifferente (cf. e. gr. Pii X Litt. Encycl. « Singulari quadam » d. d. 24 Sep. 1912; Litt. Apost. ad Archiepiscopus et Episcopos Galliae « Notre charge » d. 25 Aug. 1910.

ROTARY colit et fovet in particulari:

1. creationem et evolutionem personalium inter personas relationum; his enim optima serviendi aliis occasio praebetur;

2. alta principia ethica, quibus vita professionalis et oeconomica regatur. Rotary vult et propugnat, ut omnis utilis activitatis valor et momentum agnoscatur, et ut quodlibet Rotary membrum in hoc tendat, ut propriae suae activitatis sublimatione et perpensione « colectivitati omnium serviat »;

3. realisationem perfectae serviendi formae et ideae in vita atque actione tum personali tum negotiali, tum publica cuiusvis ROTARY membri.

4. mutuam nationum inter se collusionem et intellegentiam; erga omnes benevolentiam atque cum omnibus pacem per universi terrarum orbis associationem virorum, in munere et professione multum valentium, unitorum ad *verificandam perfectam serviendi formam.*

Ex quibus verbis clare patet: finem Associationis Rotary Clubs non coarctari ad fines oeconomicos et professionales promovendos, neque hunc effectum obtinendum dici posse eius finem saltem primarium et principalem. Finis « Rotary Clubs » habet ergo indolem proprie culturalem et personalem; quo non excluditur: in casu particulari per particularia alicuius « Clubs » STATUTA finem oeconomicum et professionalem aliquam praevalentiam posse obtinere.

4. Quod *laicos* spectat, Decretum non habet nisi pauca haec verba: « *Laicos* vero hortandos esse ut servent praescriptum can. 684 C. I. C. ».

Textus allegati canonis est hic: « Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere ».

Rotary Clubs cadere sub prima huius canonis parte, idest ad « associationes ab *Ecclesia erectas* vel *saltem commendatas* » ex tenore Decreti nec ex subsequenti eius interpretatione in L'Osservatore Romano publicata (Nr. 21, Sabato 27 Gennaio 1951, pg. 1, col. 6) deduci non potest, quamdiu verbis, in textu et contextu sumptis, proprius sensus relinquitur. Si qui putant: se laicis secundum mentem Ecclesiae *positive consulere* posse ut « Rotary Clubs » intrent vel, iam ingressi, in iis permaneant, argumenta non ex allegatis documentis ecclesiasticis, sed aliunde petere debent. Examinanda ergo restat altera canonis 684 pars quae est *negativa*.

5. Fidelibus in hoc canone praescribitur, « ut caveant ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere ». Etiam hic sufficit ordinarias interpretationes normas applicare. Si constat determinatam aliquam associationem ad nullam ex his reprobatis et designatis societatibus classem pertinere, evidens est: illud « caveant » ad determinatam hanc associationem non posse extendi. Si constat determinatam associationem diversis in regionibus vel nationibus diversam exhibere indolem et characterem, uno loco comprehendi enumeratione canonis 1684, alio loco non ita: pro uno loco illud « caveant » urgeri debet, pro alio non. Si *dubium* est, num illa determinata associatio reprobatis societatibus debeat (sive ubique sive saltem aliquibus in locis) adnumerari, ratio dubii est examinanda et ponderanda; si, facta seria inquisitone, solidum et positivum dubium remanet, illud « caveant » sustineri debet, nisi causae proportionatae graves sint, cur dubium practice neglegatur, et si periculum damni spiritualis adhibitis debitis cautelis pro posse removeatur. Saepe simplices fideles hac in re necessariam inquisitionem instituere non possunt;

ideo examen ab Ordinariis est instituendum, ex quibus dein fideles discant normam, secundum quam propriam conscientiam sibi efforment. Ex dictis facile elucet, cur in variis regionibus et nationibus Ordinariorum iudicium de charactere determinatae alicuius associationis varium et differens esse possit, prout enim varius et differens est eiusdem associationis character localis et nationalis. Et cum in huiusmodis causis iudicium non solummodo dependeat a principiis generalibus — (de quibus inter Ordinarios non erit sentiendi diversitas) — sed magna ex parte a « quaestione facti », de qua, si res non est obiective evidens, facile alii aliter iudicant, convenit (immo usque ad certum gradum omnino necessarium est): Ordinarios commune instituere consilium, ut uniformes valeant fidelibus dare normas.

6. Quae si applicantur ad Associationem « Rotary Clubs », nullibi, in Decreto *directe* asseritur (sive de Rotary in genere, sive de aliqua ex particularibus associationibus) verificari in iis « qualificationes » in canone 684 enumeratas (scl. secretas, damnatas, seditiosas etc. etc.); at *indirecte* dicitur: *posse* (sive in Rotary universali sive in aliqua eius parte) notas et qualitates vel unam ex iis haberi, quae illud « caveant » iubeant vel suadeant ad eas applicare; immo saltem unam ex dictis notis saepius *revera* inveniri, (dicamus notam minimam « suspectae »). Absonum enim esset asserere: S. Officium in suo de Rotary Clubs Decreto dicere hortandos esse ad fidelem observationem praescripti, neque tamen censere citati canonis praescriptum tangere Rotary Clubs. Sane historia ultimorum decenniorum plus quam sufficientia argumenta praestat: in pluribus locis has associationes manifestasse tendentias massonicas, anticlericales, antichristianas; severae ideo editae sunt normae pastorales contra Rotary in Hispania, in Hollandia, in nonnullis dioecesibus Americae meridionalis. Sed ex altera parte,

eadem historia teste, aliis in regionibus tales tendentiae non fuerunt observatae; e contra Rotary se monstravit tolerantem, immo secundum quid etiam directe favorabilem erga religionem et ethicam christianam.

7. Unum tamen moneri debet, quod associationi « Rotary » ex sua natura inest ideoque nullibi ei non postest non in-esse: certus quidam « laizismus » et « indifferentismus religiosus », vi cuius omnes religiones et confessiones practice quasi in una linea ponuntur. In Rotary Clubs tamquam membra ingredi possunt: baptizati et non baptizati, mohametani, buddhistae et shintoistae, catholici et non catholici, lutherani, calvinistae, membra cuiusvis ex plurimis Americae septentrionalis sectis, Orientales dissidentes omnis Ritus, nullo excepto: omnes hi in eadem societate eodem programmate culturali et personali in « unum » iunguntur. Quod fieri non potest, nisi missis factis quoad vitam et actionem *associationis* omnibus quae sapiunt religionem et ethicam, typice christianam, et retentis tantummodo iis, quae sunt iuris mere naturalis, sat late sumpti, et quae requiruntur atque sufficiunt ad statuendum et verificandum sic dictum typum « hominis indole et charactere nobilis », (« gentleman », in optimo vocis sensu), at non necessario neque baptizandum neque baptizatum, (non solum quod *sacramentum* baptismatis spectat, sed etiam quod ad *mentem et vitam typice christianam* attinet). At religio et programma christianum ex intima sua natura pervadit, penetrat, impraegnat totum hominem, eius mentem, vitam, actionem; neque potest nobilem illam « naturalitatem » non dicere ad finem vitae humanae essentialiter insufficientem, et quidem ideo, quia in oeconomia salutis, nunc vigente, non sufficiunt ordo et vita solummodo naturaliter bona, nobilis, « idealis ».

8. Concedi omnino debet: nullum Rotary membrum « *statutis* » Associationis positive impediri, quo-

minus in sua vita privata et professionali religionem christianam integre observet et exsecutioni mandet. At non agitur de iudicio de singulis Rotary membris, sed de associatione ut tali ferendo. In Rotary programmatis paragrapho 3 supra allata nihil invenitur, quod ex parte religionis christianae debeat reprobari; si quid monendum est, est illud quod *non* dicitur seu silentio transitur. Quod « silentium » in programmate associationis inprimis personalis et culturalis non eodem modo pensari et ponderari potest, atque in associationibus mere « realibus » quae dicuntur, (licet neque in his simpliciter queat neglegi).

9. Dicunt quidem, et non absque ratione: consulendum et optandum esse, ut catholici, et quidem magno si fieri potest numero, huiusmodi neutrales associationes (saepe praepotentes) ingrediantur eum in finem, ut deviationes impediant et, tamquam fermentum in farinam missum, totum fermentent principiis christianis. Talis « *infiltratio* » sane fierie potest et aliquoties revera est peracta et obtenta; sed etiam, et multo saepius accidit passiva contraria « infiltratio catholicorum »; inficiuntur influxu et spiritu « laizismi », indifferentismi atque « *nivellationis* » religiosae.

Haec laizismi mens et tendentia est phaenomenon hodie sat diffusum; minime restringitur ad « Rotary Clubs ». Sic dicunt: necessarias esse *scholas* laicales (in oppositione ad religiosas), necessarias esse associationes laicales et neutrales in *re sociali* in *re politica*, in *re internationali*. Qui attente legit recentes Summi Pontificis Litteras Encyclicas « Humani generis », tendentias affines inveniet designatas etiam *in campo religioso*, doctrinali et practico. Non est huius loci: totum hoc problema analysare, examinare eius radices atque ultima principia, proponere distinctiones necessarias, ad hoc, ut, quod veri subsit, agnoscatur et admittatur, quod minus rectum est, corrigatur. Intrant hoc loco quaestiones diffi-

ciles ex multis iam annis, etiam inter catholicos, discussae, in quibus hucusque (inprimis quod ad *applicationem* principiorum attinet) unitas et conformitas obtineri non potuit. Unde mirum non est, neque unam esse et obtineri posse omnium de Rotary Club sententiam.

Addimus textum (fere integrum) interpretationis officialis Decreti, quae publicata est in L'Osservatore Romano, Nr. 21, d. d. 27 Januarii 1951, cuius tamen puncta essentialia in huc usque dictis iam exposita sunt.

« Occorre anzitutto tenere presente che, per quanto riguarda i sacerdoti, esisteva già una direttiva della S. Congregazione Concistoriale, la quale, in data 4 febbraio 1929, al dubbio « se gli Ordinari potessero permettere agli Ecclesiastici d'iscriversi al « Rotary Club » o di intervenire alle sue adunanze » rispose: « *non expedire* ».

Il S. Offizio con il suo Decreto recente mette in chiaro che si tratta di « illiceità ».

Naturalmente la proibizione fatta ai Sacerdoti di appartenere al « Rotary Club » o di prendere parte alle sue adunanze (proibizione che anche i laici hanno ben compreso, in considerazione della natura e degli scopi di tale associazione, estranei ai fini della missione sacerdotale), va inteso in senso limitato alle riunioni dei soli membri del « Rotary » e in quanto trattano dei loro affari economici e professionali. Non si estende quindi a quelle riunioni che, pur indette dal « Rotary », siano aperte anche agli estranei per fini consoni alle attività sacerdotali, come, per esempio, promuovere iniziative di beneficenza o assistenza caritatevole.

Quanto poi ai laici, il Decreto del S. Offizio non contiene una proibizione, come fa per gli Ecclesiastici; ma si limita ad *esortare* i cattolici a regolarsi secondo il disposto del can. 684 C. J. C., 1 quale, nella sua parte positiva, loda i fedeli che dànno il loro nome e il loro appoggio alle associazioni costituite dalla Chiesa o da essa raccomandate; mentre nella parte negativa mette in guardia dalle associazioni cui possa applicarsi una delle qualifiche elencate nel canone stesso. E' un errore credere che, citando tale canone, si voglia attribuire al « Rotary » tutte e singole le qualifiche ivi elencate, come ha fatto, con evidente imperizia del diritto canonico, qualche giornale. Per sconsigliare i fedeli dall'appartenere ad una associazione, basta che si possa ad essa applicare una di quelle qualifiche, e, in particolare, che essa, dal punto di vista cattolico, sia da considerarsi « *sospetta* ».

Nel nostro caso la direttiva data dal S. Offizio appare giustificata, *in linea generale*, dallo spirito laico e areligioso che caratterizza il « Rotary » anche relativamente ai problemi per i quali il cattolico non può prescindere dagli insegnamenti della Chiesa Cattolica, come ad esempio, nel campo morale e in materia di giustizia sociale.

Questo carattere appare evidente dall'art. 3 dello Statuto e dal complesso degli 11 articoli del cosidetto Codice Etico del « Rotary », come pure da alcune dichiarazioni fatte in passato da autorevoli dirigenti.

Siffatto spirito laico, e l'indifferentismo religioso che facilmente ne deriva, si prestano a infiltrazioni, nel « Rotary », di elementi massonici e anticlericali, come di fatto è avvenuto in alcune Nazioni nelle quali, per un prevalente influsso massonico, *l'azione* dei « Clubs » si è svolta in contrasto con l'attività e il fine della Chiesa. Bisogna però aggiungere che tali circostanze non si sono verificate in altre Nazioni, dove, per influsso di dirigenti o di membri ben disposti verso la Chiesa, l'atteggiamento del « Rotary » si è mostrato, in pratica, tollerante e benevolo nei riguardi degli interessi religiosi. Da ciò si spiega come, mentre l'Episcopato spagnuolo, olandese e di alcune Nazioni dell'America Latina emanarono direttive severe nei riguardi del « Rotary », in altre Nazioni i Vescovi tollerarono l'appartenenza dei fedeli alla stessa associazione.

Spetta alla chiaroveggenza di coloro che hanno l'onere di dirigere spiritualmente i fedeli, cioè ai Vescovi, di stabilire se, nel caso concreto, nella propria diocesi, il « Rotary » si debba considerare un'associazione « sospetta ». Ora è chiaro che dove il sospetto esiste, i Vescovi devono esortare i cattolici a non appartenere al « Rotary ». Dove invece non esiste, sia per prove date nel passato, sia per serie garanzie che intendono dare i dirigenti, i Vescovi possono astenersi dall'esortazione in parola, mancando il motivo impellente.

Nel prendere le loro decisioni i Vescovi certamente procederanno non guardando soltanto alla particolare situazione della propria diocesi, ma considerando il « Rotary » nel complesso degli interessi religiosi di tutta una Nazione.

In fatti, fin dal 1943, la Suprema Sacra Congregazione del Sant'Offizio, con circolare mandata ai Rappresentanti Pontifici, suggeriva ai Vescovi delle singole Nazioni di accordarsi per emanare, in materia, uniformi disposizioni e prescrizioni.

F. HÜRTH S. I.

## 4 - Commissio Pontificia de re biblica

(*AAS.* XXXII [22 iul. 1950] p. 495)

# INSTRUCTIO

AD EXC.MOS ORDINARIOS LOCORUM ET SUPREMOS RELIGIONUM MODERATORES, REV.MOS SEMINARIORUM RECTORES ET SACRAE SCRIPTURAE LECTORES: DE SCRIPTURA SACRA IN CLERICORUM SEMINARIIS ET RELIGIOSORUM COLLEGIIS RECTE DOCENDA.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, Summus Pontifex feliciter regnans, ut quinquagesimum post editas encyclicas litteras *Providentissimus Deus* digne recoleret exeuntem annum, litteras item encyclicas *Divino afflante Spiritu* d. d. 30 septembris 1943 edidit. Postquam Summus Pontifex luculenter demonstravit, quid Praedecessores sui his decem lustris ad studia biblica promovenda naviter fecerint, omnes tam praesules quam fideles graviter monuit, quantum eadem in Ecclesia valeant, qua ratione providendum sit, ut et ipsa haec studia prospere proficiant et ad regnum Dei inter homines dilatandum efficaciter iuvent, itemque sapienter statuit et praecepit qua via et ratione essent in dies magis colenda et perficienda.

Ut quae Summus Pontifex commendata et sancita voluit, summa cura et fidelitate ad effectum perducantur, Pontificia Commissio de Re Biblica opportunum censuit eadem proprio modo applicare ad disciplinas biblicas in Clericorum Seminariis ac Religiosorum Collegiis docendas, in quibus tradi nequeunt illa amplitudine qua in Facultatibus theologicis et Institutis peculiaribus proponuntur. In his enim illi formantur magistri quorum erit et futuros sacerdotes scientia sacra instituere et illas ipsas disciplinas profundius investigare, quae formatio propria erit paucorum. In Clericorum autem Seminariis et Religioso-

rum Collegiis ii parantur qui futuri sunt scacerdotes et gregis dominici pastores quorumque erit populum catholicum veritates fidei docere ac divinam revelationem contra incredulorum impetus tueri.

Non raro proximis decennis Summi Pontifices disertis verbis inculcarunt, quanta cum cura Locorum Ordinarii et Supremi Religionum Moderatores tam exhortatione quam auctoritate providere teneantur, ut in Clericorum Seminariis et Collegiis Religiosorum Sacra Scripturae studia « iusto in honore consistant vigeantque » [1], ut Leo XIII imm. m. scripsit, ibique Divinae Litterae ita tradantur, « quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent » [2].

Nuper vero Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. XII felic. regn., decessorum admonitiones complectens suaque auctoritate confirmans, graviter monuit a sacerdotibus in cura animarum constitutis Libros Sacros neutiquam recte et cum fructu exponi et illustrari posse, « nisi ipsimet, dum in Seminariis commorati sunt, Sacrae Scripturae auctuosum ac perennem imbiberint amorem. Quare sacrorum Antistites, quibus Seminariorum suorum paterna incumbit cura, diligenter vigilent, ut in hac quoque re nihil omittatur, quod ad eiusmodi finem assequendum iuvare possit » [3].

At illo tempore quo tot nationes calamitatum et ruinarum pondere opprimebantur, Ordinarii quoque locorum et Seminariorum Rectores, cotidianis vitae et incolumitatis curis distenti, huic negotio fortasse minus efficaciter operam dare potuerunt quam rei gravitas atque momentum postulant. Verum nunc, silentibus iam armis, haec

---

[1] Litt. encycl. *Providentissimus; Ench. Bibl.* n. 118.

[2] *Ibidem* n. 88; cfr. etiam n. 99; Pius X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica*, d. d. 27 martii 1906; *Ench. Bibl.* n. 155.

[3] Litt. encycl. *Divino Afflante Spiritu; A. A. S.*, 35 (1943), p. 121.

Summorum Pontificum monita ac iussa in memoriam redigenda ac denuo inculcanda videntur, ut sollerti Moderatorum cura ac diligenti magistrorum opera futurorum sacerdotum de Sacris Libris institutio fervide instauretur ac promoveatur, quo efficacius fideles ad saluberrimos vitae christianae fontes reducantur mundusque tam dire afflictus denuo imbuatur ac perfundatur doctrina Christi qui, ipseque unus, fons est libertatis, caritatis, pacis.

## I. De Magisterio rei biblicae

Ad studia biblica in Clericorum Seminariis et Collegiis Religiosorum rite instauranda et promovenda potissimum opus est magistris qui ad hanc disciplinam omnibus aliis sanctiorem et sublimiorem rite docendam omni ex parte sint idonei.

1. Vix opus est monere S. Scripturae magistrum debere inter ceteros vita et virtute sacerdotali excellere, immo etiam plus ceteris, cum Verbi Dei intima cotidie fruatur familiaritate.

2. Praeterea autem debita oportet instructus sit rerum biblicarum scientia quam serio studio comparaverit et continuo labore conservet et augeat [4].

*a*) De doctrinae rite comparatae copia et indole ut certius constare possit, id quod Pius XI s. m. sapienter statuit, hodie quoque ratum atque validum habetur, ne quis Sacrarum Litterarum in Seminariis magister sit, « nisi confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime sit » [5].

---

[4] Cfr. Leo XIII, Litt. encycl. *Providentissimus; Ench. Bibl.* n. 88.

[5] Motu proprio *Bibliorum scientiam*, 27 aprilis 1924; *Ench. Bibl.* n. 522.

*b*) Sed cum huius disciplinae ambitus tantus sit, ut paucorum annorum spatio obtineri quidem possit generalis eius conspectus, discendi et docendi ratio, aliquarum gravium quaestionum cognitio, reliqua autem *ulteriori magistri studio et diligentiae relinqui debeant,* insuper assiduo opus est proprio singulorum labore, quo scientia antea comparata augeatur, perficiatur solideturque, quaestiones quae de novo oriantur, scite examinentur et disputentur, variae disciplinae partes quae clericis tradi debent, altius et profundius investigentur. Ad quod assequendum necesse est libros novos de rebus biblicis editos atque commentaria periodica studiose perlegat, bibliothecas consulat, conventibus rei biblicae provehendae institutis intersit, atque etiam, si condiciones permittant, opportuno tempore iter in Terram Sanctam peragat, quo urbes et regiones cum Sacra Historia conexas propriis oculis conspiciat atque perlustret. Tantus enim scientiae biblicae est ambitus, tot ac tanti fiunt in explanandis Libris Sacris progressus, tot in auxilium vocandae sunt scientiae (nempe linguarum studium, historia, geographia, archaeologia, aliae), ut magister, nisi cotidie se dederit diligenti studio, mox arduo suo officio evadat impar neque ea praestare possit quae sacerdotes ministerio animarum dediti, immo ipsi quoque fideles iure ab eo expostulant.

*c*) His facile patet quantopere necesse sit, ut Sacrae Scripturae magister *totum se dare possit muneri suo,* « ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio omnique cura exsequi pergat »[6]. Quare ne cogatur ut, praeter Sacrae Scripturae disciplinas, alias graviores in Seminario simul tradat. Disertis enim verbis in Codice Iuris Canonici curandum esse statuitur, « ut saltem *Sacrae Scripturae,* theologiae dogmaticae, theologiae moralis, et historiae ecclesiasticae, totidem habeantur dis-

---

[6] Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu,* l. c. p. 324.

tincti magistri »[7]. Ac ne extra Seminarium quidem aliis gravibus officiis aut ministeriis oneretur, ne illis negotiis, quantumvis sanctis ac laude dignis, impediatur in iis, ad quae rite explenda et tempore indiget et mentis vigore atque animi pace.

## II. De ratione docendi res biblicas

Iam quod ad ipsam Sacrae Scripturae in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis docendae rationem attinet, imprimis haec in memoriam videntur redigenda.

1. Magistri biblici munus est in alumnis, simul cum debita Sacrorum librorum cognitione, « *actuosum ac perennem eorundem amorem* »[8] excitare atque fovere. Hac enim institutione in futuris sacerdotibus alatur et in dies augeatur oportet illa erga verbum divinum veneratio, qua per totam vitam in eo inveniant praecipuum mentis cultum et animi occupationem, cordisque solatium ac delectationem.

*a*) Ad quem finem rite assequendum hodie quoque maxime confert *cotidiana Sacrae Scripturae lectio* quae olim clericis omnibus, tam sacerdotibus saecularibus quam religiosis, cotidianum erat exercitium non minus sacrum quam cotidiana meditatio, quin immo pia haec lectio ipsa eis erat meditatio[9]. Magister igitur discipulis inculcet, ut hanc cotidianam Sacrorum Librorum lectionem magni aestiment eamque humili cum fide et religiosa cum pietate peragant[10]. Eis commendet ut hoc exercitium adeo utile per totum studiorum tempus constanter ita continuent,

---

7 *Cod. Iur. Can.* can. 1366 § 3.

8 Cfr. Pius XII, Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu*, l. c. p. 321.

9 Cfr. *Ios.* I, 8; S. Her., *In Titum* III, 9; *PL* XXVI, col. 594 (al. 630); *Ep.* 52, 7, 8; *PL* XXII, col. 533 sq. (*CSEL*, vol. LIV, pp. 426, 428).

10 Cfr. *De Imitatione Christi* I, cap. V.

ut totam Scripturam *identidem cursim perlegant,* sive versione Vulgata usi sive translatione aliqua recentiore e textu primigenio in linguam vulgarem confecta et a Superioribus ecclesiasticis rite approbata, nisi ipso textu primigenio melius iuventur. Quae Sacrae Scripturae lectio maiore cum fructu peragetur, si discipuli iam inde ab initio curriculi studiorum in Sacris Libris recte legendis scite instituantur et dirigantur proposito etiam brevi singulorum Librorum conspectu seu analysi, quemadmodum in « Introductione speciali » fieri solet [11]. Huiusmodi cotidiana lectione continuata et ordinatim concinneque facta sacerdotii candidati tam ad sacram liturgiam recte intellegendam et digne celebrandam quam ad ipsa studia sacrae theologiae cum fructu agenda egregie parabuntur. Haec autem Sacrae Scripturae cotidiana lectio ne inter feriarum quidem tempus omittatur, sive ab omnibus in commune sive a singulis domi suae peragatur, immo his maioris otii diebus etiam impensius fiat. Fidelitate illa qua magis magisque Sacram Scripturam intime cognoscere et gustare studebunt, clare patebit, quam sincerus sit eorum in Dei verbum amor et quantopere officiis a vocatione sacerdotali sibi impositis satisfacere nitantur.

2. In *ipsis scholis* habendis magister Sacrae Scripturae alumnis suis sollicite omnia ea praebere curet, quibus in futuro opere sacerdotali indigebunt tam ad vitam sancte agendam quam ad animas Deo lucrandas. Quare.

*a*) Sacra Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis tradatur adeo scientifice ac solide et complete, ut eam totam et secundum omnes eius partes cognoscant, ut probe sciant quae quaestiones graviores hisce nostris temporibus de singulis libris biblicis agitentur, ea quae obiecta et difficultates contra historiam et doctrinam

---

[11] Cfr. PIUS X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 169; PIUS XI: *L'Osservatore Romano,* 1 ottobre 1930; cfr. *Ench. Clericorum* n. 1476.

sacram opponi soleant, denique ut in pericopis biblicis populo explicandis validis innitantur scientiae fundamentis.

*b*) Cum tempus quod docendae Sacrae Scripturae suppetit, plerumque brevius sit quam ut ingens rerum biblicarum materia possit tota tradi, magister prae ceteris graviores quaestiones prudenter seligere curet, idque, ut non sua quaerat studia suasque animi propensiones, sed diligenter ante oculos habeat, quid utilitas postulet alumnorum qui futuri sunt verbi divini praecones. Huic autem utilitati tum tantum rite satisfiet, cum magister clare et perspicue monstraverit, quae sint praecipue *doctrinae* tam in Vetere quam in Novo Testamento a Spiritu Sancto propositae, quae revelationis a primis initiis usque ad Christum Dominum et Apostolos cernatur progressio, quae inter Vetus et Novum Testamentum intercedat ratio atque coniunctio; neque omittat apte ostendere, quanti momenti spiritalis, nostris quoque temporibus, sit Vetus Testamentum. Haec igitur sollerter declarare conetur, ubicumque sive in Introductione generali aut speciali sive in exegesi offeretur opportunitas. Utiliter etiam aptis historiae sacrae et profanae exemplis illustrabit, quanta Deus egerit, ut omnes salvos faceret et ad agnitionem veritatis perduceret [12], et quomodo paterna eius providentia omnia sapienter disposuerit atque direxerit, ut cooperarentur « in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti » [13].

Dubium non est quin supernis his atque religiosis rationibus debito modo explanatis ac demonstratis in alumnorum mentibus profundior quidam Sacrorum Librorum amor maiorque existimatio exoritura sint, quibus faciliora et dulciora reddantur studia etiam magis arida, qualia sunt linguae hebraicae et graecae, quae quidem studia in Seminariis et Collegiis non plane omitti possunt, quin pe-

---

12 Cfr. *I Tim.* II, 4.

13 Cfr. *Rom.* VIII, 28.

riculum oriatur, ne clerici linguarum ignoratione ab ipsis textibus primigeniis inspiratis arceantur ac ne translationes quidem recentiores recte intellegere et scite iudicare possint [14]. Quae linguarum atque etiam critices studia, etsi in Seminariis et Collegiis summis contineri debent argumentis, hac superna luce illustrata fecundiora et iucundiora reddentur maioresque ad Sacrorum Librorum sensum percipiendum in dies fructus ferent.

In tradenda *Introductione generali,* ceteris quidem quaestionibus non plane omissis, maxime in doctrina inspirationis et veritatis Sacrarum Scripturarum et in legibus interpretationis (hermeneutica) immoretur; in *Introductione vero speciali* cum in Vetus tum maxime in Novum Testamentum diligenter de Sacris Libris agat ac dilucide ostendat, quod singulorum sit argumentum, qui finis, a quo auctore sint scripti et quo tempore [15]. Qua in re, vitata omni vana de criticorum opinionibus eruditione quae alumnorum mentes magis perturbet quam excolat, ea potius proponat et nervose demonstret, quibus nostrae aetatis homines spiritalem utilitatem capiant et in quaestionibus et difficultatibus dissolvendis apte iuventur. Ut de omnibus Libris Sacris quantum satis est tractare possit, magister tempore quod ei conceditur, diligenter utatur neque in rebus inutilibus aut minoris ponderis immoretur.

In *exegetica* expositione, magister ne unquam obliviscatur *Ecclesiae* a Deo traditam esse Sacram Scripturam non solum custodiendam, sed etiam interpretandam, eamque non aliter esse explicandam nisi eiusdem Ecclesiae nomine et mente, quippe quae sit « columna et firmamentum veritatis » [16]. Quare « sanctum habebit, numquam a

---

[14] Cfr. Pius X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 165.

[15] Cfr. Pius X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 159.

[16] *I Tim.* III, 15.

communi doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negleget »[17].

In seligendis autem partibus quarum accuratiorem explicationem tradat, ne merae eruditionis rationem habeat, sed ea exponat quibus utriusque Testamenti *doctrina* declaretur ac definiatur, ne, ut ait S. Gregorius, corticem rodat, medullam autem non attingat[18]. Quare Veteris Testamenti *praecipue* explanet doctrinam de generis humani primordiis, vaticinia messiana, Psalmos; in Novo autem interpretando totius vitae Christi Domini ordinate tradat conspectum easque saltem Evangeliorum et Epistularum partes fusius explicet, quae diebus dominicis et festis in ecclesia publice leguntur; praeterea tradat historiam passionis et resurrectionis Domini atque unam ad minimum ex praecipuis epistulis S. Pauli penitus exponat, non omissis ceterarum quoque epistularum iis locis qui ad doctrinam spectant.

Interpretationis autem munere magister ita fungatur, ut primo loco *sensum litteralem* qui dicitur clare et perspicue exponat, in auxilium adhibito, ubi res ferat, ipso quoque textu primigenio. In determinando autem sensu litterali textuum ne via illa incedat quam pro dolor hodie non pauci sequuntur exegetae, ut non habeat rationem nisi ipsorum verborum et proximi contextus, sed sedulo antiquas illas normas ante oculos habeat quas Summus Pontifex Pius XII gl. r. in Litteris encyclicis *Divino afflante Spiritu* denuo inculcavit, nempe ut accurate dispiciat exegeta quid Sacra Scriptura in aliis assimilibus locis doceat, quae eiusdem textus sit explicatio apud SS. Patres et in traditione catholica, quid « analogia fidei » pos-

---

17 Cfr. PIUS X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 168.

18 Cfr. *Moralia* XX, 9; *PL* LXXVI, 149.

tulet, quid demum, si casus fert, ipsum Magisterium Ecclesiae de illo textu statuerit [19]. Quae omnia, ut rite facere possit, agregie versatus sit etiam in sacra theologia, magnoque et sincero sacrae doctrinae imbuatur amore, neque unquam, solis principiis criticis et litterariis innixus, munus suum exegeticum ab universa theologica institutione separet.

*Spiritalem* quoque verborum significationem, dummodo eam a Deo intendi secundum sapientissimas normas a Summis Pontificibus identidem statutas rite constet [20], debito modo explicare curet. Sensum illum spiritalem a SS. Patribus et magnis interpretibus tanto studio et amore expositum magister eo facilius intelleget eoque religiosus discipulis proponet, quo maiore ipse ornatur cordis puritate, animi excellentia, spiritus humilitate, Dei revelantis reverentia et amore.

*Difficultates et obscuritates* quae interpreti in Sacrae Scripturae Libris non raro occurrunt, magister ne attenuet aut dissimulet, sed quaestione aeque et honeste exposita, pro viribus, accitis variarum disciplinarum subsidiis, rem enodare conetur. Ne tamen obliviscatur « Deum Sacros quos ipse inspiravit Libros, consulto difficultatibus adspersisse, ut et intentius ad eos evolvendos excitaremur, et salubriter mentis nostrae limites experti, debita animi demissione exerceremur » [21].

Omnia haec magister quantum fieri potest, ratione exponat *synthetica* quae dicitur, iis quae praecipua sunt accuratius tractatis, reliquis autem ea amplitudine eoque loco quae eisdem conveniant. Cui arti exponendi inde ab initio sollerter operam det in eaque in dies magis perfici

---

[19] Pius XII, Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu;* l. c. p. 310.

[20] Litt. encycl. *Providentissimus; Ench. Bibl.* n. 97; Litt. encycl. *Spiritus Paraclitus; Ench. Bibl.* nn. 498 s.; Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu;* l. c. p. 311.

[21] Pius XII, Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu;* l. c. p. 318.

studeat, id persuasum habens ab ea fructum et efficaciam docendi magna ex parte pendere.

3. *Quis sit finis, quae indoles* lectionum Sacrae Scripturae quibus Seminariorum et Collegiorum alumni instituantur, eo definitur quod illae non ad formandos « specialistas » quos dicunt, diriguntur, sed ad futuros sacerdotes et apostolos parandos. Sacerdotum autem formatio, quamvis ab universis vitae et ordinis Seminarii vel Collegii condicionibus pendeat, haud dubie rei biblicae studio et cognitione peculiariter iuvatur. His enim lectionibus potissimum obtinendum est, ut futuri sacerdotes intellegant sibique persuadeant Sacros Libros tam ad fovendam suam ipsorum propriam vitam sacerdotalem quam ad munera sacerdotalia cum fructu peragenda plurimum conferre. Quapropter magister alumnis suis, nequaquam contentus, ut rerum biblicarum notitias et cognitiones utiles et necessarias tradat, data occasione id quoque naviter ipsis ostendat, quomodo Sacrarum Scripturarum solida cognitione, assidua lectione, pia meditatione vitae propriae sacerdotalis sanctitatem alere, firmare, promovere [22] ministeriumque apostolicum, maxime sacrae concionis et institutionis catecheticae, fecundum reddere possint [23].

## III. Consilia et normae

Studia igitur biblica, cum ad pietatem sacerdotalem et muneris apostolici fructum tantopere valeant, summa diligentia esse peragenda et promovenda, nemo sane est quin videat, ideoque valde dolendum est eadem non semper in debito haberi honore, sed non raro aliarum disci-

---

22 Cfr. S. Hier., *Ep.* 130 in fine; *PL* XXII, col. 1224 [al. 1124] (*CSEL* LVI, p. 201).

23 Cfr. Leo XIII, Litt. encycl. *Providentissimus;* Ench. Bibl. n. 72; Benedictus XV, Litt. encycl. *Spiritus Paraclitus;* ibid. nn. 496 s.; Pius XII, Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu,* l. c. p. 320 s.

plinarum studio indigne postponi, immo interdum perperam neglegi. Quare haec Pontificia Commissio de Re Biblica, variis ex diversis orbis partibus notitiis et votis commota, tam Exc.mis locorum Ordinariis Supremisque Religionum Moderatoribus quam Rev.mis Seminariorum Rectoribus ac rei biblicae Magistris enixe commendanda censuit quae sequuntur.

1. In Seminariorum et Collegiorum *bibliotheca biblica* [24], praeter Sanctorum Patrum et maiorum interpretum catholicorum Commentarios, adsint meliora opera de theologia biblica et de archaeologia et historia sacra, atque etiam encyclopaediae seu lexica biblica atque periodicae de rebus biblicis ephemerides, quae quidem opera singuli magistri varias ob rationes non facile acquirere possunt, suo sane et alumnorum ingenti damno.

2. Pari autem cura ac diligentia Seminariorum et Collegiorum Moderatores provideant, ut *Clericis* quoque, praeter Sacrorum Bibliorum volumen reique biblicae librum manualem quibus singuli instruantur, in propria ipsorum bibliotheca illa praesto sint opera quibus ad lectiones in scholis auditas recolendas et apte complendas melius et efficacius iuvari possint.

3. Magister rei biblicae, ut officio suo laudabiliter satisfacere possit, totus *relinquatur muneri suo* neque alia ei graviora committantur negotia, et tanta cum cura a Superioribus, collatis pecuniae quoque subsidiis aliisque opportunis auxiliis foveatur, ut animo libenti, etiam per totam vitam, in docendi munere perseveret.

Prima enim studii biblici in Seminariis et Collegis provehendi condicio ea est, ut magistro rei biblicae omnia illa librorum et pecuniae subsidia suppeditentur, quibus et ipse in scientia progredi et progredientem scientiam suam facere, conventibus studiorum causa instituendis in-

---

[24] Cfr. PIUS X in Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 173.

teresse, data opportuna occasione Terram Sanctam invisere, laborum suorum fructus typis edere possit.

Consulitur vero ut, ubi maior est alumnorum numerus (immo etiam alibi, ut futuris necessitatibus mature provideatur), duo constituantur Lectores rei biblicae, alter Veteris, alter Novi Testamenti.

4. Magistro rei biblicae, discipulorum progressus studioso, enixe commendatur, ut *selectis alumnis maiore ingenio praeditis* peculiarem tradat cursum liberum, sive linguarum biblicarum aliarumque quae ad studia Sacrae Scripturae necessariae vel utiles sunt [25], sive theologiae biblicae, historiae, archaeologiae aut cuiusvis alterius disciplinae auxiliaris. Quo in cursu tractare poterit etiam quaestiones peculiares, quae de singulis libris biblicis hodie magis agitantur quasque ipse sive proprio studio sive commentationum lectione accuratius investigaverit.

5. Magistro rei biblicae itidem suadetur, ut *melioris spei alumnos* qui peculiarem erga Sacras Paginas amorem ostendant, cum prudentia et moderatione, Superiorum consilia secutus, ad studia specialia praeparet, ita tamen, ut alias disciplinas neutiquam neglegant [26]. Quibus opportunitatem praebeat addiscendi linguas etiam recentes ad haec studia magis necessarias eosque ad cognoscenda et legenda instituat opera « de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus palaestinensibus » [27]. Probe enim meminerit grave detrimentum pati huiusmodi alumnos, cum sine iusta praeparatione, potissimum litterarum, ad studia specialia peragenda mittantur, sibique persuadeat unum

---

25 Ita etiam PIUS X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 165.

26 Cfr. PIUS X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* nn. 165. 167; PIUS XI, Motu proprio *Bibliorum scientiam; Ench. Bibl.* n. 518 s.

27 Cfr. PIUS X, Litt. apost. *Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.* n. 172.

ex praecipuis suis officiis esse, ut Seminario suo, propria experientia usus, optimos praeparet futuros praeceptores quorum opera res biblicae magis magisque colantur et floreant.

6. Cum exiguo illo temporis spatio quod Sacrae Scripturae scholis plerumque assignatur, iis omnibus quae ad Clericorum theologicam et asceticam institutionem et ad rectum Sacrorum Librorum in liturgia ac contione usum docendum requiruntur, debito modo satisfieri vix possit, valde laudatur et enixe commendatur, ut iam ab ineunte altiorum studiorum curriculo, id quod in quorundam Ordinum Collegiis laudabiliter fieri novimus, *compendiaria quaedam tradatur introductio*, qua opportune stimuletur et dirigatur totius Sacrae Scripturae lectio ab alumnis studiorum tempore cursim facienda. Quod si rite factum erit, magister intra quadriennium curriculi theologici in doctrina biblica exponenda diutius immorari poterit.

7. Clerici theologi semel vel bis in anno *homiliam* de pericopa aliqua biblica componere teneantur quem laborem ipse magister dirigat et diligenter iudicet. Hac ratione alumni, iam inde a principio institutionis theologicae, homilias diebus dominicis et festis habendas congruo studio et pia meditatione parare accurateque scribere addiscent, atque Verbi Dei sensum verum ac proprium populo christiano e suggestu recte, apposite, reverenterque proponere et explanare.

8. Postremo ut studium Scripturae Sacrae etiam peracto theologiae curriculo debita ratione colatur et perficiatur ac deinceps per vitam fideliter continuetur, ad *examina* quae sacerdotes saeculares saltem per triennium, religiosi saltem per quinquennium, expleto studiorum curriculo, ex praescripto Iuris canonici de variis sacrarum scientiarum disciplinis subire tenentur [28], singulis annis etiam quaestiones aliquae graviores de Introductione ge-

[28] *Cod. Iur. Can.*, can. 130. 590.

nerali et speciali et de exegesi parandae assignentur. Praeterea in *collationibus* seu *conferentiis* quae a Clero tam saeculari quam regulari ad normam eiusdem Iuris canonici statis temporibus de re morali et liturgica habendae sunt [29], explicanda proponatur etiam — ut in quibusdam regionibus multa cum laude fit — pericopa aliqua biblica sive Veteris sive Novi Testamenti, quae a magistro rei biblicae Seminarii apte eligatur et ab eodem postea in periodicis commentariis dioeceseos, si casus fert, vel alibi ad rationem scientiae biblicae explicata evulgetur.

Exc.mos Ordinarios et Rev.mos Religionum Moderatores enixe rogamus, ut quae hisce exposuimus, ea qua moventur communis boni cura ac diligentia, ita accipiant et exsequi velint, ut futurorum nostrorum sacerdotum instituto in dies magis perficiatur atque solida illa sacra imbuantur scientia qua iam studii theologici tempore ac dein per totam vitam uti debent, idque non leviter et temere, nec proprio arbitrio et sensu, sed secundum scientiae sacrae normas, secundum Ecclesiae leges et praecepta, secundum genuinae traditionis catholicae regulas, ut Sacri Libri in propria vita spiritali alênda et excolenda eis sint quasi panis cotidianus, lumen et robur, in ministeriis autem apostolicis efficax auxilium quo adiuti quam plurimos ad veritatem, ad timorem et amorem Dei, ad virtutem et sanctitatem perducant. Sane non ignoramus, quot et quantae hodie obstent difficultates, quominus, quae commendavimus, brevi tempore et perfecte compleantur; at certum habemus Ecclesiarum Praesules et Religionum Moderatores, animis neutiquam fractis, nulli rei defuturos esse, ut Divinarum Litterarum studium et amor inter Clericos ac sacerdotes omnes novo floreant vigore atque in eorum animis et muneribus uberrimos ferant vitae et gratiae fructus.

Hanc autem Instructionem Ssmus Dominus Noster

---

[29] *Ibid.* can. 131. 591.

Pius Pp. XII, in audientia die 13 Maii a. 1950 infrascripto Revmo Consultori ab Actis benigne concessa, approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 13 Maii a. 1950.

Athanasius Miller, O. S. B., *Consultor ab Actis.*

## Annotationes

Si quis documenta pontificia evolvat quae inde a Concilio Vaticano edita sunt, haud difficile concludet ultimos omnes Summos Pontifices materiam de re biblica prae oculis inter primas habuisse. Quod et luculenter apparet in illa prima parte Litterarum Encyclicarum *Divino afflante Spiritu* die 30 septembris 1943 datarum, in qua Pius XII non modo quae praedecessores suis his ultimis temporibus ad studia biblica promovenda naviter fecerint explicat, sed et illa omnia confirmat et inculcat, et quae in praesens tempora postulare videantur decernit, ut omnes Ecclesiae filios, qui hisce studiis se dedunt, ad rem tam necessariam tamque laudabilem magis magisque incitet [1].

Commissio Pontificia de Re Biblica verba et rationes perpendens quibus Summus Pontifex et momentum studiorum biblicorum et viam ea colendi ac promovendi statuit, nuper « opportunum censuit eadem proprio modo applicare ad disciplinas biblicas in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis docendas, in quibus tradi nequeunt illa amplitudine qua in Facultatibus theologicis et Institutis peculiaribus proponuntur ». Quae igitur in Litteris Encyclicis *Divino Afflante Spiritu* longe lateque proponebantur ad investigationem biblicam et magistrorum formationem fovendam, nunc illis Instructio appli-

[1] A.A.S. 35 (1943), p. 297-305.

cat « qui futuri sunt sacerdotes et gregis dominici pastores quorumque erit populum catholicum veritates fidei docere ac divinam revelationem contra incredulorum impetus tueri ».

Sic ergo clara statuta differentia inter centra ecclesiastica studiorum pro formandis « specialistis », futuris sacerdotum magistris, et centra pro sacerdotibus formandis, qui directo apostolatu inter fideles fungentur, hanc biblico-apostolicam formationem Instructio nostra extollit. Quod ut efficacius commendet, gravissima quaedam verba iterat ex illa ultima parte *Divino Afflante Spiritu* desumpta, in qua Summus Pontifex, multiplici aspectu proposito, quo Sacrae Litterae in campo directe apostolico ac sacerdotali adhiberi debent, concludit: « Neminem autem fugit haec omnia a sacerdotibus rite perfici non posse, nisi ipsimet, dum in Seminariis commorati sunt, Sacrae Scripturae actuosum ac perennem imbiberint amorem. Quare sacrorum Antistites, quibus Seminariorum suorum paterna incumbit cura, diligenter vigilent, ut in ha quoque re nihil omittatur, quod ad eiusmodi finem assequendum iuvare possit » [2].

Nunc vero ad hoc ut legitimum Ecclesiae desiderium rite instaurandi et promovendi in Clericorum Seminariis et Collegiis Religiosorum studia biblica melius obtineatur, magistri praeprimis postulantur ad rite docendum omni ex parte idonei. Illi autem ut idonei magistri in Instructione agnoscuntur, qui duplici ex capite, in quantum fieri poterit, perfecti sint: virtute et doctrina. Magister ergo Sacrae Scripturae et excellat prae ceteris vita et virtute sacerdotali, et debita biblica scientia vigeat serio studio comparata ac continuo labore conservata et aucta.

Praesupposita in magistro S. Scripturae vitae sacerdotalis excellentia, media proponuntur ut quam tutissime provideatur et acquisitioni et augmento scientiae biblicae

---

[2] A.A.S. 35 (1943), p. 321.

requisitae. Inter haec autem media illud imprimis vult Instructio ut ratum atque validum habeatur, quod Pius XI in Motu proprio « *Bibliorum scientiam* » 27 aprilis 1924, de disciplinae biblicae magisteriis proponit: « Nullus ... Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradenda doctor esto, nisi, confecto peculari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam adeptus legitime sit » [3].

Quisnam vero sit hic gradus academicus ad Scripturam in Seminariis docendam requisitus, ipse Pius XI ibidem declaravit: « Volumus ... ut baccalaurei titulus iis ab Instituto Biblico tributus, qui ibidem primum alterumque curriculi annum — graviores nempe doctrinas percipiendo — peregerint, satis sit ... ad rem biblicam docendam, ... incolumi tamen iure eos anteferendi, qui licentia laureave aucti sint ». Exigitur proinde gradus baccalaurei qui tunc ab Instituto Biblico post duos annos tribuebatur quique, in praesenti studiorum biblicorum ordinatione, unum tantum annum ab ipso Instituto conceditur. Gradus autem baccalaurei, sic uno curriculi anno obtentus, compleri nunc debet gradu licentiae post alterum curriculi annum collato. Gradus igitur baccalaurei a Pio XI requisitus est actualis gradus licentiae.

Sic ergo iactum manet fundamentum pro ulteriori studio diligenter a magistro, licentiae gradu ornato, perficiendo. Campus illi aperitur immensus, tum propter antiquas quaestiones semper magis excultas, tum propter alias novas continuo exortas vel directe biblicas vel directe scientificas — linguisticas, historicas, geographicas, archaeologicas ... — at cum biblicis intime connexas. Hinc nihil mirum quod munus docendi S. Scripturam totum hominem requirat, qui proinde nec, ad sensum Can 1366 § 3, cogi debet ut, praeter S. Scripturae disciplinas, alias graviores — theologiam dogmaticam, theologiam moralem,

---

[3] *Ench. Bibl.* n. 522.

historiam ecclesiasticam — in Seminario simul tradat, nec extra Seminarium aliis gravibus officiis, ministeriis, negotiis oneretur.

Hac ornatus praeparatione et mediata et immediata, magister rei biblicae in Seminario ad munus accedat, prae oculis continuo habens se non « specialistas » formare, sed futuros sacerdotes et apostolos parare, ac proinde munus proprium esse et intellectum et cor alumnorum studio S. Scripturae ita conformare, ut et ipse alumni sibi persuadeant suam futuram sacerdotalem ac apostolicam vitam scientia ac spiritu S. Scripturae imbui debere. Ad hoc vero ut simul cum debita Sacrorum Librorum cognitione actuosum ac perennem eorundem amorem excitet atque foveat, omnibus modis curet magister ut, inde a Seminario, depromant alumni desiderium ac propositum legendi cotidie per totam vitam Sacram Scripturam.

Nec contentus magister sit, si hic fructus generalis obtineatur. Agitur enim de primo gressu, quo via apta paratur ad formationem biblicam, deinde maxime necessariam futuris sacerdotibus ac apostolis. Illis ergo tradatur S. Scriptura scientifice, solide et complete, ita quidem ut et illam totam complexive cognoscant, et gnari fiant de gravioribus nostrorum temporum quaestionibus biblicis generalibus ac particularibus, et difficultates cognoscant, et valida fundamenta scientiae in partibus populo proponendis discant.

Negari nequit ingentem materiam rerum biblicarum simul et angustiam temporis non facile componi posse cum scientifica, solida et completa expositione S. Scripturae in scholis. Haec tamen difficultas superari potest prudenti selectione graviorum quaestionum et absentia egoismi. Attendens ergo non propriae sed alumnorum utilitati, curet magister rei biblicae clare et ininterrupte elementa doctrinalia biblica, in toto earum progressivo decursu per Vetus et Novum Testamentum, ita proponere, ut et eorum actuale momentum spirituale — etiam V. Testamen-

ti — ac mutua coniunctio bene appareant, et voluntas Dei salvifica universalis Eiusque paterna atque continua providentia facile patescant. Harum dulcium ac fundamentalium veritatum solida inquisitione ac perspicua explanatione fiet, ut alumnis gratius in dies sit studium linguarum biblicarum originalium et critices artis, quod etiam in Seminariis et Collegiis prudenter coli debet.

Haec eadem prudentia est a magistro servanda in tradenda alumnis tum Introductione generali, tum Introductione speciali. Quoad primam enim, centrum ac nucleus expositionis constituatur doctrina de inspiratione, inenarrantia biblica et hermeneutica; quoad alteram, vitato periculo ne plus aequo concedatur opinioni criticorum ac inutili eruditioni, utilia tradat pro futuro apostolatu, tum in exponenda doctrina, tum in quaestionibus et difficultatibus dissolvendis quae circa argumentum, auctorem, finem, tempus singulorum librorum proponi solent.

Si de exegetica expositione a magistro perficienda sermo sit, unum hoc imprimis prae oculis habeatur: normam nempe in Scripturae interpretatione minime esse scientiam humanam, multo minus temeraria novatorum commenta, sed Ecclesiae magisterium, a quo minime discedat et sub quo elementis scientiae humanae utatur. Hoc ductus principio, non merae eruditionis corticem rodat sed medullam doctrinalem utriusque Testamenti attingere curet, illas praecipue librorum pericopas explanans quae de Deo, de creatione, de Messiae vita praenuntiata et acta agunt. Cum vero tota exegetica expositio in scholis perficienda ad vitam spiritualem sacerdotum et exercitium apostolatus ordinari debeat, tum Psalmos interpretetur, tum eas saltem Evangeliorum et Epistolarum partes fusius explicet, quae diebus dominicis et festis in ecclesia publice leguntur.

En ergo materia a magistro proponenda, ita tamen ut primo loco sensum litteralem clare et perspicue exponat. Hoc autem obtinebit si sensu doctrinae theologicae imbu-

tus, prae oculis habeat, tum textum et contextum proximum, tum contextum remotum, tum explicationem apud SS. Patres et in traditione catholica contentam, tum postulatum « analogiae fidei », tum denique, si casus fert, statutum de illo textu a Magisterio Ecclesiae. Quod non impedit quominus et sensum spiritalem exponat, non proprium quidem et arbitrarie inventum, sed prout ille apparet vel in ore ipsius Salvatoris, vel in verbis ac scriptis Apostolorum, vel in tradita ab Ecclesia doctrina, vel in antiquissimo usu liturgiae.

In hoc positivo labore exegetico, impedimentum non infrequens magister inveniet: difficultates nempe et obscuritates in libris S. Scripturae hinc inde sparsas. Has vero et sincere proponat, et pro viribus enodare conetur, non minus humilitate usus quam scientia, minime oblitus « Deum Sacros quos ipse inspiravit libros, consulto difficultatibus adspersisse, ut et intentius ad eos evolvendos et perscrutandos excitaremur, et salubriter mentis nostrae limites experti, debita amini demissione exerceremur » [4].

Haec omnia si attente considerentur, mens clara apparet Ecclesiae de maxima utilitate studiorum biblicorum in ordine ad vitam sacerdotalem et apostolicam, deque summa diligentia qua talia studia in Seminariis peragi ac promoveri debeant. Hinc nihil mirum si Instructio et antiquas normas denuo in memoriam revocet, et novas proponat, quae ad S. Scripturae studium profundum ac continuum viros ecclesiasticos cogant, quibusque et magistri et alumni necnon et sacerdotes extra Seminarium, in re biblica quam maxime faveantur.

Providetur ergo magistro rei biblicae diversis propositis mediis, quibus illi permanentia, etiam ad vitam, in munere docendi grata fiat. Ideo commendatur ut, aliis gravioribus negotiis relictis, magister totus relinquatur muneri suo; ut aspectus eius vitae oeconomicae tum ma-

---

[4] A.A.S. 35 (1943), p. 318.

terialis tum scientificae in tuto collocetur; ut opportunitas illi praebeatur conventibus adesse, Terram sanctam invisere, fructus laborum typis edere; ut socius sibi adsit, duobus constitutis Lectoribus rei biblicae, altero Veteris, altero Novi Testamenti, si id numerus alumnorum exigat; ut bibliotheca biblica omni ex parte completa ei assignetur, ita ut commentaria catholica, subsidia biblica et profana, encyclopediae atque ephemerides biblicae ei praesto sint. Hoc pacto salvari et aspectum psychologicum, et aspectum scientifico-theologicum, et aspectum oeconomicum facile videri potest.

Ut hic triplex aspectus etiam in alumnis salvetur, normae peculiares praescribuntur. Sic ergo mediante illa praescriptione de compendiaria quadam introductione ad S. Scripturam tradenda, iam ab ineunte altiorum studiorum curriculo, quo via expeditior remaneat proximis studiis biblicis, aspectus scientificus providetur; ex praescripta bibliotheca biblica pro alumnis sufficienter copiosa aspectus scientificus simul et oeconomicus attenditur; denique mediantibus praescriptionibus de cura speciali habenda illorum alumnorum qui, cum maiori ingenio praediti sint ac melioris spei pro re biblica appareant, cultum specialem biblicum ac quasi « specialissatum » merentur, respicitur simul et aspectus scientificus et aspectus psychologicus.

His praescriptis normis, quibus et magistrorum rei biblicae et eorum alumnis consulitur, illae addendae restant quibus et sacerdotes, iam in vita apostolica degentes, prae oculis habentur. Influxus S. Scripturae in vitam asceticam sacerdotum ac in eorum vitam apostolicam exigit ut studium rei biblicae per vitam fideliter continuetur. Quod ut minus difficile fiat, in examinibus triennalibus vel quinquennalibus, ad normam Can. 130 § 590, singulis annis assignatur paranda materia introductoria et exegetica; in collationibus autem seu conferentiis habendis, ad nor-

mam Can. 131. 591, explicandum proponatur aliquod punctum biblicum apte electum.

Sic ergo Ecclesia consulit formationi biblicae suorum sacerdotum. Et merito quidem, cum ex una parte non possint, sine dedecore, sacerdotes sese substrahere ab illo ambiente biblico magis omnes circulos sociales hodie ubique pervadente, ex alia autem debeant Christum reflectere in modo sese gerendi Eumque suis verbis aliis ostendere. Hoc vero nequit componi cum ignoratione S. Scripturae, nam, teste S. Hieronymo, « ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est » [5].

F. Asensio, S. I.

## 5 - Sacra Congregatio Rituum

### DECRETUM

#### DE SOLEMNI VIGILIA PASCHALI INSTAURANDA

Dominicae Resurrectionis vigiliam, quam « matrem omnium sanctarum vigiliarum » S. Augustinus appellat (sermo 219, PL 38, 1088), maxima solemnitate, inde ab antiquissimis temporibus, celebrare consuevit Ecclesia.

Huius vigiliae celebratio horis peragebatur nocturnis, quae Domini praecedunt Resurrectionem. Temporum vero decursu variisque de causis, eadem celebratio ad horas primum vespertinas, dein postmeridianas, denique ad matutinas sabbati sancti horas anteposita est, diversis simul inductis mutationibus, non sine originalis symbolismi detrimento.

Nostra autem aetate, succrescentibus de antiqua liturgia investigationibus, vivum obortum est desiderium, ut paschalis praesertim vigilia ad primitivum splendo-

---

[5] *PL.* 24, 17.

rem revocaretur, originali eiusdem vigiliae instaurata sede, ad horas videlicet nocturnas, quae dominicam Resurrectionis antecedunt. Ad huiusmodi instaurationem suadendam, peculiaris quoque accedit ratio pastoralis, de fidelium scilicet concursu fovendo; etenim cum sabbati sancti dies, non amplius, ut olim, festivus habeatur, quamplurimi fideles horis matutinis sacro ritui interesse nequeunt.

His itaque suffulti rationibus, multi locorum Ordinarii, fidelium coetus religiosique viri, supplices ad Sanctam Sedem detulerunt preces, ut ipsa restitutionem antiquae vigiliae paschalis ad horas nocturnas inter sabbatum sanctum et dominicam Resurrectionis indulgere vellet.

Summus autem Pontifex Pius Papa XII, has preces benigne excipiens, pro Sua in re tanti momenti cura et sollicitudine, quaestionem hanc peculiari demandavit virorum in re peritorum Commissioni, qui totam rem diligenti studio et examini subicerent.

Referente denique infrascripto S. Rituum Congregationis Cardinali Pro-Praefecto, Sanctitas Sua Rubricas quae sequuntur, approbare dignata est, pro nocturna vigiliae paschalis celebratione, facultative pro hoc anno de locorum Ordinariorum prudenti iudicio instauranda, et ad experimentum. Rogantur propterea iidem locorum Ordinarii, qui hac facultate usi fuerint, ut de fidelium concursu et pietate, deque successu instauratae vigiliae paschalis S. Rituum Congregationem certiorem facere velint. Vetatur insuper omnibus librorum editoribus ne hunc ritum imprimant, sine Sacrorum Rituum Congregationis expressa licentia.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 9 Februarii 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Veliternus, *Pro-Praefectus*
L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc. *Secretarius.*

## Annotationes

Post decretum habentur in A. A. S. (p. 130-137) *Rubricae Sabbato Sancto servandae si Vigilia Paschalis instaurata peragatur.* Haec omnia, magis completa ac ad usum accomodata, etiam edita sunt in libro *Ordo Sabbati Sancti quando Vigilia Paschalis instaurata peragitur.* Typis polyglottis Vaticanis, 1951, 39 p.

1. De Liturgiae regressu ac progressu. In hoc decreto habetur exemplum egregium applicationis principiorum, quae in enc. *Mediator Dei et hominum* de regressu ad sacrae Liturgiae fontes ac de adaptatione Liturgiae hodiernis circumstantiis enuntiata sunt. Decretum est perlaudatio primitivi splendoris paschalis vigiliae non verbis tantum sed genuina instauratione. Iterum confitetur, quod iam gloriosus Pontifex Pius X dicebat: restaurationes Liturgiae « labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi aedificium liturgicum, quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem et fidem, intelligenti studio conformavit, rursus, dignitate splendidum et concinnitate, tanquam deterso squalore vetustatis, appareat » [1].

Radicaliter regreditur decretum ad originem primitivam Vigiliae Paschalis eligendo eius celebrationi horas nocturnas inter sabbatum sanctum et dominicam Resurrectionis et non horas vespertinas vel postmeridianas, sicuti plures liturgistae etiam proposuerunt. Sic statuit ad instaurandum originalem symbolismum lucis sed etiam, ut videtur, propter rationes pastorales: in regionibus enim, ubi habetur bene ordinata cura animarum, fideles horis postmeridianis feriae IV et sabbati Hebdomadae

[1] Pius X, *Abhinc duos annos* Oct. 1913: *AAS* 5 (1913) 449-450.

Sanctae ad sacramentum Poenitentiae accedunt, ita ut sacerdotes confessionibus audiendis occupati sint. Quamvis feria V in Caena Domini sit originaliter dies reconciliationis peccatorum et Vigilia Paschalis nox baptismatis, vita moderna non permittit, ut fideles moneantur confiteri iam feria IV; revera celebratio Vigiliae Paschalis horis postmeridianis esset in detrimentum salutis animarum propter penuriam confessariorum et crearet perturbationem in ecclesia propter simultaneitatem duarum functionum, celebrationis ét Vigiliae Paschalis ét sacramenti Paenitentiae. Etiam constat nocturnas celebrationes liturgicas adhuc populo moderno placere [2].

Efficaciter demonstrat novus Ordo restaurationem sacrae Liturgiae debere prius regredi omni squalore deterso ad genuinam formam ritus et deinde hunc ritum purgatum novis elementis, quae hodierna tempora exigunt, ditare. Nunc agere non possumus de splendida compositione huius Ordinis. Tantum animadvertimus Ordinem maxime promovere actuosam fidelium participationem: benedictio novi ignis ac cerei paschalis celebranda est, ubi populus ritum sacrum melius sequi possit; in processione cerei paschalis populus clerum sequitur; post tertium « Lumen Christi » accenduntur ex cereo paschali candelae populi; lectiones celebrans (!) et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant et iterum omnes ad orationes surgunt et genuflectunt; inter Litanias omnes genuflectunt et respondent; in medio chori, ante cereum benedictum, in conspectu fidelium, praeparatur vas aquae baptismalis benedicendae; spargitur de ipsa aqua benedicta super populum; habetur solemnis renovatio promissionum baptismatis lingua vernacula; in Missa omnes repetunt solemne « Alleluia ». Ergo hodie Ecclesia maxi-

---

[2] Quoad historiam temporis celebrationis vigiliae paschalis vide: Josef A. JUNGMANN S. J., *Die Vorverlegung der Ostervigil seit dem christlichen Altertum*: Liturgisches Jahrbuch 1 (1951) 48-54.

me sollicita est, ut populus de novo videat, audiat, respondeat et cantet. Quia lectiones, quae natura sua instructionem populi intendunt, nihilominus lingua latina habentur, non sufficit populum auscultare sed exigitur etiam illum legere versionem in lingua vernacula; S. Sedes videtur nondum velle concedere linguam vernaculam ad partem doctrinalem Missae, sicut permulti petunt, quoniam hic extra Missam permissio data non est.

2. Concessio facultativa et ad experimentum. Haec nova celebratio nocturna Vigiliae Paschalis anno 1951 permittitur facultative de locorum Ordinariorum prudenti iudicio ad experimentum. Ergo decretum episcopis amplam auctoritatem tribuit: possunt enim in suis dioecesibus nocturnam celebrationem simpliciter vel prohibere vel praescribere; possunt concedere facultatem tantum coetibus determinatis (v. g. domibus religiosis vel collegiis) vel in unoquoque casu exigere petitionem permissionis; possunt etiam realisationem relinquere prudenti iudicio uniuscuiusque parochi, rectoris vel superioris. In genere dici potest applicationem decreti pertinere ad *prudens iudicium*. Tamen ex ipso tenore decreti et ex perpulchro dono, quo S. Sedes in novo Ordine Sabbati Sancti Ecclesiam muneravit, omnino constat Auctoritatem ecclesiasticam spem habere, omnes grato animo efficaciter facturos esse quod sapienter proponit. Ecclesia exspectat ab omnibus gaudium filiale huius liturgicae reformationis secundum sanum principium ignatianum *sentire cum Ecclesia*, etiamsi fortasse in multis locis realisatio hoc anno possibilis non sit. Timendum est — quod iam experientia suggerit — ne multorum sacerdotum spiritus liturgicus sit tam exiguus, ut sine informatione decretum iam a priori removeant; ratio « pastoralis liturgicae » istis sacerdotibus omnino aliena esset, nam non foverent fidelium concursum in solemnioribus functionibus ecclesias-

ticis. Causa huius mentalitatis est defectus educationis liturgicae.

Ab altera tamen parte revera hoc anno adsunt graves difficultates realisationis decreti. Sero enim decretum publicatum est, in A.A.S. die 26 Februarii 1951. Timendum est, ne textus in multas regiones non tempestive perveniat. Reformatio proposita exigit diligentem praeparationem materialem ac spiritualem. Quia vetatur omnibus librorum editoribus ne hunc ritum imprimant, penuria librorum obstaculum esse potest; etiam confectio cerei paschalis secundum novas ordinationes, exercitatio ministrantium ac cantorum, etc. requirunt tempus. Praesertim spiritualis praeparatio populi propter temporis penuriam in angustias venit. Nemo dicat a priori populum non amare hanc novitatem. Si populus bene instruitur, si celebratio digna ac concinna est, omnes fideles hoc ritu sine dubio commovebuntur et ad fructuosam devotionem erigentur. Ergo propter penuriam temporis experimentum hoc anno fortasse non prospere pleneque succedet.

In regionibus, ubi cultus liturgicus nondum bene ordinatus est, executio decreti videtur impossibilis, nam haec novitas liturgica omnino supponit ordinem ac quamdam intelligentiam populi. Ubi v. g. inter Missarum Sollemnia populus per magnam partem temporis versatur circa sedes confessionales et ab Offertorio usque ad Consecrationem, immo etiam de novo post Consecrationem, habentur sermones, vigilia nocturna prospere succedere non poterit, nam inter ritus multitudo ex consuetudine curret ad sedes confessionales; insuper populus non assuevit una cum sacerdote copulatus iisdem eius verbis iisdemque Ecclesiae sensibus comprecari, ita ut celebratio ei nimis diuturna sit.

Ubi habetur optima in se consuetudo benedicendi domos in Sabbato Sancto, secundum prudens iudicium eligendum est inter duas possibilitates: vel instituitur vigilia nocturna et omittitur sabbato benedictio domorum

(quod ultimum etiam ministerium confessionum suadere videtur), vel retinetur benedictio et celebratur sicut antea vigilia secundum Missale Romanum. Quamvis in se benedictio domorum tantum post benedictionem aquae baptismalis fieri possit, ad eam tamen retinendam, vigilia nondum celebrata, facultas fortasse dari posset, sed etiam tunc remanet difficultas, quod propter hanc benedictionem sacerdotes sabbato praesto non sunt ad confessiones audiendas, ut populus in nocte sancta possit communicare.

Ergo in multis regionibus videntur adesse graves difficultates ad decretum realisandum, praesertim ex parte curae pastoralis, quam negligere propter ritum liturgicum omnino non licet. Sed difficultates adsunt, ut vincantur. Mirum est saepius sacerdotes non quaerere solutiones, cum agatur de restaurando splendore Liturgiae, quasi ipsa Liturgia non sit medium optimum ad salutem populi procurandam.

Etiamsi experimentum hoc anno non prospere succederet, conclusio omnino non potest esse celebrationem nocturnam vigiliae paschalis esse in se aliquid exaggeratum; tantum dici liceret hunc ritum esse *quoad nos, quoad tempora nostra,* nimis excellentem vel difficilem, et quidem praesertim propter adhuc imperfectam intelligentiam ac spiritum liturgicum. Revera restauratio liturgica labores desiderat cum magnos, tum diuturnos [3].

H. Schmidt S. I.

---

[3] Omnino videndum est opusculum: A. Bugnini C. M., *De solemni Vigilia Paschali instauranda; commentarium ad decretum S. R. C. diei 9 Februarii* 1951. (Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », sectio historica, 24). Roma, 1951. Habetur etiam in: Ephem. Liturg. 65 (1951) Fasc. I, supplementum.

# ACTA SUMMATIM RELATA

## 6 - SS. D. N. Pius Pp. XII

1 — Litterae apostolicae *Quantum hisce*, 24 mai 1946, quibus s. Ioannes Bosco confessor Sodalitatis catholicorum editorum ex Italia praecipuus caelestis patronus constituitur (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 425-427).

2 — Litterae apostolicae *Fausto quidem*, 23 ian. 1948, qua in urbe Pacensi, in Bolivia, ecclesia Deo in honorem s. Francisci Assisiensis dicata basilicae minoris titulo ac dignitate afficitur (*AAS* XLII [22 iul. 1950] p. 472-473).

3 — Litterae apostolicae *Quae omnes gentes*, 23 febr. 1948, qua ecclesia B. V. Mariae in loco « Csiksomlyo » intra fines Albae Iuliensis dioecesis dicata basilicae minoris titulo ac privilegiis cohonestatur (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 378-380).

4 — Litterae apostolicae *In sancta Ecclesia*, 11 iun. 1948, qua s. Casimirus, confessor, totius iuventutis Lithuanae praecipuus apud Deum caelestis patronus confirmatur (*AAS* XLII [22 mai. 1950] p. 380-382).

5 — Litterae apostolicae *Quandoquidem* 11 iun. 1948, quibus B. V. Maria ab Immaculata Conceptione, vulgo « Domina Nostra de Lanka » appellata, totius ditionis de « Ceylon » patrona caelestis declaratur (*AAS* XLII [22 mai. 1950] p. 382).

6 — Litterae apostolicae *Inter praeclariora*, 12 iun. 1948, quibus ecclesia cathedralis metropolitana Medellensis honoribus basilicae minoris insignitur (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 428-429).

7 — Litterae apostolicae *Insigne pietatis*, 16 iul. 1948, qua ecclesia paroecialis Deo in honorem « Nostrae Dominae » dicata, in civitate « Gray » archidioecesis Bisuntinae posita, privilegiis basilicae minoris honestatur (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 544-545).

8 — Ltterae apostolicae *Quae divino afflante*, 12 aug. 1948, quibus titulus ac privilegia basilicae minoris cathedrali ecclesiae Mercedensi in republica Argentina conferuntur (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 593-594).

9 — Litterae apostolicae *Expedit*, 22 sept. 1948, quibus delegatio apostolica de « Dakar » constituitur (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 429-430).

10 — Litterae apostolicae *Paxia,* 8 oct. 1948, quibus titulus et privilegia basilicae minoris ecclesiae B. V. Mariae a Pace, in urbe Pacensi, Boliviae principe, conferuntur (*AAS* XLII [1 mai 1950] p. 324-326).

11 — Constitutio apostolica *Ecclesiasticas in catholico orbe,* 3 martii 1949, qua a dioecesis Nimpuovensis territorio pars meridionalis separatur, quae in novam dioecesim erigitur, Iomchiavensem appellandam, et clero saeculari Sinensi concreditur (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 613-615).

12 — Litterae *A missionibus,* 7 apr. 1949, quibus delegatio apostolica pro Corea erigitur (*AAS* XLII [1 mai 1950] p. 327-327).

13 — Litterae apostolicae *Aeduorum principem,* 8 apr. 1949, quibus ecclesia cathedralis Augustodunensis Deo in honorem S.. Lazari ep. et conf. dicata basilicis minoribus accensetur (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 430-432).

14 — Litterae decretales *Inter turbida,* 15 maii 1949, quibus b. IOANNAE DE LESTONNAC, viduae, Ordinis Filiarum B. V. Mariae fundatrici sanctorum honores decernuntur (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 521-534).

15 — Litterae apostolicae *In maximis,* 24 mai 1949, quibus templum paroeciale « de Guanare » intra fines dioecesis Barquisimetensis seu sanctuarium B. V. Mariae « de Coromoto », Venezuelanae Reipublicae Patronae, titulo basilicae minoris condecolatur (*AAS* XLII [1 mai 1950] p. 328-329).

16 — Litterae apostolicae *Quae feliciter,* 30 maii 1949, quibus cathedralis ecclesia Nicensis novo B. V. Mariae in caelum Assumptae et s. Reparatae virginis et martyris canonico titulo atque basilicae minoris privilegiis ornatur (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 545-547).

17 — Litterae apostolicae *Conspicua templa Dei,* 2 iunii 1949, quibus ad titulum et dignitatem basilicae minoris erigitur ecclesia cathedralis dioecesis de Aguas Calientes (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 590-591).

18 — Litterae apostolicae *Qua Augustus imperator,* 8 iulii 1949, quibus Beata Maria Virgo « Madonna del Pontelungo » nuncupata, civitatis ac dioecesis Albinganensis patrona caelestis declaratur eiusdemque festum certa die statuitur (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 591-592).

19 — Litterae apostolicae *Catholicas studiorum,* 27 iul. 1949, quibus constituitur Foederatio catholicarum Studiorum Universitatum (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 385-387).

20 — Litterae apostolicae *Templa Dei,* 5 aug. 1949, quibus ad dignitatem basilicae minoris evehitur sanctuarium B. V. Mariae

« de la Couture » in oppido vulgo « Bernay » intra fines Ebroicensis dioecesis (*AAS* XLI [3 aug. 1950] p. 547-548).

21 — Litterae apostolicae *Trecentesimum annum*, 27 aug. 1949, qua titulo et privilegiis basilicae minoris ditatur ecclesia paroecialis Deo in honorem Desponsationis B. V. Mariae, Viennae in Austria, dicata (*AAS* XLII [22 mai. 1950] p. 384-385).

22 — Litterae apostolicae *Providentissimi*, 29 sept. 1949, quibus s. Michael archangelus praecipuus apud Deum patronus totius Italicae publicae disciplinae ac securitatis tuendae administrationis declaratur (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 286-288).

23 — Litterae apostolicae *Effatum illud*, 27 oct. 1949, quibus ad titulum et dignitatem basilicae minoris evehitur ecclesia cathedralis Molinensis in Gallia, Deo in honorem B. V. Mariae « ab Angelis » dicata (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 548-549).

24 — Litterae apostolicae « *Simplices* », 28 oct. 1949, quibus S. Gerardus Maiella C. Coratensis civitatis, intra fines Tranensis di archidioecesis positae, caelestis patronus aeque principalis cum S. Cataldi declaratur (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 626-627).

25 — Constitutio apostolica *Inter praecipua*, 2 nov. 1949, de nova dioecesi, Albasitensi nomine, erigenda eiusque capitulo cathedrali constituendo (*AAS* XLII [22 iul. 1950] p. 469-472).

26 — Constitutio apostolica *Quo commodius*, 2 nov. 1949, de erectione duarum novarum dioecesium in Hispania, de mutatione finium et de constitutione capituli cathedralis in utraque nova dioecesi (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 535-539).

27 — Litterae apostolicae *Veteres Europae*, 11 nov. 1949, quibus B. V. Maria, « Virgo fidelis » appellata, totius militaris Italici coetus quem « Arma dei Carabinieri » vocant, patrona caelestis praecipua declaratur (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 288-290).

28 — Litterae apostolicae *Quidquid*, 11 nov. 1949, quibus basilicae minoris honoribus decoratur templum B. Mariae Virginis de Mercede, in civitate vulgo dicta » « Jerez de la frontera », intra fines archidioecesis Hispalensis (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 627-628).

29 — Litterae apostolicae *Nitore caeli*, 25 nov. 1949, quibus ecclesia cathedralis dioecesis Puteolanae titulo ac privilegiis basilicae minoris ditatur (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 629-630).

30 — Epistula *Peragenti tibi*, 10 dec. 1949, ad Exc.mum P. D. Franciscus Beretti, archiepiscopum tit. Leontopolitanum in Pamphilia, eundemque collegii S. Spiritus Commendatorem, quinquagesimum annum ab inito sacerdotio implentem (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 389).

31 — Constitutio apostolica *Satius haud dubia*, 17 dec. 1949,

qua nova praelatura nullius Davaensis erigitur (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 373-375).

32 — Constitutio apostolica *Quod christianae plebis*, 25 dec. 1949, qua nova praelatura nullius Corocorensis in Bolivia erigitur (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 375-378).

33 — Constitutio apostolica *Quo in insula Formosa*, 30 dec. 1949, de erigenda nova praefectura apostolica (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 421-422).

34 — Litterae apostolicae *Camertes*, 8 ian. 1950, quibus B. V. Maria sub titulo « in Via » civitatis et totius archidioecesis Camerinensis caelestis apud Deum patrona aeque principalis cum s. Venantio martyre constituitur (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 432-433).

35 — Constitutio apostolica *Ad animarum bonum*, 14 ian. 1950, de erigenda nova dioecesi Wigorniensi (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 423-425).

36 — Constitutio apostolica *Ut fidei propagandae*, 2 febr. 1950, de erigenda nova praefectura apostolica, Capitis Palmensis appellanda (*AAS* XLJJ [3 aug. 1950] p. 539-540).

37 — Epistula *Neminem profecto latet*, 11 febr. 1950, ad Rev.mos P. KILIANUM LYNCH, priorem generalem Ordinis Fratrum B. Mariae V. de Monte Carmelo et P. SILVERIUM A S. THERESIA, praepositum generalem Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo, septimo exeunte saeculo ab institutione sacri Scapularis Carmelitarum (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 390-391).

38 — Litterae apostolicae *Monasticae vitae*, 14 febr. 1950, quibus prioratus conventualis Egmundensis intra fines Harlemensis dioecesis in abbatiam « sui iuris » erigitur, Congregationi Gallicae Ordinis S. Benedicti unitam (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 550-551).

39 — Epstula *Quattuor ante*, 15 febr. 1950, ad Rev.mum P. EPHRAEM BLANDEAU, Hospitalarii Ordinis a S. Ioanne de Deo moderatorem generalem, quarto elapso saeculo ab obitu eiusdem ordinis conditoris (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 294-296).

40 — Epistula *Duobus elapsis*, 15 febr. 1950, ad Exc.mum P. D. CAESAREM BUCCULERI archiepiscopum Mutinensem, altero evoluto saeculo ab obitu Ludovici Antonii Muratori (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 296-299).

41 — Epistula *Ex litteris*, 24 febr. 1950, ad Rev.mum P. D. MAURUM DE CARO, Ss. Trinitatis Cavensis abbatem, nono impleto saeculo ab obitu s. Alferii abbatis (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 300-301).

42 — Litterae *Antiquum*, 4 mart. 1950, quibus paroecialis ecclesia s. Franciscae Xaveriae Cabrini, in oppido vulgo « S. Angelo

Lodigiano » dioecesis Laudensis, basilicae minoris honoribus privilegiisque decoratur (*AAS* XLII [22 iul. 1950] p. 476-477).

43 — Constitutio apostolica *Si qua enascens*, 10 mart. 1950, de praefectura apostolica de Victoria Falls in vicariatum apostolicum Livingstonensem nomine erigenda (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 541-542).

44 — Constitution apostolica *Si evangelicos fructus*, 10 mart. 1950, de praefectura apostolica S. Georgii in vicariatum apostolicum eiusdem nominis erigenda (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 542-543).

45 — Epistula *Vix undecimus*, 12 mart. 1950, ad Rev. Patres Sodales Societatis Iesu qui in commentarios conscribendos « La Civiltà Cattolica » incumbunt saeculo exeunte ab ipso commentario condito (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 391-393).

46 — Litterae apostolicae *Id maxime*, 15 mart. 1950, quibus delegatio apostolica Indonesiae ad internuntiaturae apostolicae gradum evehitur (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 434).

47 — Litterae apostolicae *Dei sapientiam*, 19 martii 1950, quibus venerabilis Dei famula PAULA ELISABETH, in saeculo CONSTANTIA CERIOLI, vidua BUZECCHI-TASSIS, Instituti Bergomensis a Sacra Familia fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 290-294).

48 — Litterae apostolicae *Ut castissimum*, 19 mart. 1949 quibus s. Ioseph, confessor, B. V. Mariae sponsus Moreliensis urbis praecipuus apud Deum patronus declaratur (*AAS* XLII [22 iul. 1950] p. 474-476).

49 — Epistula *Inter graves*, 21 mart. 1950, ad Emm.mum P. D. NICOLAUM Protodiaconum S. Nicolai in Carcere Tulliano S. R.E. Cardinalem CANALI, quinquagesimum a suscepto sacerdotio annum feliciter explentem (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 393-394).

50 — Litterae apostolicae *Romanorum pontificum*, 22 mart. 1950, quibus aedes aeternae Sapientiae dicata, intra Romanae Studiorum Universitatis saepta Sanctae Sedis sumptibus extructa, Studio Urbis pro catholico cultu donatur (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 387-388).

51 — Allocutio in Consistorio semipublico diei 27 martii 1950 (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 278-279).

52 — Constitutio apostolica *Quo aeternae*, 28 martii 1950, qua a dioecesis Lipensis territorio pars seiungitur et nova erigitur dioecesis Lucenensis nomine (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 583-585).

53 — Constitutio apostolica *Ad dominicum gregem*, 6 maii 1950, qua a Syracusanae archidioecesis territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim Ragusiensem nuncupandam, quae tamen archidioecesi ipsi Syracusanae aeque principaliter perpetuo unitur (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 622-625).

54 — Homilia in sollemni canonizatione b. Antonii Mariae Claret, archiepiscopi, 7 maii 1950 (*AAS* xlii [22 mai 1950] p. 370-372).

55 — Allocutio 8 maii 1950 ad fideles qui Roma convenerant ad canonizationem b. Antonii Mariae Claret celebrandam (*AAS* xlii [22 iul. 1950] p. 479-480).

56 — Litterae apostolicae *Quod ait Sanctus Bonaventura*, 15 maii 1950, quibus S. Ioannes Baptista de la Salle C. omnium magistrorum pueris adulescentibus instituendis patronus caelestis praecipuus constituitur (*AAS* xlii [29 sept. 1950] p. 631-632).

57 — Homilia 18 mai 1950 in sollemni canonizatione B. V. Bartholomaeae Mariae Capitanio et Catharinae Vincentiae Gerosa (*AAS* xlii [9 iun. 1950] p. 418-421).

58 — Epistula *Dum nonum*, 25 maii 1950, ad Exc.mum P. D. Emmanuelem Mignone, episcopum Arretinum, nono exeunte saeculo ad obitu Guidonis Arretini (*AAS* xlii [22 iul. 1950] p. 477-479).

59 — Homilia in sollemni canonizatione b. Ioannae Valesiae, Galliae reginae, 28 mai 1950 (*AAS* xlii [22 iul. 1950] p. 466-469).

60 — Allocutio 28 maii 1950 ad christifideles qui Romae convenerant ad canonizationem b. Ioannae, Galliae reginae, celebrandam (*AAS* xlii [22 iul. 1950] p. 481-484).

61 — Epistula *Diu exspectata*, 7 iun. 1950, ad Em.mum P. D. Fridericum tit. S. Mariae a Victoria S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tedeschini, Sodalitatis a S. Hieronymo patrono, de evangelii exemplari eiusdem sodalitatis cura denuo typis edito (*AAS* xlii [3 aug. 1950] p. 552-552).

62 — Homilia in sollemni canonizatione b. Vincentii Strambi episcopi 11 iun. 1950 (*AAS* xlii [3 aug. 1950] p. 518-521).

63 — Homilia Ss.mi Domini nostri habita 25 iun. 1950 in sollemni missa canonizationis B. Mariae Goretti V. M. (*AAS* xlii [2 sept. 1950] p. 580-582).

64 — Allocuto Summi Pontificis ad christifideles post canonizationem S. Mariae Goretti V. M., 25 iunii 1950, habita (*AAS* xlii [2 sept. 1950] p. 597-599).

65 — Epistula 29 iun. 1950 ad E.mum P. D. Henricum tit. S. Petri in Monte U Aureo S. R. E. Presb. Cardinalem Pla y Deniel, archiepiscopum Toletanum quinquagesimum sacerdotii annum feliciter impleturum (*AAS* xlii [29 sept. 1950] p. 632-633).

66 — Epistula 1 iul. 1950 ad Rev. P. Fridericum Schwendimann S. I., moderatorem generalem delegatum consociationis ab Apostolatu Orationis ob Cruciatam precum piorumque poenitentiae operum in sacrum vertentem annum ab eadem consociatione indictam (*AAS* xlii [29 sept. 1950] p. 634).

67 — Litterae apostolicae *Flores appanuerunt,* 8 iul. 1950, quibus basilicae minoris dignitate ac titulo decoratur abbatiale templum Floriacense in honorem s. Benedicti abbatis Deo dicatum in oppido « Saint-Benoît-sur-Loire » intra fines Aurelianensis dioecesis exstans (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 284-286).

68 — Homilia in missa sollemni canonizatione B. MARIAE ANNAE DE PAREDES V. in Vaticana Basilica die 9 iulii 1950 (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 610-612).

69 — Allocutio Summi Pontificis habita 10 iulii 1950 ad christifideles qui ad canonizationem beatae MARIAE ANNAE DE PAREDES celebrandam Romae convenerant (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 637-639).

70 — Constitutio apostolica *Merito ad potiorem,* 14 iul. 1950, que praefectura apostolica de Tukuysin in vicariatum apostolicum evenitur nomine « Mbeyaënsem » *AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 282-283).

71 — Epistula *Decem Sacerdotii lustra,* 6 apr. 1950, ad Emmum P. D. MAXIMUM tit. S. Mariae in Porticu S. R. E. Presbyterum Cardinalem MASSIMI quninquagesimum sacerdotii annum fauste celebraturum (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 435-436).

72 — Homilia intra missarum sollemnia in die paschatis, 9 apr. 1950 (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 279-282).

73 — Epistula *Concordem Hollandiae,* 9 apr. 1950, ad Excum P. D. PAULUM GIOBBE, archiepiscoupm tit. Ptolemaindensem in Thebaide et Nuntium internuntium in Hollandia apostolicum, quinque a suscepto episcopatu lustra feleciter implentem (*AAS,* XLII [9 iun. 1950] p. 436-437).

74 — Epistula *Allocutio* 10 apr. 1950 ad docentes et alumnos Universitatum Studiorum et scholarum e Gallia Romam peregrinantes (*AAS* XLII [22 mai 1950] p. 398, 395-397).

75 — Epistula *Cum audiverimus,* 15 apr. 1950, ad Revmum P. JOANNEM G. JANSSENS, Societatis Iesu praepositum generalem de Congregationibus Marianis provehendis (*AAS* XLII [9 iun. 1950] p. 437-440).

76 — Constitutio *Apostolicis sub plumbo,* 18 aprilis 1950, qua praefectura Fluminis Magdalenae in vicariatum apostolicum erigitur Barrancabermeiensem nuncupandum (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 586-587).

77 — Constitutio apostolica *Ad episcopalis hierarchiae,* 18 aprilis 1950, qua praefectura apostolica de Hungtung in Sinis in dioecesim erigitur Homtamensem nomine (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 620-622).

78 — Constitutio apostolica *Laeto accepimus*, 18 aprilis 1950, qua hierarchia episcopalis in Africa Occidentali ditionis Britannicae constituitur (AAS XLII [29 sept. 1950] p. 615-619).

79 — Momilia in sollemni canonizatione B. MARIAE GULIELMAE DE RODAT, 23 apr. 1950 (*AAS* XLII [1 mai 1950] p. 322-324).

80 — Constitutio apostolica *Precibus annuentes*, 25 aprilis 1950, qua a dioecesis Lipensis territorio pars distrahitur e yua praelatura « nullius » Infantensis mine erigitur *JAAS* XLII [2 sept. 1950] p. 587-589).

81 — Epistula 6 aug. 1950 ad partecipantes conventum XXI universalem sodalitatis cui nomen « Pax Romana » amstelodami coadunatos (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 635-637).

82 — Nuntius radiophonicus sociis sodalitatis Iuvenum Operariorum Christianorum (JOO ob quina lustra ab eadem sodalitate condita in urbe Bruxellis coadunatis die 3 sept. 1950 (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 639-642).

## 7 - S. Congregatio Consistorialis

1 — Decreta 10 decembr. 1949 et 1 febr. 1950 de mutatioinibus finium dioecesim (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 307-308).

2 — Decretum 24 ian. 1950 de finium dioecesium immutatione (*AAS* XLII [3 iun. 1950] p. 554-555).

3 — Decretum 7 martii 1950 de translatione ecclesiae cathedralis dioecesium Portuensis et Sanctae Rufinae (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 602).

4 — Decretum 19 martii 1950 de finium dioecesim Veliternae et Terracensis circumscriptione (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 643-644).

## 8 - S. Congregatio pro Ecclesia Orientali

Decretum 16 decembr. 1949 de finibus vicariatus Aegypti (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 309).

## 9 - S. Congregatio de Propaganda Fide

1 — Decreta 14 iul. 1949 de mutanlis appellationibus praefecturae apostolicae de Kodok et vicariatus apostolici de Urundi (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 310-311).

2 — Decretum 2 febr. 1950 quo vicariatum apostolicum Liberiensem deinceps « Monroviensem » appellandum esse statuitur (*AAS* XLII [2 sept. 1950] p. 603).

3 — Decreta 10 martii et 24 maii 1950 de vicariatum apostolicorum quorundam finium mutatione; decreta 18 aprilis de vicariatus apostolici de Hanoi et praefecturarum apostolicarum quarundam nominibus mutandis (*AAS* XLII [29 sept. 1950] p. 646-649).

## 10 - S. Congregatio Rituum

*Causae beatificationis et canonizationis*

1 — *Albanen.* Decretum 11 decembr. 1949 pro canonizatione B. MARIAE GORETTI virginis et martyris (*AAS* XFI)) [14 apr. 1950] p. 313-314).

2 — *Curien.* Decretum 11 dec. 1949 introductionis causae servae Dei MARIAE TERESIA SCHERER, confundatricis et primae Superiorissae generalis Congregationis Sororum a Caritate S. Crucis eb Ingenbohl e Tertio ordine S. Francisci (*AAS* XFI)) [22 mai 1950] p. 399-401).

3 — *Romana seu Albanen. seu Senogallien.* Decretum *de Tuto,* 12 iau 1950, pro canonizatione B. MARIAE GORETTI virginis et martyris (*AAS* XLII [1 mai 1950] p. 331-332).

4 — *Quiten. Decretum* 12 ian. 1950 de miraculis pro canonizatione B. MARIAE ANNAE DE PAREDES virginis (*ASA* XLII [1 mai 1950] p. 332-334).

5 — *Victorien.* Decretum 28 febr. 1950 introductionis causae pro beatificatione servi Dei FRANCISCI GÁRATE, coadiutoris temporalis professi Societatis Iesu (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 556-558).

6 — *Toletana* Decretum 26 febr. 1950, reassumptionis causae pro canonizatione B. BEATRICIS DE SILVA, fundatricis Monialium Franciscalium a Ssma. Conceptione (*AAS* XLII [3 aug. 1950] p. 559).

7 — *Vicen.* Decretum *de Tuto* 5 martii 1950 pro canonizatione B. ANTONII MARIAE CLARET, confessoris pontificis, Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Mariae Virginis fundatoris (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 314-316).

8 — *Ruthen.* Decretum *de Tuto* 5 martii 1950 pro canonizatione B. MARIAE GULIELMAE AEMILIAE RODAT virginis, Congregationis Sororum a Sacra Familia fundatricis (*AAS* XLII [14 apr. 1950] p. 316-317).

9 — *Quiten.* Decretum 5 mart. 1950 *de Tuto* pro canonizatione B. Mariae Annae a Iesu de Paredes virginis (*AAS* xlii [22 mai 1950] p. 402-403).

10 — *Romana seu Hancionem.* Decretum 5 mart. 1950 de martyrio et miraculis ven. servi Dei Alberici Crescitelli, Missionarii apostolici in odium fidei interrempti (*AAS* xlii [22 iul. 1950] p. 490-492).

11 — *Romana seu Anagnina.* Decretum 5 mart. 1950 de miraculis pro beatificatione ven. servae Dei Mariae De Mattias, fundatricis Sororum Adoratricum Pretiosissimi Sanguinis (*AAS* xlii [22 iul. 1950] p. 492-494).

# 11 - S. Romana Rota

## Tabulae synopticae causarum

### I

*Causae iudicatae*

A - De matrimonio

| Causae | Aff. | Neg. | Iud. |
|---|---|---|---|
| Nullitatis | | | |
| Ob exclusum bonum fidei | 1 | 5 | 6 |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum prolis | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum prolis et bonum sacramenti | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et simulatum consensum | | 3 | 3 |
| Ob exclusum bonum fidei b. sacramenti et simulatum consensum | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum prolis | 4 | 18 | 22 |
| (Dispensatio super rato) | | (1) | (1) |
| Ob exclusum bonum prolis et bonum sacramenti | | 3 | 3 |
| Ob exclusum bonum prolis et bonum sacramenti et simulatum consensum | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum prolis et simulatum consennsum | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum sacramenti | | 4 | 4 |
| Ob exclusum bonum sacramenti et bonum fidei | | 2 | 2 |
| Ob clandestinitatem | 1 | 1 | 2 |
| Ob condicionem appositam | 4 | 5 | 9 |
| Ob consanguinitatem | | 1 | 1 |
| Ob defectum consensus | 3 | 1 | 4 |
| Ob simulatum consensum | 2 | 1 | 3 |
| Ob disparitatem cultus | | 1 | 1 |
| Ob impotentiam mulieris | 2 | 1 | 3 |
| (Dispensatio super rato) | | (1) | (1) |
| Ob impotentiam utriusque coniugis | | 1 | 1 |
| (Dispensatio super rato) | | (1) | (1) |

| Causae | Aff. | Neg. | Iud. |
|---|---|---|---|
| Ob impotentiam viri | 5 | 9 | 14 |
| (Dispensatio super rato) | (3) | (4) | (7) |
| Ob impedimentum ligaminis et defectum consensus | 1 | | |
| Ob vim et metum | 16 | 19 | 35 |
| » » » » et affinitatem | | 1 | 1 |
| » » » » et exclusum bonum fidei | | 2 | 9 |
| Ob vim et metum et exclusum bonum fidei et bonum sacramenti | | 1 | 1 |
| Ob vim et metum et exclusum bonum prolis | 3 | 2 | 5 |
| Ob vim et metum et appositam condicionem | | 1 | 1 |
| Ob vim et metum et appositam condicionem contra bonum fidei | 1 | | 1 |
| Ob vim et metum et defectum consensus | | 1 | 1 |
| » » » » et simulatum consensum | 1 | 1 | 2 |
| » » » » et exclusum ius in corpus | | 1 | 1 |
| Incidentis de restitutione in integrum | | 1 | 1 |
| Dispensationis super rato | | 1 | 1 |
| Separationis | 3 | | 3 |
| | 47 | 92 | 139 |

B - De aliis argumentis

Causae 3: crediti, iurium, refectionis damnorum.

N. B. - Ex his 142 causis 46 peractae sunt cum gratuito patrocinio (in 3, unius partis tantum).

II

*Causae quae eodem anno 1949 transactae fuerunt, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.*

A - De matrimonio

| Causae | |
|---|---|
| **Nullitatis** | |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum prolis | 2 |
| Ob exclusum bonum prolis | 7 |
| Ob exclusum bonum sacramenti | 2 |
| Ob appositam condicionem | 2 |
| Ob simulatum consensum | 2 |
| Ob ignorantiam naturae matrimonii | 1 |
| Ob impotentiam viri | 2 |
| Ob impedimentum ligaminis | 1 |
| Ob vim et metum | 1 |
| Ob vim et metum exclusum bonum prolis et simulatum consensum | 1 |
| Ob vim et metum et defectum consensus | 1 |
| Ob vim et metum et simulatum consensum | 4 |
| Incidentis | 2 |
| Reiectionis libelli | 2 |
| Dispensationis | 1 |
| Separationis | 1 |
| | 32 |

B - De aliis argumentis

Causae 6: damnorum, hereditatis, iurium, pensionis seu solutionis, periurii, poenarum.

# NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

## I - Ex libris

Antonius a Sant'Elia a Pianisi, O. F. M. Cap., *De pio Viae crucis exercitio disquisito historica iuridica ritualis, accedunt dissertationes de Crucifixis Viae crucis necnon Associationibus Viae crucis perpetuae et viventis*, Romae (Centro Naz. del T. O. F.), 1950, 17,5 × 24,5 cm. 145 pag.

*Proemium.* I. Lineamenta historica: viae crucis origo. Pii exercitii evolutio atque constitutio. S. Leonardus a Portu Mauritio. Pii exercitii adversarii, controversiae progressus. Crucifixus Clementinus et tabulae Bombellianae. Facultates pro erectione; sanationes; hoderniae condiciones erigendi. Hodierna Viae crucis condicio.

II. Normae iuridicae atque rituales: De viae crucis erectione. De modo viam crucis peragendi. Ritus servandus pro pio exercitio peragendo. De indulgentiis Viae crucis.

III. Crucifixi Viae crucis. Associationes Viae crucis perpetuae atque viventis: De crucifixis Viae crucis. De piis Societatibus Inionibus a Via crucis perpetuae et a Via crucis viventis.

Pio Cipriotti, *Observaciones al texto del Codex Iuris Canonici*, Secunda edición refundida, Salamanca (Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto « San Raimundo de Peñafort »). Salamanca, 1950, 17 × 24,5 cm., 208 pag.

Parte primera: Libri I-IV. - Parte secunda: Uniformidad de terminología. Léxico. Propriedad de los vocablos. Sintaxis. Morfología. Otras observaciones pertinentes al lenguaje. Palabras y construciones ambiguas. Ortografía. Puntuación. Etiblo y elegancia. Normas o expressiones supérfluas.

Fugen H. Fischer, *Gregor der Grosse und Byzanz. Ein Beiträg zur Geschichte der päpstlichen Politik*, Weimar (Hermann Böhlaus), 1950, 14 × 21,5 cm., 144 pag.

Orio Giacchi, Il consenso nel matrimonio cattolico, Milano (A. Giuffrè), 1950, 17 × 25 cm., 212 pag.

*Introduzione*: Sostanza e forma nel diritto della Chiesa. - I. Il consenso nel sistema matrimoniale canonico. - II. La mancanza del consenso per discordanza non voluta o voluta tra manifestazione e volontà. - III. Il consenso viziato per violenza subita dal nubente. - IV. Il consenso condizionato. - V. L'essenza del matrimonio.

HERIBERT JONE, O. F. M. cap., *Gesetzbuch der lateinischen Kirche. Erklärung der Kanones.* I. Band. *Allgemeine Normen und Personenrecht,* Kan. 1 bis Kan. 725, Zweite, vermehrte und verbesserte Auflage, Paderborn (F. Schöingh), 1950, 15,5 × 23 cm., 707 pag.

HERIBERTUS JONE, O. F. M. Cap., *Commentarium in Codicem Iuris Canonici,* Tomus I, Paderborn (F. Schöningh), 1950, 15,5×23 cm., 627 pag.

Normae generales. I. De Personis: De clericis in genere et in specie. De religiosis. De laicis.

R. MORENCY S. J., *L'Union de Grâce selon saint Thomas,* (Studia Collegii Maximi Immaculatae Conceptionis, VIII), Montréal, 1950, 16 × 24 cm., 287 pa.

I. *Problèmes préliminaires.* - II. *L'union de Dieu a l'âme*: union et inhabitation; union et mission; union et dilection; union ets adoption. - III. *L'union de l'âme à Dieu*: l'union de passion; d'assimilation; de finalisation; d'opération (le fait, le mode, ses états; conclusion. - IV. *Etude synthétique*: les éléments de l'union intégral; les rapports des unions entre elles. Conclusion. - *Bibliographie.*

LUIS A. MUÑOYERRO, Obispo de Sigüenza, *Código de deontología* farmacéutica (Colección Psicología - Medicina - Pastoral, 4), Madrid (Ediciones Fax), 14,5 × 20 cm., 236 pag.

I. *Questiones fundamentales de deontología farmacéutica*: fundamentos, importancia, fuentes de la deontología farmacéutica. - II. *Deberes del farmacéutico*: condiciones del farmacéutico; deberes en relación con su oficina, en el ejercicio del arte, para con la sociedad; relaciones profesionales; beneficios útiles en farmacia; ɹepoasnbilidad del farmacéutico. - III. *Documentos interesantes a la deontología farmacéutica.*

GERARDUS M. PARIS, O. P., *Synopsis totius Summae theologicae S. Thomae seu Divisio quaestionum totius Summae theologicae Angelici Doctoris cum responsibus rationibusque fundamen-

*talibus ad universos et singulos articulos*, Pars. I: Prima Secundae, Neapoli (M. D'Auria), 1950, 10,5 × 16,5 cm., 621 pag.

Angelo Pedroni, *Il consenso matrimoniale e la teoria della simulazione*. Roma, 1929, 17 × 23,5 cm., 45 pag.

Dottrina tradizionale. Stato della questione. Opinioni. Atteggiamento intellettuale del cosidetto simulante. Concetto e definizione della intenzione contro la sostanza del matrimonio. Raffronto fra intenzione e condizione. Obbiezioni e risposte. Conclusione.

Th. M. Vlaming. - L. Bender *O. P.*, *Praelectiones Iuris matrimonii ad normam Iuris Canonici*, edit. 4ª, Bussum in Hollandia (Sumptibus Soc. Editr. Anonym.), 1950, 15,5 × 24,5 cm., 574 pag.

Notiones generales. Matrimonii promissio. De iis quae matrimonii celebrationi praeire debent. De impedimentis matrimonialibus de eorumque dispensatione. De consensu matrimoniali. De forma, tempore, loco celebrationis matrimonii. De effectibus matrimonii. De separatione coniugum. De matrimonio invalido. De secundis nuptiis. De matrimonio civili.

## II - Ex periodicis

China Missionary Bulletin, II, 11 (dec. 1950).

Ambrose, *The Spritual Life of the Missionary*, p. 972-975. - III, 1 (ian. 1950). - *G.* Richard, *Noms de baptême en chinois*, p. 30-31.

Collectanea Mechliniensia, XXXVI, fasc. 1 (ian. 1951). - K. Blockx, *De Wereldraad van Kerken en het Congres van Amsterdam*, p. 18-37.

Commentarium pro religiosis et missionariis, XXIX, fasc. IV-V (1950) - A. Gutiérrez, *De vetita clericis et religiosis negotiatione et mercatura*, p. 183-211. - A. Larraona, *Constitutionis « Provida Mater » pars prior, seu ad eius introductionem doctrinalia et historica commentaria*, p. 212-223. - Ae. Gambari, *Institutorum saecularium et Congregationum religiosarum evolutio comparata*, p. 224-280.

Nederblandae Katholieke Stemmen, XLVII fasc. 1 (ian. 1951). - W. Mulder, *De nieuwe vasten en onthoudingswet in de praktijk*, p. 1-9. - G. W. A. Smulders, *Emigratie en zielzorg*, p. 9-21. - J. F. Van Campen, *De zorg voor onze emigranten*, p. 21-

26. fasc. 2-3. - Mgr. H. J. van Deursen, *De Adhortatio « Menti Nostrae » van Paus Pius* XII, p. 33-42..

Oesterreichisches Archiv. für Kirchenrecht, I, fasc. 2 (nov. 1950). - Fr. Arnold, *Der Codex für die orientalische Kirche. Das Prozessrecht*, p. 161-172.

Revista Eclesiástica Brasileira, vol. 10, fasc. 4 dec. 1950). J. de Azeredo Santos, *O Rolo Compressor Totalitário e a Responsabilitade dos Cátolicos*, p. 789-817.

Rivista del Clero Italiano, XXXII, fasc. II (febbr. 1951). - Salv. Scaglione, *Le conseguenze ginecologiche dei metodi anticoncezionali*, p. 55-58. - fasc. III (marzo) - Marciano Ciccabelli, *La settimana liturgica popolare sulla S. Messa*, p. 109-112.

**Pretium subnotationis annuae**
**In Italia L. 600; extra Italiam 2,50 doll.**

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Vincenzo Monachino S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1950

# DISSERTATIONES
## ET QUAESITA VARIA

### DE DELECTATIONE MOROSA UTI EST PECCATUM INTERNUM

#### I. De definitione peccati interni

Peccatum internum in genere est illud quod, ex natura sua, ut dicitur, in corde consummitur, seu illud quod solum potentiis internis animae perficitur, intellectu scilicet et voluntate, memoria et imaginatione. (Multi auctores omittunt propriam definitionem peccati interni. Aliqui in definitione sua illud nimis coartant dum dicunt: « Peccata interna sunt ea quae solum internis animae potentiis mente scilicet et voluntate perficiuntur » (sic vg. Tanquerey I. 528; Noldin-Schmidt I. 330; Marc-Gestermann I. 345 solum de actibus a voluntate elicitis loquitur: « Peccata interna, qua talia, sunt omnes actus mali, a voluntate eliciti, et deliberate voliti, qui in mente perficiuntur ». Lehmkuhl I. 221 largiore sensu sed magis indeterminato, peccata interna vocat ea quae: « sola mente concluduntur », et Prümmer I. 394 illa: « quae intra hominis cor perficiuntur ». Meliorem definitionem invenimus apud Aertnys-Damen I. 241 sequentem: « Illa peccata quae potentiis animae internis perficiuntur, etsi forte effectum quemdam exteriorem non directe intentum, habeant, uti vg. commotionem veneream »).

Haec definitio non contendit peccata interna numquam habere effectus externe apparentes. Tantummodo dicit peccatum absolvi per se in potentiis internis. Quod

externe apparet, vel est redundantia in sensus externos et in membra, vel consequentia est actus interioris.

*Strictissimo sensu* peccatum internum est solum illud quod perficitur actibus elicitis ipsius voluntatis, seu appetitus rationalis, actibus scilicet qui consummuntur in ipsa voluntate qua tali, distinctis ab omnibus actibus qui a voluntate procedunt in reliquas animae potentias, vel ab illa in illis admittuntur.

*Latiori sensu* peccata interna sunt ea omnia, quae non procedunt ad extra, neque operatione membrorum externorum, neque loquela. Illa sunt peccata quae a veteribus peccata cordis vocabantur, ut distincta a peccatis oris et operis. Non tantum inveniuntur in actibus ipsius voluntatis, sed etiam in actibus imperatis omnium facultatum interiorum animae: in voluntate scilicet, intellectu, memoria et imaginatione.

## II. De peccatis internis stricte dictis

Peccata interna stricte dicta, ut notatum est, sunt ea quae perficiuntur actibus elicitis voluntatis.

Peccatum est actus humanus moraliter malus. Quatenus humanus, debet procedere a voluntate deliberata, quae malo quod advertit libere consentit. Peccatum est ergo essentialiter actus voluntatis in objectum malum. Formaliter perpetratur per illam unionem voluntatis cum objecto malo, etiamsi executio externa non sequatur. Modi diversi quibus subjectum vult objectum malum, constituunt species diversas peccati stricte dicti interni. Quare attentius considerandi sunt actus illi interni voluntatis circa objectum suum.

### A. *De actibus internis stricte dictis.*

Notandum occurrit primum quod voluntas (appetitus rationalis qua bonum apprehensum intellectu vitali-

ter appetitur), licet libera sit et proinde essentialiter ut aliqua potentia activa consideranda sit, tamen etiam, qua appetitus, concipitur ut affecta ab appetibili. S. Thomas, actum voluntatis analysi subjiciens, potius aspectum activitatis illius positivae considerat. Postea, tractando de passionibus animae, motus aliquos quasi passivos voluntatis enumerat, correspondentes passionibus appetitus sensitivi. Simplex velle, intentio, fruitio nominantur ut actus eliciti voluntatis, quatenus aspectum activitatis voluntatis exprimunt. Complacentia, desiderium et gaudium dicuntur, quatenus potius motus passivos voluntatis significant.

In considerationibus sequentibus simul adhibentur nomina actuum et motuum. Respectu alicujus objecti ut finis considerati, diversi proinde distinguuntur actus et motus voluntatis.

1. Primo habetur *simplex velle* illius objecti, seu *complacentia voluntatis* in illo quod per cogitativam et rationem practicam ut bonum aliquod particulare proponitur subjecto. Abstractione enim facta ab omni exsecutione seu realisatione eventuali, immo explicita apposita exclusione omnis exsecutionis, consensus dari potest in ideam rei prout menti praesentatur, ut finem aliquem possibilem. Aliis verbis, objectum, sive sensibus externis, sive imaginatione, sive memoria, sive intellectu, appetitui seu rationi propositum, et ut bonum aliquod judicatum, a voluntate potest approbari in se ipso. Eo ipso voluntas sese libere committit. In illa commissione voluntatis peccatum jam absolvitur [1].

2. Alius voluntatis actus habetur, ubi adest *tenden-*

---

[1] Bene distinguatur haec forma actus interni a mera *repraesentatione* objecti sive theoretica, sive practica (i. e. objecti ut finis possibilis) coram mente, quin sit ullus actus voluntatis circa illud. Cum omnis actus voluntatis sit elusus, per se remaneremus extra ordinem moralitatis, nisi aliunde ostendatur in casu actu voluntatis approbationis vel repudiationis requiri.

*tia mere interna actualis* ad rem mente propositam, externe realisandam vel exsequendam in rerum natura. Hoc fit in actu intentionis seu *in motu desiderii*. Intentio est actus voluntatis respiciens objectum aliquod ut finem tendentiae actualis realisationis. Desiderium autem est voluntas alicujus rei externae futurae, in mente propositae ut finis tendentiae actualis voluntatis subjecti [2].

a) Desiderium proprie consideratum est actus voluntatis elicitae. Non potest confundi cum concupiscentia, quae est tendentia actualis ordinis sensitivi in rem aliquam. Tendentia quae habetur in desiderio est ordinis rationalis.

b) Ex definitione data etiam patet desiderium non esse simpliciter approbationem rei futurae. Supponit insuper tendentiam internam ad realisationem externam. Secundum quod illa tendentia est magis vel minus determinata et organisata, seu secundum quod finis tendentiae est magis definitus et concretus, modus illius consensus voluntatis dicetur *velleitas* vel *desiderium* proprie dictum. Secundum quod tendentia ad finem est ita organisata ut appareat jam concreta possibilitas realisationis, desiderium vocatur *efficax*. Secus est tantummodo desiderium *inefficax*. Ut supra ex verbis Suarez indicatum est (cfr. notam 2), desiderium nondum curat de mediis immediatis obtinendi finem. Aliis verbis desiderium est intentio aliqua prima, pure interna voluntati.

c) Quando ponitur aliqua conditio afficiens obje-

---

[2] Suarez posuit aliquam differentiam inter desiderium et intentionem:

(Franciscus Suarez. *De peccatis*, disp. V, sect. 7, § 7): « Desiderium abstrahit a mediis, circa quae intentio aliquo modo versatur; quod sic patet: cum amo bonum, quo careo, statim illud desidero, sine ulla cogitatione mediorum... et ex hoc desiderio nascitur consideratio mediorum et intentio ».

Auctores tamen generatim non loquuntur de intentione in tractatu de peccatis internis.

ctum desiderii, desiderium dicitur *conditionatum*, secus est *absolutum*: v. g. desidero nubere talem puellam, si conversa fuerit ad fidem.

Multi tamen auctores simpliciter vocant desiderium conditionatum desiderium inefficax, et desiderium absolutum desiderium efficax. v. g. Marc-Gestermann, I. 346; Pighi, I. 260; Ubach 165; Noldin-Schmidt, I. 331; Merkelbach, I. 447; et alii ... Tamen videtur rectius diversam distinctionem adhibere.

d) Non confundi potest *desiderium conditionatum* cum *desiderio conditionali*. In desiderio conditionali, conditio afficit ipsum actum desiderii; de facto non habetur actualiter desiderium, sed exprimitur unice quod, si talis vel talis conditio realisetur, in subjecto vel in objecto, desiderium jam existeret. Conferantur vg. sequentes expressiones: « Si non essem religiosus vellem matrimonio jungi », et: « Desidero uxorem ducere illam mulierem quando jam erit libera ». In primo exemplo non habetur desiderium actuale, in secundum desiderium est conditionatum.

3. Quando autem finis est omnino definitus et realisationi conveniens, alius habetur modus voluntatis assentiendi objecto, qui vocatur *propositum* seu *consensus in exsecutionem futuram*. Denuo quidam auctores hunc modum assentiendi non distinguunt a consensu desiderii. Sed patet quod proposita exsecutio, futura sane, modo magis definito in mente habetur, quam tendentia quae potius mentem occupat in actu desiderii.

4. Si, post consilium interne habitum, finis immediate realisandus apparet et adaptatus facultatibus exsecutivis subjecti, imperium datur simpliciter in exsecutionem praesentem. Hic consensus vocatur *consensus in actum*. Habetur ante omnem exsecutionem realem actualem, et jam originem dat inquisitioni mediorum aptorum ad hanc exsecutionem concretam. Communiter tamen ille consensus in actum ita artam connexionem habet cum exsecu-

tione ipsa, ut frequentius cum illa confundatur. Attamen ante omnem exsecutionem actualem, voluntas esese jam interne commisit, ita ut illa commissio considerari posset ut actus mere internus, diversus et separatus ab exsecutione ipsa.

5. Denique habetur actus voluntatis in factum aliquod i. e. approbatio seu *gaudium* illius facti. In genere possumus definire gaudium ut approbationem cujuscumque facti, cujus existentia assumitur ut objectum voluntatis actualis.

« Factum » est omne quod existit, seu concipitur ut existens a parte rei; omne quod fuit, et omne quod jam existit in causa sua necessaria. Ratio illa existentiae realis videtur elementum formale gaudii. In complacentia enim habebamus approbationem ideae eventualiter in rerum natura existentis; in desiderio approbatur quidem existentia, sed futura tantum, jamjam realisanda ut finis tendentiae actualis subiecti. In gaudio existentia objecti necessario est actualis. Gaudium proinde videtur actus voluntatis quo res existentes sub appetitu suo ponuntur. Relate ad operationem subjecti est reflexio quaedam in operationem praeteritam et comprobatio voluntatis initialis.

a) Gaudere possumus de voluntate praeterita, vg. me habuisse malum desiderium; de actu etiam praeterito materialiter sumpto, vg. me necasse inimicum meum; de eventu praeterito vg. de tempestate quae prohibuit inimicum meum venire ad me: de actione aliena praeterita, formaliter vel materialiter considerata, ut fit quando voluntate unior cum caritate alicujus sancti missionarii, vel quando approbo ejus opera caritatis.

b) Ita etiam gaudere possumus de operatione presenti, sive externe facta, sive interne, ope imaginationis, peracta, quatenus jam existit et objectum fit reflexionis internae. Gaudere possumus de actione praesenti aliorum et de eventu actuali.

c) Denique possumus gaudere de aliquo futuro necessario, quatenus iterum jam existit in sua causa necessaria, vg. gaudere possumus de morte inimici qui a judice damnatus ad mortem, jam non effugere queat. (Notetur hic differentia inter illud gaudium futurae mortis et desiderium ejusdem mortis futurae. In desiderio mors inimici est finis tendentiae voluntatis actualis, sed mors ipsa nondum existit. In gaudio mors jam existit in causa sua).

d) In omni ergo gaudio realitas quaedam existens fit objectum voluntatis actualis. Attamen non necessario habetur uni voluntatis cum voluntate volentis illam realitatem externam. Sic vg. possumus gaudere de morte inimici, quin gaudeamus de voluntate mala interfectoris. Aliis verbis, gaudium potest esse de actione aliqua vel tantum de effectu aliquo huius actionis, abstractione facta a voluntate causante talem effectum [3].

---

[3] Definitio gaudii, hic allata, largius patet illa quam generatim invenimus in libris manualibus moralistarum, ubi insistitur in notione temporali praeteriti. Sane frequentius gaudium erit approbatio alicujus operationis praeteritae, memoria recollectae. Atque secundum communiter contingentia moralistae recentes videntur definisse gaudium.

Aliqui auctores tamen, ut vg. Vermeersch I, 39, insinuant haberi differentiam inter modum loquendi philosophorum et modum loquendi moralistarum. Scholasticis, sicut S. Thomae, gaudium est aliqua delectatio ordinis rationalis, contradistincta a delectatione sensibili, quae sola proprie dicitur delectatio. Modus autem nunc praevalens apud moralistas, considerat gaudium ut complacentiam aliquam in malo perpetrato praeterito. Restringunt proinde gaudium ad complacentiam mali, et introducunt considerationem temporis bene definitam. Ex alia parte non jam lucide apparet utrum gaudium sit ordinis rationis, an sit ordinis appetitus sensitivi.

S. Alfonsus novum illum considerandi modum solide infixit per suam divisionem peccatorum internorum ratione temporis tripartitam, in introductione ad tractatum de delectatione morosa: « Desiderium est voluntatis actus tempus futurum respiciens... E contrario gaudium respicit praeteritum... Delectatio morosa denique

B. *De moralitate actuum internorum stricte dictorum.*

In genere loquendo judicium de moralitate actuum internorum stricte dictorum nullam movet difficultatem. Voluntas enim specificatur ab objecto. Si obiectum volitum est objective bonum, voluntas illius objecti erit bona, si objectum est objective malum, etiam voluntas illius erit mala. Objectum voluntatis est illud quod mente apprehenditur ut appetibile. Nihil volitum quod non est praecognitum.

## III. De peccatis internis late dictis

Judicium de actibus internis stricte dictis, in se consideratis, sat facile absolvebatur. Jam multo difficilius videtur judicium morale efformare de actibus internis a voluntate imperatis, in omnibus facultatibus animae internis.

Peccata interna late dicta, uti jam diximus, illa omnia sunt peccata quae committuntur ope facultatum internarum, et per se in illis facultatibus perficiuntur. Sunt omnes abusus facultatum internarum: voluntatis, intellectus, memoriae, et imaginationis.

---

respicit tempus praesens ... » (*Theol. Mor.* L. V, dub. 2, art. 2). Hic loquendi modus, primo aspectu lucidus, re vera non satisfacit, quia distinctio temporalis non est adaequata in separatione actuum de quibus agitur. Proinde cum veteres talem divisionem non habuerint, et recentes tamen quaestiones ab illis veteribus tractatis resumpserint, orta est aliqua confusio in studio peccatorum internorum.

Post S. Alfonsum auctores omnes de gaudio loquuntur tamquam de « deliberata complacentia in malo opere *patrato* a se vel etiam ab alio ». Veteres autem non explicite tractabant de actu voluntatis circa praeteritum, et Busenbaum vg. de gaudio loquitur simul cum desiderio: « Desiderium absolutum, sive cogitatio cum voluntate consentiente absolute in peccatum aliquando perpetrandum aut in perpetrato complacente ». (*Medulla*, L. V, cap. 1, dub. 2, art. 1, resp. 1).

Ad rationem omnis peccati, ut supra dictum est, pertinet aliqua intentio mala. Quamobrem non habebitur peccatum interne late dictum, nisi abusus facultatis sit praecognitus et voluntarie admissus.

### A. *Notae psychologiae moralis.*

Priusquam de peccatis diversarum facultatum internarum disseramus, notae aliquae occurrunt psychologiae moralis.

1. Vita moralis hominis consistit in ordinatione omnium suarum facultatum, ad operationem, quae illum, in relationibus cum entibus, dirigat ad finem suum ultimum. Omnes eius facultates apprehensivae, appetitivae et omnes exsecutivae, proprio modo ordinari debent per voluntatem qua tendit ad bonum supremum. Abusus moralis aderit ubicumque una potentia inordinate, sine relatione debita nempe ad illud bonum, per voluntatem actuatur.

2. Omnis operatio, ut consecutio partialis finis, delectationem aliquam affert, simul ac, deficientia sua, ad ultro procedendum impellit. Facultates enim singulae habent suum finem particularem, qui, dum attingitur, delectat. Per se, ut dictum est, ordinandae sunt a voluntate in bonum totale et supremum hominis. Sed facile intelligitur quod, ut delectationes partiales, afferent periculum ne in iis sistat homo.

3. In anima enim humana videntur existere varia systemata coordinationis et integrationis facultatum, quae apparent quasi independentia (Psychologia scholastica loquitur de gradibus vitae, qui respective aliqua independentia mutua gaudent, licet uniantur in anima una). Illa systemata tamen omnia a voluntate rationali in harmoniam reducenda sunt. Unificatio illa animae, de facto non nisi intento labore et nisu obtinetur.

4. Notetur tamen quod aliqua unificatio animae

quandoque, ac vario modo in variis individuis, componi potest cum exercitio late independenti facultatum separatarum.

Ut hoc melius intelligatur, maximi momenti est vidisse, exercitium illud facultatum psychicarum, apparenter independens, quod vocatur *ludus*. Omnis ludus artificiose abstrahit a quibusdam aspectibus realitatis concretae. Ludens scit se non realiter contendere, conscius personam sese non totaliter committere realitati practicae actionis quae externe apparet, licet et ludendo et participando aliquo modo actioni, satisfaciat tendentiis variis suae personalitatis, quae etiam in operatione reali externa sedentur.

Partialis illa independentia facultatum et systematum psychicorum in ludo, de facto, multis modis, ut vg. remissione, exercitatione, recreatione, vitae humanae psychicae et morali inservit. Unde videtur ludus ipse suam moralitatem habere et suam specialem moderantem virtutem, quae ab Aristotele et S. Thomas *eutrapelia* vocatur (*De Ver.* XXV a. 1). Nullum ergo invenitur per se malum in exercitio delectabili facultatum independenti, dummodo illud exercitium nullam positivam deordinationem afferat, neque praebeat occasionem proximam peccati.

5) Cum autem plerumque peccata interna late dicta ope imaginationis et memoriae committantur, perutile erit functionem illarum facultatum internarum accuratius describere.

### B. *Imaginatio et memoria.*

#### a. *Praenotanda.*

1) Imaginatio dicitur potentia animae repraesentandi, mutandi et construendi mentaliter objecta olim sensu apprehensa.

Memoria est facultas animae, retinens elementa praeterita vitae psychicae, ita ut repraesententur, recognoscantur, et reponantur in suo contextu praeterito.

2) Per se imaginatio et memoria sunt potentiae apprehensivae animae, subservientes vitae practicae humanae, sub ordinatione voluntatis. Unde si de facto non voluntati subordinantur, habetur aliquis defectus objectivus, qui tamen non constituit peccatum, nisi voluntas hic et nunc possit et debeat eas regere.

3) Imaginatio magnum habet momentum in vita nostra psychica sive ordinis apprehensivi, sive ordinis practici. De utilitate imaginationis relate ad intellectum non est nobis hic disserendum: psychologia ostendit quomodo juvat operationem abstractivam intellectus, et post rationis operationem concretam reddit ideam intellectus.

Insistendum potius est momento imaginis in ordine practico. Connexio enim habetur intima inter imaginationem et motus appetitus. Cum imaginatio sit facultas sensitiva, immediate influit in appetitum sensitivum et in motus illius appetitus, passiones nempe animae. Vividis repraesentationibus operationis faciendae ac objecti consequendi, allatis imaginibus delectationum operationi annexarum ac emolumentorum etc..., imaginatio adjuvat vim cogitativam ad acuendum appetitum, ut in activitatem et consecutionem objecti intenti prorumpat. De facto connexio cum passionibus animae ita est arta, ut actione reciproca imaginatio et passiones sese mutuo excitent: In praeparatione operationis concretae, imaginatio passiones ac tendentias inchoativas internas movet, dum illae excitant imaginationem ut haec varias realisationes anticipatas repraesentet.

Notetur tamen differentia essentialis inter imaginationem et passiones. Imaginatio est vis apprehensiva: pertinet per se ad ordinem cognitionis: passiones pertinent ad ordinem practicum: sunt motus appetitivi.

4) Memoria formaliter sumpta ut potentia retinendi, recognoscendi et reponendi in suo contextu facta praeterita, potius inservit ad constituendam unitatem et continuitatem vitae nostrae psychicae, ac ideo ad allevandam

operationem praesentem, cognitione elementorum praeteritorum. Cognitio enim nocivorum vel utilium, actionem faciliorem reddit. Attamen, quatenus repraesentat mentaliter experientias antecedentes, eadem functione gaudere potest ac imaginatio, et de facto illam nutrit ac imaginatio, et de facto illam nutrit ac fovet in actione aliqua praesenti.

5) Imaginatio repraesentans res exteriores vel interiores, ex seipsa, et etiam in absentia rei externae, immo in exclusione illius, similes motus appetitivos animae excitare potest ac si ageretur de operatione externa [4].

Frequentius profecto motus appetitus per solam imaginationem provocantur a subjecto, cum operatio externa est ardua in se ipsa, vel impedita, vel vetita, vel voluntarie exclusa. Tunc revera appetitus impellit ad perpetrandum operationem in imaginatione, cum similibus reactionibus internis, similibus motibus et simili delectatione. Hoc praecise evenit in sic dicta delectatione morosa moralistarum. Delectatio morosa videtur operatio aliqua quae perficitur in imaginatione. Sic vg. quando ob rationes diversas odium inimici sese externe manifestare non potest, vindicta apprehendetur mere interna, in imaginatione, quae similes motus passionis et similem delectationem afferret, ac si de re externa ageretur.

6) Imagines spontaneae in mentem veniunt, sive dispositione corporis, sive motibus inconsciis aut subconsciis, provocatae. Etiam deliberato motu voluntatis excitari possunt.

Imago spontanea subito et lineamentis praecisis exsurgit, vel seipsam quaerit initio indistincte apparens, et invitans animum ad vividiorem imaginationem.

---

[4] J. Fröbes, S. J., *Lehrbuch der Experimentellen Psychologie.* (ed. III: Freiburg im Breisgau: Herder, 1923) II, p. 269: « Für das Entstehen wahrer Gefühle und Affekte, ist die Ueberzeugung von der Wirklichkeit der Erkenntnisgrundlage nicht unentbehrlich. Nur darf man freilich die Unwirklichkeit nicht beachten ».

Quandoque facile removetur et repellitur, quandoque autem est quasi obsessionalis, ita ut non nisi magno et quandoque inutili nisu repellatur.

Etiam vario gradu in appetitum influit, et quandoque, licet vivida, minus appetitum movet quam vaga, profundius animum afficiens.

Imago aliam imaginem assurgere facit. Saepius etiam imago deliberate excitata, fluxum spontaneum aliorum imaginum profundit. Frequentius accidit ut, cum attentio voluntarie imaginationi aptatur, imagines jam evanuerint [5].

7) Imaginatio quae res artificiose et variis moventibus constructionibus, interne repraesentat, facultas psy-

---

[5] Haec bene expressa inveniuntur apud J. Meyerson, *Les Images*, in: Georges Dumas, *Nouveau Traité de Psychologie* (Paris: Alcan, 1932) vol. II, p. 586-7:

« Voyons maintenant les conditions pratiques de l'apparition des images. Elles sont assez variables. L'image apparait (et disparait) quelquefois brusquement. Elle surgit toute formée, sans qu'on puisse saisir les circonstances, ni même l'instant précis de son apparition. On constate à un moment qu'elle est là; on ne peut rien dire d'autre. Elle demeure un bref instant sans changement appréciable et disparait tout aussi rapidement.

D'autre fois nous assistons a un développement, a un déploiement progressif et parfois aussi, plus rarement, à un reploiement. Tantôt c'est en quelque sorte un bourgeon qui s'ouvre: tout était contenu dans le germe, implicitement. Tantôt c'est au contraire une ébauche incomplète, fruste, a laquelle des détails, des fragments nouveaux s'ajoutent, une esquisse sommaire qui s'enrichit. Il y a quelquefois même comme une construction dirigée, qui actualise notre savoir d'une façon ordonnée. On dirait que nous ajoutons ce qui manque, élaguons ce qui est inutile. Il n'y a parfois au début qu'une vision à peine indiquée, un simple sentiment de direction dans l'espace, et il peut y avoir à la fin un tableau très detaillé et très riche.

Il y a souvent quelquechose d'inachevé dans l'image, quelquechose qui se cherche; il y a comme un appel. Nous avons le sentiment qu'elle n'est qu'une amorce, qu'une promesse, qu'elle va se prolonger.

chica est aptissima ad exercendam functionem ludicam, de qua supra dictum est. Nullius alius facultatis internae ludus ita placet, ac imaginationis. Quandoque ludus ille est potius imaginationis purae, ut cum variae imagines sese rapido cursu sequuntur. Quandoque est imaginationis et intellectus simul, ut invenitur in imaginationibus scientificis. Variis illae gradibus realitati appropinquare possunt, vel magis ab illa realitate jam distare.

8) Praesertim autem notandum est quomodo, in illo ludo, imaginatio frequentius connexa sit cum appetitu sensibili, cui diversimode, et saepius vago atque inconscio modo satisfacere conatur. Ludus imaginationis sese miscit cum ludo tendentiarum appetitivarum. Ut in ordine practico etiam in ludo, imaginatio et appetitus sese mutuo adjuvant.

---

Le déploiement progressif peut quelquefois prendre la forme d'une suite d'images, continue ou discontinue. Même lorsque la suite est interrompue, nous avons parfois le sentiment qu'il s'agit de la même image qui s'est transformée. Le sentiment d'identité nous vient le plus souvent dans ce cas de la notion que ces différentes images « signifient » la même chose.

La signification de l'image peut ne pas nous apparaître en même temps que l'image elle-même. Il y a quelquefois comme un halo de signification, teinte ou non d'affectivité, qui précede l'image et qui parfois subsiste quand elle a disparu. D'autres fois la compréhension suit l'image. Dans l'un et dans l'autre cas, le sentiment de signification peut apparaître et disparaître brusquement ou peu a peu. L'image peut aussi changer de sens, brusquement ou progressivement.

L'attitude du sujet à l'égard des images varie également. Il peut désirer les provoquer ou vouloir les étouffer. Il peut les contempler passivement ou au contraire les explorer en quelque sorte. Il peut se poser des problèmes à propos d'elles, s'efforcer de les comprendre. Il peut chercher à les modifier, à les utiliser. Il est à peine besoin de dire qu'elles fuient ou se transforment dès qu'il y a observation ou activité de pensée quelconque dirigée vers elles. Elles symbolisaient un cours de pensée déterminé; ce cours, se tournant vers elles se change: elles ne le symbolisent plus, il appellera d'autres images. Il faut une sorte de vision indirecte pour observer ses images ».

9) Denique maximi momenti est notasse ludum qua talem jam cessare cum primum realitati practicae appropinquatur. Et ideo, quando passio aliquo concreto et vivaci modo sese exprimit, ludus imaginationis jam redditur impossibilis. Subjectum enim necessario animadvertet tendentiam appetitus practicam ac proinde ludum cessabit. Pari modo imaginatio vividior passionem jam magis determinatam reddet, atque iterum ex ordine ludico transponet in ordinem practicum realisationis alicujus externae.

His praenotatis de imaginatione, jam ad operationem ipsius describendam transitus patet.

### b. *Variae formae operationis imaginationis.*

1) Nihil dicendum est hic de imaginatione in somniis, quia somnium per se ponitur extra ordinem moralem, propter absentiam voluntatis deliberatae.

2) Exercitium imaginationi placere potest propter seipsum. Habetur nempe *ludus imaginationis purae,* praebens veram delectationem propriam ordinis apprehensionis. Sicut picturae exterius visae placent, et curiositatis impulsui satisfaciunt, ita etiam picturae illae internae imaginationis. Quod proprie homines movet in curiositatem, non est passio (licet passio contineat suam curiositatem) sed impulsus quidam vere primordialis apprehendendi. Imagines interiores evocatae variis modis constructae, sese coram mente evolventes, possunt placere sicut imagines in libro photographico, seu in sic dictis « comics » visas. Iterum notandum est quod illae imagines interiores praebent quandoque suam utilitatem veram, et subserviunt functioni cognitivae intellectus humani. (Joseph Geyser, *Lehrbuch der Allgemeinen Psychologie* ed. III; Münster: Schöningh. 1920) II, p. 255: « Die wesentliche Aufgabe der Phantasmen besteht darin den

Intellect die Beispiele für das Allgemeine zu liefern, das er erkennen soll ».

3) Praeter illum ludum purae imaginationis habetur ludus imaginationis simul ac passionum seu motuum passivorum appetitus. Generatim fit ponendo coram oculis imaginationis, actiones et eventus, tantum quantum necessarium sit ad provocandas affectiones et exinde delectandum.

Supponamus aliquem aspicientem picturam cinematographicam, affectiones diversas in eum provocantem, etiam adeo vivaces ut vg. timore explosionis sclopeti repraesentatae, caput amoveat. Si affectiones tales placent, hoc certe non fit quia sunt praeparatio actus externi, quia timor realis certe non delectat. Sed subjectum conscius est se tantum ludere et simpliciter quaerit affectiones separatas ab actione concreta reali.

De facto ille ludus passionum videtur esse valde communis in vita humana. Plerumque tamen imaginationes, simul ut picturae placebunt, satisfacient curiositati, appetitum cognitionis adjuvabunt, et vago modo appetitum totius personae, cum suis desideriis impulsibus et passionibus sedabunt. (Ad hunc finem nunc praesto sunt novellae scriptae vel pictae. Hae autem magis realitati appropinquantes, depingentes vitam realem concretam faciliter quandoque transponent subjectum a sphaera imaginationis in suggestionem operationis realis. Modo magis a realitate abstracto res evolvuntur in actione dramatis. In dramate suggeritur communitas passionum cum personis, ita ut jam potius ludus illarum quam ludus imaginationis vocari debeat. Jam ab antiquis notata erat illa epuratio (κάθαρσις) passionum propriarum per expressionem attenuatam et ab operatione concreta abstractam in consideratione dramatis).

Hic etiam de somniis sic dictis diurnis, vulgo « daydreams » vocatis, verbulum est faciendum. Sub illo vocabulo multa diversa continentur, quae in hoc conveniunt

quod subjectum in his voluntarie habenas dat imaginationi, dum simul remanet conscius vitae suae realis. Videtur species quaedam distractionis mentalis deliberatae. Per se voluntas remanet libera cessandi vel refraenandi ludum illum phantasiae, secus devenimus in casus pathologicos [6]

Somnia diurna frequentius nisi semper, erunt simul ludus passionum seu appetitus, in quo desideria vaga et plerumque tenuiter tantum conscia, expressionem aliquam actualem recipiunt. Ceteroquin subjectum potest ipsos motus suae passionis imaginatione effingere.

In somniis diurnis imaginatio, sive repraesentat delectationes ac felicitatem praeteritam, sive vividis coloribus futurum aliquod construit frequentius indeterminatum, sive transponit subjectum in mundum quemdam idealem, ubi difficultates arduas vitae realis evanuerunt, ubi aspirationes quietantur et complentur [7].

---

[6] H. Delacroix, *La Rêve et la Rêverie*, in Georges Dumas, lib. cit. t. V, p. 401: « C'est une distraction passagère à l'égard du monde objectif, et le sujet, plongé dans la contemplation et dans l'édification de sa vie imaginaire, s'y abandonne, souvent avec ferveur ».

[7] Ibid.: « L'état de rêverie admet de nombreux degrès: depuis l'évocation passive de souvenirs et d'images, jusqu'à la construction presque volontaire d'un système de représentations. Au degré de plus bas, les souvenirs et les images surgissent d'eux mêmes; le sujet assiste, en simple spectateur, à leur apparition et à leur défilé. Au degré le plus élevé, c'est presque la représentation volontaire de l'avenir, avec l'intention de le réaliser; ou bien l'ésquisse d'une oeuvre, à qui l'on donne toute sa valeur idéale. Entre les deux, il y a tous ces états où seuls le thème principal, la direction générale du courant d'images sont posés par l'esprit; tous ceux où l'esprit joue avec les images et les images avec l'esprit, dans un continuel chasse-croisé d'activité et de passivité: sorte de mise à l'essai par l'imagination de toute espèce de possibles, et le fantôme des émotions qu'ils susciteraient en se réalisant surgit en même temps qu'eux. Le sujet rêve sur ses émotions tout autant que sur ses images, ou du moins sur l'ébauche de ses

Licet deliberato animo a subjecto sano, praesertim post aliquod exercitium, possint excitari, frequentius tamen illa somnia inveniuntur in adolescentibus, et in genere in omnibus personis qui ob varias causas actioni externae vitae realis non bene adaptantur. Ita juvenes, qui ex una parte videntur pollere viribus, et ex altera parte aliquomodo conscii sunt sese nondum paratos esse ad vitam concretam responsabilitatis plenam, saepe somniantes reperiuntur. Ita etiam physice frustrati, ut vulnerati, vel carceribus detenti, aut psychologice deficientes, ut omnes illi sic dicti psychastenici vel variis inhibitionibus ac conscientiis inquietis lgati, somniis illis diurnis exprimere conabuntur compensationem aliquam suae privationis atque illarum tendentiarum quibus non sufficienter gaudent in realitate externa.

Quo gradu hi aliquomodo aegrotantes peccandi capaces sunt, non est hic disputandi occasio. Sed notetur quomodo a somnio diurno, quod adhuc pertinet ad psycholo-

---

émotions. L'image est parfois d'importance secondaire: et c'est parfois un jeu de sentiments ardents et nouveaux qui vont se raffinant devant des images banales et anciennes.

La rêverie c'est l'exaltation de soi même. La vie affective prende conscience de soi dans l'image et intensifie l'image par un choc en retour. Sous ce déploiement d'images, il y a le jeu de tendances qui nous sont chères... L'extension indéfinie de notre personnalité, l'accroissement de notre vie, de notre force, de notre puissance... se réalise dans la rêverie où le développement du moi n'est entravé par aucun obstacle ' (P. Borel). Il convient d'ajouter que nous rêvons misère aussi bien que grandeur, qu'un déprimé se repait de sa faiblesse et qu'un malheureux raffine sa douleur; l'élan joyeux vers la vie et la rétraite inquiète, le renoncement, la fuite du monde et de soi même, se croisent dans la rêverie. Et parfois la faible rêve grandeur, par compensation et par débilité; parfois l'orgueilleux et l'actif rêvent tourments et catastrophes. Cet enchevêtrement de la volonté conquérante et de la sensibilité malheureuse, de l'orgueil et de la crainte est bien connu des moralistes et des psychiatres... Elle peut être le refuge des faibles, ou la rétraite des forts ».

giam normalem vel sub-normalem, transitus habeatur ad pathologiam animae. Appropinquat mythomaniae, in qua subjectum, dum aliquatenus remanet conscius se somniare, tamen jam de somnio suo loquitur ut de realitate, et quandoque jam actiones externas ponet somnio suo confirmantes, ut facilius pergat in ludo suae phantasiae. Denique in mente schyzophrenica subjectum jam vivit suum somnium et realitates externas, obliviscitur [8].

Quo magis autem homo occupatur realitate per operationem utilem et organisatam, quo magis psychologice officiis suis, anima aequa atque harmonice organisata, adaptatur, eo minus et tempus et occasiones arripiet somniis diurnis terendas.

Somniatio sic dicta diurna diversimode judicare potest respectu vitae psychologicae humanae. Raro est origo magnarum inspirationum et frequentius multarum pusillanimitatum. Plerumque constituit periculum peccandi et signum est defatigationis psychicae. Replicat subjectum super seipsum ac super desideria sua egotistica. Hominem avertit a realitate, minus aptum reddit ad laborem concretum. Gratificatione vaga passionum ligat eum in sphaera psychologica sensualitatis. Re vera in somno diurno, ludus imaginationis subservit motibus vagis passionum, ita ut aeque dici possit ludus passionum.

Sane dispositio ludica relate ad passiones animae, psychologice non erit possibilis in omni eventu. Supponit enim abstractionem sufficientem ab ordine realisationis concretae. Ubi autem existit appetitus actionis ipsius externae vivax, simplex idea vel repraesentatio mentalis connexa cum illo prospectivo actu, a fortiori jam omnis imaginatio concreta, et super omnia affectiones normaliter praeparantes illum actum realem externum, necessario

---

[8] cf. Bleuler: *American Journal of Insanity*, 69, in Mc Dougall, *An outline of abnormal Psychology*, London: Methuen 1933, p. 209.

connexiones motoricas excitabunt atque voluntatem allicient ad consensum realem dandum.

Itaque ille non poterit habere dispositionem ludicam in motibus irascibilis, qui inimicitia personali urit. Ita etiam in genere dispositio videtur impossibilis, pro hominibus communiter sumptis, in illis motibus passionis, qui normaliter praeparant activitatem functionis generativae. Connexio enim tam arta videtur existere inter centra nervosa affectionum sensibilium carnalium et centra motorica illius functionis, prospectus delectationis venereae ita vividus, proclivitas concupiscentiae tanta, exsecutio tam propinqua et facilis in satisfactione saltem solitaria, ut exinde immediate appareat subjectum necessario remanere in ordine exsecutionis realis ligatum, quin sit possibilis ille ludus passionum. Attamen a priori non potest negari quod quandoque saltem, et pro quibusdam, ille ludus existere queat, dummodo passiones nempe sufficienter vagae remaneant.

Omnino haec realitas ludi passionum distinguenda videtur ab alia realitate quam vocavimus delectationem morosam proprie dictam.

In delectatione morosa proprie dicta, ut infra lucidiore modo patebit, quaeritur delectatio ut delectatio actus, jam in imaginatione perpetrati. Interne vivitur actio ipsa, quae conveniens habetur et amatur. Quare imaginatio vividior et concretior requiritur, simul ac approbatio per voluntatem, actus imaginatione positi. In ludo passionum seu in delectatione morosa improprie dicta, de qua nunc, res coram mente propositae ita abstractae tenentur, ut praecise connexio omnis inter passiones et appetitum activitatis realis vitetur.

In ludo delectatio quaesita, licet sit delectatio rei cogitatae et non cogitationis rei, tamen a re ipsa vere secernitur et propter seipsam placet. Secerni autem potest a re dum sufficienter vago et indeterminato modo quaeratur.

In comparatione aliqua melius forte perspicitur quid intendatur.

Sic in usu odoramentorum possim velle olfacere flavorem floris ipsius (actio externa) possim etiam etiam delectationem capere extracti praecise quia habet flavorem talis floris (delectatio morosa) vel passim vago et fere inconscio modo delectari aliquo flavore qui sit talium florium sed non formaliter ut talium quaesitus. Tantum delectari affectio aliqua odoris quasi florum.

Re vera sic etiam possim invisere parentes meos (actio externa); possim, elongatus ab eis, imaginatione eos invisere ad capiendam dulcedinem illius visitationis (delectatio morosa); possim denique aliqua imaginatione sphaeram delectantem creare ordinis pietatis ac domi me sentire (del. mor. improprie dicta seu ludus passionum).

Idem valet de aliis passionibus.

Etiam in re carnali possim velle actum ipsum cum delectatione sua v. g. fornicationis (actum externum), possim velle delectationem propriam imaginando actum externum (delectatio morosa) et denique possim aliquo vago modo imaginationibus sensualibus velle ludum aliquem affectionum indeterminatarum ordinis carnalis. Illae delectationes proinde sunt remote connexae cum actione venerea sed modo tam abstracto ut voluntas illam connexionem nequidem conscie debeat ponere.

Exemplum habes in illo pictore qui sphaeram aliquam sensualem creat depingendo res quin tamen ullo modo possis eum incriminari alicujus nuditatis vel pornographiae.

4. Proinde, ut jam supra notatum est, imaginatio directe et immediate adhiberi potest ad repraesentandum interne operationem aliquam subjecti, eo concreto modo ut veluti reapse de operatione externa reali ageretur. Aristoteles, ac post eum S. Thomas et scholastici gene-

ratim essentialiter imaginationi functionem attribuunt excitandi motus appetitus, similes realitati externae [9].

Ut statim apparet, non agitur hic de ludo aliquo vago, sed de vera operatione concreta, licet imaginaria, in qua voluntas sese totaliter committit, rei ipsi assentiendo, licet sit extra ordinem realisationis externae. Aliis verbis, actionem externam imaginando, perficio eam mere interne. Actionem externam imaginando, perficio eam modo interno, cum reactionibus internis et passionibus bene definitis singulis actionibus (Notetur vg. differentia inter illum modum operationis et contemplationem actionis dramatis. Etiamsi in hac afficior, etiam si unior personae dramatis, bene conscius remaneo me non esse personam illam, me non agere. Eodem momento quo illam contemplationem objectivam relinquam ut in imaginatione videam meipsum agentem et committentem voluntatem meam, ludum cessavi, et veni in sphaera activitatis personalis, licet remaneat imaginaria) [10].

---

[9] Joseph Geyser, *Lehrbuch der Allgemeinen Psychologie* (ed. III; Münster: Schöningh. 1920) II, p. 651: « Bei Thomas von Acuin finden wir die aristotelische Auffassung der Phantasie. Er leitet sie aus dem Zweck ab, die sinnliche Gegenstande auch dann begehren zu können, wenn sie dem Sinnen nicht gegewartig sind ». Ut talis, imaginatio producit in subjecto omnes reactiones et motus passionis, quae in realisatione externa excitarentur: « Folglich entstehen sinnliches Begehren und Streben auf principiell gleiche Weise aus Anlass von Vorstellungen wie aus Anlass von aktuellen Erlebnissen ».

[10] Patet quod in illis imaginationibus reactiones internae appetitus, desideria ac passiones, non terminantur ad repraesentationem ut talem, sed ad rem ipsam repraesentatam. Quare jam antiqua illa celebris distinctio agnoscebatur inter delectationem cogitationis seu apprehensionis imaginativae, ut habetur in ludo purae imaginationis, et delectationem de re cogitata et imaginata. Repraesentatio imaginaria locum tenet hic realitatis externae, etiam quando voluntate explicita operatio externa excluditur, quia est vel nimis ardua, vel impossibilis, vel vetita et incompatibilis statui actuali personae.

Notanda veniunt sequentia:

a) Per se omnes omnino operationes subjecti interne possunt imaginari ut actualiter perpetratae. Unde sequitur quod delectatio morosa omnium actuum est possibilis. Secundum communiter contingentia tamen motus quarundam passionum inchoativi magis aliis placent. De facto auctores moralistae plerumque de delectatione morosa loquuntur in contextu luxuriae.

b) Cum motus passionis, etiam merae complacentiae, per seipsum producat aliquam delectationem actualem, simul ac impellat ad realisationem operis externi, facile intelligitur hanc ipsam delectationem motus passionis, posse constituere finem alicujus operationis. Frequentius actus imaginarius ad hunc finem adhibetur, ita ut non alia assignetur ratio imaginationis, quam illa passionum excitatio. Ut talis, actus imaginationis, praeterquam sit medium excitationis passionum, per se etiam constituet *occasionem* quamdam actus magis expliciti, sive in imaginatione perpetrandi, sive in realitate externa fovendi. Attamen imaginatio mere adhibita ut medium excitationis passionum, etiamsi vivida sit atque operationem concretam repraesentet, non vere et proprie est delectatio morosa, nisi in quantum adsit etiam consensus in illam operationem imaginatam.

c) Saepius etiam appetitus sensitivus, motibus vagioribus contentus, imaginationes actuum minus excitantium suscitabit, potius quam actuum terminativorum alicujus appetitus. Sic vg. in materia vindictae, multam delectationem afferent picturae internae humiliationis et miseriae inimici. Non immediate repraesentabitur aliquis actus violens, sed passio sufficienter quiescet ob visionem internam calamitatis inimici. Quare frequenter peccatum imaginationis erit potius delectatio morosa approbationis meae et gaudii mei de miseria inimici, quam actualis vindicatio personalis imaginaria. Eodem modo in materia de sexto, frequenter delectatio morosa erit de ac-

tibus sic dictis impudicis, qui per se sufficienter passionem vagam excitabunt, potius quam de repraesentatione actuationis functionis venereae in imaginatione peractae.

Ex supra descriptis operationibus imaginationis, jam elucet quae sit proprie dicta delectatio morosa. Habetur quando subjectum, sese ponens extra ordinem realisationis externae, tamen ope imaginationis, operationem interne perpetrat, libere consentiendo illi. Subjectum ergo non simpliciter habet coram mente sua picturam aliquam objectivam sui ipsius operantis, neque delectationem sumit de illa visione, sed revera *operatur interne* et partici pat peccato repraesentato, id est *committit suam voluntatem in actu repraesentato.* Etiamsi propter rationes extrinsecas excludit illam executionem in realitate externa, tamen hic non quaerit repraesentationem ipsam operationis, neque etiam delectationem sensitivam ut talem, sed operationem ipsam repraesentatam.

Aliis verbis in delectatione morosa proprie dicta, non admittitur aliqua delectatio obveniens per imaginationem, sed delectatio ipsa invenitur in approbatione et exsecutione imaginaria. Ipsa enim imaginaria exsecutio operationis per subjectum confert delectationem propriam.

Bene apparet differentia cum mera complacentia voluntatis circa bonum intellectu apprehensum. Profecto etiam in delectatione morosa proprie dicta complacentia voluntatis, sed habetur etiam fruitio actualis operationis in imaginatione perpetratae.

In peccato mere interno, approbatur idea eventualiter executioni mandanda. In delectatione morosa voluntas sese unit executioni praesenti, licet tantum imaginaria.

Attamen etiam intelligitur quare delectatio morosa quandoque ab auctoribus et ab ipso S. Thoma vocetur consensus in delectationem et non in actum. Actus nempe exterior excluditur; repraesentatione et perpetratione interna autem delectatio similis actus exterioris procuratur.

Duobus exemplis clarius apparebit quid praecise intendatur per delectationem morosam proprie dictam.

Supponamus aliquem inimicitia affectum erga alium. Non potest autem attingere inimicum suum, vel quia mediis non pollet practicis, vel quia timet ejus vindictam, vel simpliciter quia conscientia sua vindictam sibi vetat. Sed in corde suo passione irae motus, interne illi consentit: imaginat seipsum detractantem inimicum suum apud amicos, vidit interne quomodo hi audiunt, credunt, confidentiam in eum amittunt; imaginat inimicum suum victum et poenitentia ductum, venientem ad se, veniam petentem etc. ... Objectum delectationis ejus non est aliqua visio interna, sed actio sua vindicativa, cum omnibus effectibus suis. Non solum quaerit aliquam commotionem et sedationem passionis irae provenientem ex illa visione interna, quae placeret etiam separata ab opere, sed quaerit opus delectans ipsum, et committit suam voluntatem in opere ipso mente repraesentato.

Vel consideremus aliquem amore criminoso captum erga mulierem non suam. Adulterio externo non consentit, quia illud supponit actiones praeparatorias nimis arduas vel impossibiles, vel etiam quia scit adulterium esse magnum peccatum. Sed imaginatione vidit se corrumpentem illam mulierem et brevi committentem adulterium cum ea. Imaginatione non utitur ad provocandum in se consensum in actum aliquem externum; neque imaginatione utitur ad provocandum in se motum passionis vel delectationem veneream corporalem (licet sequi possit ex illa imaginatione); neque mere interne approbat ideam adulterii eventualiter committendi, quod esset peccatum complacentiae stricte internum forte etiam ne desiderium quidem habet voluntarium. Sed committit suam voluntatem in adulterio bene determinato, et approbat illud imaginatione perpetratum. Notetur quod possit fieri ut de facto haec imaginatio minus excitet passiones et delectationem veneream corporalem quam imaginatio ali-

cujus adulterii objective repraesentati. Agitur realiter de peccato omnino diverso, cujus specificatio moralis erit examinanda.

C. *De moralitate variarum operationum imaginationis*

1. Non insistendum videtur illis abusibus in quibus imaginatio, deliberato animo, adhibetur ut medium excitandi in se et provocandi actum exteriorem. Repraesentatio enim imaginaria motuum externorum, faciliores reddit operationes externas, adeo ut quasi automatice eas provocare possit. Moralitas illarum imaginationum, ut patet, determinatur per actus quos provocant. Sic v. g. qui sese imaginationibus excitat ad homicidium, committit interne illud homicidium. Eodem modo etiam qui se excitat ad delectationem veneream inordinatam, peccatum committet contra virtutem castitatis.

Practice saepius difficile erit hoc peccatum internum numerice distinguere a peccato externo. Sed in quantum actus imaginationis constituet objectum voluntatis satis determinatum, et ab executione externa sufficienter separatum, peccatum erit distinctum.

Habentur tamen gradus diversi in exteriorisatione peccati quod imaginatione provocatur. Actus externe provocatus quandoque simpliciter est operatio externa aliqua in realitate extra subjectum, quandoque solum consistit in motu quodam membrorum subjecti quin applicentur executioni externae. Ita, v. g. aliquis vindicta urens, potest adeo per imaginationem deliberate motus irascibiles excitare, ut facies ejus convulsetur, ut manus ad pungendum claudantur, ut feriatur tabula, ut frangantur res prae manibus positae, ut vulneretur primus obveniens, etc. ... Hi omnes actus tensionem corporalem ad actum externum vindictae exprimunt et aliquomodo sedant, potiusquam actum ipsum vindictae exerceant. In materia de sexto, per

imaginationem aliquis motus venereos excitare potest in luxuria completa vel incompleta.

Imaginationes illae quae ut media adhibentur, a P. Vermeersch delectationes morosae vocantur. Melius nunc non attendatur ad nomen quod saltem videtur incorrectum, sed audiatur quid de illis imaginationibus dicat ille magister:

« Alii actus interiores carnis commotionem excitant, et qua tales quaeruntur vel admittuntur: puta obscoena phantasmata. Haec est species frequentior peccati quod accusant ii qui pravas cogitationes vel morosam delectationem confitentur. Et cum haec non soleant placere nisi ut causa praesentis delectationis, sequens regula tradi solita est: qui cogitationes turpes accusandas habent, secluso desiderio, nec objectum nec motum turpem, nisi pollutio fuerit, declarare debent. Non objectum, cum affectus non sit ad objectum sed ad subjectivam delectationem, ac proin objectorum varietas speciem non mutat: non motum turpem: is, indicata cogitatione, satis jam manifestatur, nisi pollutio fuerit. *Potius quam actus interiores, dicendae forent luxuriae perfectae vel imperfectae actu interiore excitatae* » (Vermeersch, lib. cit., IV, 118).

2. Jam attentius consideranda est nunc specificatio moralis delectationis morosae proprie dictae ut deliberatae perpetrationis imaginariae operis peccaminosi.

Generatim auctores ut principium asserunt delectationem morosam esse peccaminosam, quoad speciem theologicam et moralem sicut ipsum objectum quod menti obversatur [11].

Ut nobis videtur, haec specificatio moralis auctorum

---

11 Ex quo tempore illae paginae scriptae sunt duo auctores manuales, P. Hürth-Abellán, *De Principiis, de virtutibus et praeceptis* I, 523 ... Romae 1948 et Mons. A. Lanza, *Theologia Moralis*, I, 519 ... Iam lucidius distinctiones ponunt inter cogitationes malas et delectationem morosam simul ac principia gravitatis moralis earum accuratius ponunt.

est recta dummodo agatur de delectatione morosa proprie dicta, ut a nobis supra descripta, et quidem stricte pro delectatione morosa proprie dicta actuum intrinsece malorum.

Non autem urgeri potest pro illis delectationibus morosis, etiam stricte dictis, de rebus tantum ex effectibus malis, quia praecise effectus operis imaginati licet sint similes tamen non simpliciter adaequari possunt.

Profecto principium specificationis non valet quando agitur de delectatione morosa improprie dicta seu de lusivis usibus imaginationis, ut infra dicetur.

Aliqui conspicui scriptores (ut v. g. Genicot, Noldin-Schmidt, Vermeersch, Ubach, Vittrant) simpliciter assumunt principium ut per se evidens, quin conentur illud fundare. In hoc imitari videntur S. Alphonsum qui fundamentum non explicat. Alii vero rationes afferunt diversas ordinis rationis. Pauci denique afferunt aliquos textus S. Scripturae ut illum Oseae: « Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt » (9, 10) aut Prov. 15. 26: « Abominatio Domini cogitationes malae », vel etiam illud verbum Domini in Matthaei sermone montis: « qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo » (5, 28), quod certo certius non agitur formaliter nisi de desiderio et concupiscentia.

Apud auctores fundamentum rationale specificationis moralis delectationis morosae ponitur vel in principio aliquo aristotelico, exprimente connexionem metaphysicam inter operationem et delectationem, vel in assumpto facto quod delectatio de re mala supponit affectum in ipsam rem malam, vel in affectibus.

Thomas Sanchez argumenta auctorum et ipsius S. Thomae breviter resumet dicendo:

« Quippe ejusdem bonitatis et malitiae sunt operatio et ejus delectatio, teste Aristotele lib. 10 Ethic. cap. 3 ad finem et cap. 5. Deinde quia malum morale tamquam a recta ratione discordans, voluntati rectae displicere de-

bet. At voluntas delectationem ex eo capiens, id tamquam sibi gratum approbat. Demum, quia ille delectationis actus est quidem in rem illicitam motus, sicut actio ipsa externa rem illicitam exsequens. Ergo est ejusdem cum illa malitiae » (*Praecepta Decalogi*, LI, cap. 2, n. 18).

Jam diximus ex effectibus principium adaequationis inter specificationem actus externi et actus imaginati non simpliciter valere, quia praecise illi effectus, tum in subjecto tum in rerum natura sunt diversi.

Attentius proinde considerationi occurrunt duo alia fundamenta ab auctoribus allata et quidem primo fundamentum metaphysicum, deinde fundamentum psychologicum.

1. *Fundamentum metaphysicum*

Secundum S. Thomam, sequentem Aristotelem in loco a Sanchez supra praecitato, delectatio est quasi flos operationis et accidens proprium operationis perfectae. Delectatio sequens operationem concretam, habet proinde suam determinationem ab operatione ipsa, et inseparabilis videtur ab operatione illa. Unde hedonismus purus, ponens delectationem ut finem totalem ultimum, essentialiter inordinatus probatur. Sed ab optimo auctore S. Thoma, etiam concessum est quod, ad bonum totale personalitatis, entitas physica delectationis connexae cum aliqua operatione, potest aliquomodo separate intendi, dummodo operatio cui connectatur sit saltem indifferens. Ita ad gaudiosam celebrationem licebit bibere ultra sitim, manducare ultra famem, etc ... quia delectatio sequens ex illis operationibus animum totum potest laetificare. Licet ergo essentialis remaneat connexio inter operationem et delectationem, tamen non sine distinctionibus urgendum videtur principium : delectatio est propter operationem. Delectatio enim sequens unam operationem potest quandoque quaeri propter bonum totale individui.

Intricatior etiam est usus hujus principii quando agitur de delectatione rei cogitatae et non de cogitatione rei.

Ad nostrum scopum determinandi moralitatem delectationis morosae strictae dictae melius est proinde relinquere illud fundamentum metaphysicum, huic anteponendo considerationem intentionis actualis subjecti delectantis.

2. *Fundamentum psychologicum*

Connexio inseparabilis inter delectationem morosam et operationem, melius probatur ex secunda ratione saepius ab auctoribus, duce S. Thoma, allata: affectus nempe subjecti delectantis ad operationem ipsam. Et bene valet de delectatione morosa proprie dicta.

Est enim imaginatio aliqua affectuosa, proveniens ex hoc quod voluntas subjecti sese committit in operationem imaginariam ex appetitu aliquo operationis ipsius. Id quod delectat in delectatione morosa est operatio ipsa, interne approbata, licet externe repudiata. Numquam opus illud delectaret, repetunt auctores, nisi ipsum secundum se amaretur. Vera delectatio morosa essentialiter comprehendit actum internum approbationis voluntatis circa operationem ipsam delectantem.

Exinde jam melius intelligitur specificatio ejus moralis. Voluntas enim semper specificatur ab objecto. Objectum delectationis morosae est autem operatio ipsa in quantum delectat. Ergo delectatio morosa habet suam moralitatem ab eadem operatione.

Ad intelligentiam profundiorem notentur sequentia:

a. Operatio delectans in delectatione morosa est aliqua operatio imaginata. Hoc significat quod libertate qua pollet imaginatio, operatio definietur magis vel minus abstracta a realitate externa, respiciens praesertim elementa delectantia, relinquens elementa quae nullam af-

ferre possunt delectationem. Sic v. g. aliquis inimicitia affectus erga sacerdotem, potest imaginari se ipsum humiliantem illum, sed nullo modo attentioni mentis subjicere illum esse sacerdotem, quia sibi nulla delectatio peculiaris procuratur in humiliatione sacerdotis ut talis. In aliis circumstantiis, ubi v. g. absolutio alicui denegata fuerit, specialis delectatio possit haberi in humiliando sacerdote formaliter ut tali. Sic etiam possit aliquis imaginari se habentem rem cum muliere conjugata, sed non attendere ejus conjugium, quia solum eum delectat res ipsa cum tali femina, non qua conjugata.

b. Notetur insuper delectationem morosam actualiter delectare subjectum. Exinde apparet quare in delectatione morosa, licet sit imaginaria, tamen non possit abstrahi a conditione actuali subjecti. Potest sane quis approbare voluntate actum futurum, tempore futuro licitum nunc autem malum, sed non potest habere delectationem morosam de eodem actu, quia haec est delectatio actualis subjecti. Quod actualiter delectat non est tam actus futurus quam actus imaginatus praesens. Objectum enim possit esse extra ordinem realitatis, subjectum autem delectans non est.

c. In delectationibus morosis actuum non intrinsece sed ex effectibus malis gravitas pensatur secundum effectus malos actus imaginati non autem secundum effectus actus externi. Quare initio expositionis temperamentum posuimus principio generali. Ita v. g. sacerdos delectans morose de actu impudicitiae aspectus feminae nudae culpatur secundum periculum hujus imaginationis, forte minus forte majus quam ex impudicitia externa, et sine culpa scandali quod in illa externa haberetur.

3. *De imaginationibus deliberate excitatis propter delectationem apprehensionis.*

Principium generale evaluationis moralis erit hic principium de vitando periculo peccati. Apprehensio enim intrinsece est operatio cognitionis bona, eousque tamen vitanda quo constituat occasionem peccandi sive interne consensu sive externe operatione deliberata.

Ab initio hic bene distinguenda venit imaginatio theoretica ab imaginatione practica. Frequentius jam notatum est supra, imaginationem practicam habere connexionem intimam cum motibus passionum et cum operationibus externis. Imaginatio theoretica e contra, sicut operatio intellectus, per se non habet talem influxum in illos motus. Attamen quo minus mens occupata sit intentione illa theoretica, eo facilius repraesentationes interiores, vel intellectus vel imaginationis vel memoriae ab appetitu praeexistente conscio vel inconscio, transponentur ab illo ordine theoretico ad ordinem practicum, atque ibi constituent periculum directum, vel actuationis passionum, vel judicii interne approbantis operationem, vel consensus in operationem externam.

Ubi insuper existunt in homine tendentiae peculiares admissae (ut sunt v. g. desideria efficacia et inefficacia) virtualiter in anima permanentes, vel ubi triplex ille pro appetitu sensitivo tentationum fons: concupiscentia scilicet, mundus ac diabolus parum ab organisatione ac ascesi spirituali interna occludatur, non dubium est quin hi actus theoretici interni intellectus et imaginationis, ut gratae occasiones arripientur, ad connectendum ordinem practicum tendentiarum. Propensio enim vaga vel magis determinata subjecti, constanter, conscie vel inconscie, objecta quaerit quibus aptetur, et sitienti inquietudine expressiones expectat suorum motuum inordinatorum. Quare in quibusdam materiis in quibus pro omnibus communiter sumptis hominibus propensio passionum est vivax,

ordo theoreticus difficilius, si umquam, in sua puritate servabitur.

Relate ad representationes internas imaginationis concrete in singulis dijudicandum erit:

a) ex *actuali* intensione theoretica subjecti, seu aliis verbis, ex abstractione mentis a realitate practica. Qui vg. intense studet anatomiae, adeo objecto theoretico arripietur ut ne momento quidem imaginationes importunae molestae sint. Sed si supponamus idem subjectum jam studio fessum, vel pigritans, eo ipso fiet intensio theoretica difficilior et nullum est dubium quin eaedem imagines ab inquietis tendentiis sensitivis arrepturae sint ad excitandos passionum motus.

b) *Ex propensione actuali subjecti* ad materiam circa quam repraesentationes habentur in imaginatione theoretica. Ita constitutio physica subjecti, habitus vitiosi, experientiae praeteritae, concupiscentiae ejus et desideria recognita, inefficacia vel efficacia, haec omnia simul reddent operationes imaginationis etiam theoreticas plus minusve periculosas, vel simpliciter impedient considerationem illam mere theoreticam.

c) Ex *propinquitate* repraesentationum internarum cum vividioribus et allicientibus imaginibus ordinis practici.

4. *Denique tandem examini subjicienda venit moralitas* eorum exercitiorum imaginationis ubi elementum ludicum praevalet:

a) Et primo quidem illud exercitium ludicum pure apprehensivum. Delectabit hic apprehensio phantasmatum sese ut picturas internas coram mente evolventium et saepe rapido cursu moventium. Per se illud exercitium evidenter est licitum, dummodo vitam rationalem non nimis praeocupet et materia mente repraesentata non sit nimis periculosa. Si vere remanet ludus imaginationis pu-

rae numquam severius judicandum erit de illo quam de aspectu picturarum leviter excitantium. Dico leviter excitantium quia, finalitate interna, habitudo mentis ludica, quae praesupponitur, per se conabitur imagines adeo vagas tenere et adeo evolventes ut ludus ipse apprehensionis pergere possit. Ideo periculum peccati gravis externi vel intimi per consensum, non erit nisi remotum. Cum tamen frequenter occasione illius ludi, appetitus conetur transponere imagines in ordinem practicum, peccatum leve committet ille qui sine ulla ratione, ex mora otiositate, mentem illis leviter excitantibus imaginationibus occupat. Saepius tamen si imagines remanent vagae, culpandus non erit qui ad relaxationem animi ludum illum non cessat cum primum illum advertat. (Comparetur casus illius qui casualiter periodica aspiciens obiter delectatur picturis leviter impudicis). Morosa autem consideratio phantasiae determinatae jam ludum cessabit. Periculum fiet magis vel minus proximum, et ratione illius proximitatis de peccato judicandum erit, sicut sub 3 dictum est.

b) Ad ludum simul passionum quod attinet quaedam de moralitate passionum praenotanda veniunt.

Ut mere pertinentes ad vitam sensitivam, affectiones, appetitiones et motus corporales appetitus sensitivi, non habent per seipsos rationem moralitatis, quia omnis moralitas a voluntate incipit. Si imaginatio suboritur, si haec passionem excitat, si passio centra motorica tangit, haec omnia per se remanent extra ordinem moralitatis. Sane est theoria S. Thomae quod habetur peccatum veniale in sensualitate, in quantum haec sphaera per se subordinanda est sphaerae rationali. Sed hoc tantum valere potest de illis passionibus quibus de facto resistentia erat possibilis. « Ratio vel voluntas se habet ut non prohibens motus illicitos sensualitatis: tunc talis non prohibens cum prohibere possit, peccat venialiter; dicitur enim aliquis facere illud quod non impedit cum impedire potest » (In II Sent. Dist. XLI a 2 q. 1).

Motus autem passionis deliberate excitati seu voluntarie acceptati, duplicis videntur esse generis. Quidam sunt mere delectatio ipsius operis peracti in realitate vel in imaginatione ut vidimus. Suam moralitatem evidenter sortiuntur ab opere ipso. Alii motus quidem sunt resultantia alicuius actus, (v. g. actus impudicus vel imaginatio), sed finalitate sua interna sunt ordinati ad faciliorem reddendam aliquam operationem consecutivam. Hi moraliter judicandi sunt, tum ab actu ex quo resultant, tum ex connexione magis vel minus intima cum operatione illa secutura.

Re vera omnes omnino actus passionis finalitate sua interna, per se ordinantur ad disponendum animum ad aliquem actum exteriorem. Ipsa delectatio de operatione peracta, quae primo aspectu videretur tantum quies appetitus in bono possesso, tamen natura sua essentialiter disponit animum ad perseverandum in operatione. « Gaudium attrahit attentionem in suum objectum praesens. Ab homine amato oculos non avertimus, avarus non a sua pecunia, superbus non a sua superioritate. Hoc utique omnes emotiones praestant; gaudio vero proprium est ut tendat animam retinere in positione electa ad suum objectum. Sic sistimus in contemplatione regionis aut certarum cogitationum » (I, II$^{ae}$, q. 74 a 6).

Qui passionem admittit, admittit proinde per se dispositionem aliquam animae suae ad operationem. Haec dispositio moraliter judicari debebit ex connexione plus minusve intima motus passionis cum illa operatione. Ita v. g. motus passionis praeparantis actuationem functionis genericae, sive remaneat tantum affectio, sive perveniat usque ad influendum centra motorica, erit bonus, si actuatio ipsa functionis genericae in casu est bona, ut generatim in conjugatis. Item motus irae moderatae moraliter bonus erit in eo qui seipsum defendere jam debet, vel constituitur ad defendendum bonum commune, ut fit in milite bellante.

Licet haec secundum se sint vera, notanda sunt tamen sequentia:

1) Ex studio psychologiae sic dictae profundae nobis significatur passiones (sc. affectus et emotiones animi) quandoque inconscio modo remanere in anima separatas ab operatione cui debuissent connecti.

Proinde fit ut ad pacificationem animi medici rogent clientes ut relaxent, partialiter saltem et ad tempus conventus cum medico, vitam sensitivam quin interveniat immediate voluntas.

Et quidem rationabiliter sic fit in psychotherapia dummodo ex circumstantiis periculum absit formalis peccati, sive interni ex approbatione objecti mali, sive externi ex operatione etiam materialiter mala. Ratio sufficiens talis agendi modi invenitur in medicatione patientis anxiosi et neurotici. Itaque consilium clienti dari potest a medico competenti ut, sub ejus ductu, quin somniet, habenas det imaginationi et affectionibus suis, separatis ab omni operatione, ut iis liberetur et inveniat pacificationem et purificationem internam. Conscientia eorum quae eveniunt est sufficiens; voluntas, quae actualiter non intervenit, tamen remanet libera; insuper praesentia medici conscientiosi, ut supponitur, efficiet ut vita sensitiva non adeo aberretur ut consensum attrahat in objectum malum.

In tali casu simpliciter principium applicandum videtur de incurrendo periculo peccati.

2) Id quod explicito modo fit in psychotherapia, nempe liberatio illa passionum omnino ab operatione separatarum, implicito et obscondito modo tenuiter fit in ludo illo imaginationis et passionis quem supra descripsimus. Voluntas habenas dat imaginationi, quasi passive se habet ad evocationem vagam et indeterminatam imaginationum ex quibus affectiones oriuntur in anima, quantum fieri potest abstractas a rebus imaginatis. Illis autem affectionibus omnino vagis complacet tunc voluntas.

Possibilitas psychologica talis delectationis non videtur neganda.

Judicium morale illius passivitatis simul ac illius complacentiae quaerendum est in rationabilitate talis delectationis omnino elongatae ab operatione, ad bonum totius personalitatis. Possit esse causa relaxationis, liberationis et pacificationis tensionis affectionum secus prorumpentis in actiones inordinatas. Ex altera tamen parte nutrit vitam appetitus sensitivi et exinde periculum constituere potest vitae rationabiliter ordinatae.

Sane in hoc casu principium supra de delectatione morosa stricte dicta stabilitum non videtur applicandum specificationem moralem et theologicam haberi ex objecto repraesentato.

Objectum enim repraesentatum non placet; quare etiam omnino indeterminatum et movens habetur coram imaginatione. Voluntas sese nullo modo committit in objectum, sed tantum in delectationem quantum possibile ab omni objecto abstractam complacet.

In quantum ergo de facto delectatio ab objecto secernatur, in tantum moraliter de illa judicandum est ex effectibus et proinde ex principio de incurrendo periculo peccati.

Licet haec secundum principia sint vera, tamen insistendum est in eo quod practice ludus passionum rarius justificabitur, quia de facto periculum transpositionis ad ordinem realisationis externae remanet quasi semper formale. Saepius ille ludus procedet ex appetitu objectivo et profundiore et inconscio modo subjectum ligabit in sphaera sensualitatis quae alias et novas occasiones arripiet ad exprimendum se in actionibus inordinatis et peccaminosis.

c) Exinde jam melius judicare possumus de ludo illo imaginationis huic valde simili, quem supra sub nomine *somniorum diurnorum* descripsimus? — In his subjectum delectatur per expressionem imaginativam et

saepe symbolicam propensionum ac velleitatum suarum naturalium, sive ordinis sensitivi, sive ordinis spiritualis. Item bene attendenda est differentia inter illas imaginationes et delectationem morosam. In hac subjectum seipsum imaginat ponentem actum bene determinatum. In somniis diurnis autem subjectum, modis vagis ac saepe symbolicis, dysharmoniam internam suarum affectionum compensare conatur, transponendo seipsum in mundum phantasticum, in quo propensionibus vagis ac velleitatibus appetitus satisfacit. Voluntas rationalis nullibi sese in illis committit, sed totus processus remanet extra ordinem realitatis concretae, nequidem imaginatae. Subjectum enim remanet conscium sese solummodo ludere, extra ordinem operationis. Plerumque tales imaginationes spontaneo modo orientur in frustratis, et determinantur conditionibus physicis (morbus internus, vel aeris tempestas, vel secretiones glandularum etc.) vel psychicis (successus vel res adversae, experientia vel conflictus moralis non solutus etc.) inconsciis.

Moraliter consideratae non videntur tales somniationes per seipsas malae, cum nullibi voluntas objectum malum amplectetur. Quatenus remanent vagae et ideterminatae, neque periculum proximum constituent actuationis passionum in ordine realitatis. E contra videntur aliquam sedationem propensionum praebere, quae aliter viam realisationis quaererent. Attamen periculum constituunt serium pro organisatione morali totius personalitatis et proinde sunt inordinatae, quia:

a. nutriunt appetitum modo qui non regulatur a vita superiore rationali;

b. disjungunt, in vita ceterum conscia, ordinem appetitus sensitivi, cum suis propensionibus et concupiscentiis, a vita rationali. Haec disjunctio sane justificabitur quandoque per relaxationem temporalem, necessariam ad restaurandas vires animae. Sed frequens usus illorum somniorum effectus habebit nocivos:

1) minuendo firmitatem voluntatis in regulatione vitae personalis;

2) elongando ab adaptatione vitae realis concretae, cum suis officiis quandoque arduis, quae somnians effugere conatur solutione apparenter facili, sed artificiali quae numquam satisfaciet;

3) ligatione subjecti sphaerae subjectivae et amoris sui indebiti ex quo omnia peccata originem sumunt.

Practice concludendum est quod:

a) Illae somniationes diurnae, voluntarie admissae, per longum tempus, semper erunt peccatum saltem veniale, ob toleratam inordinationem objectivam vitae, sine ratione sufficienti subtractae ordinationi rationis, et exinde ob imprudentiam circa conditiones necessarias vitae moralis.

b) Somniationes omnino vagae, non diu protractae, ad relaxandum animum, licitae sunt, dummodo non constituant periculum relativum pro tali subjecto determinato.

c) Somniationes in materia in qua propensio subjecti connexa est cum motibus passionis facile excitabilis, usque ad grave peccatum possunt tendere, in quantum constituunt periculum proximum peccatorum saltem internorum approbationis et desiderii mali.

### 5. *De imaginationibus sponte aborientibus.*

In vita nostra quotidiana frequentius imaginationes rerum spontaneo modo in mentem veniunt. Legibus enim associationis psychologicis, variis ex connexionibus imagines possunt exsurgere: sic v. g. ex dispositionibus corporis, ex sensationibus externis vel internis. Quandoque homo reperit se distracta mente res imaginatione revolventem. Patet quod in his nulla habetur ratio peccati, cum nulla adsit advertentia actualis. Post advertentiam autem plerumque variis infra describendis mediis poterunt repelli. Mens autem, potest quandoque, quin positive ad-

mittat imaginationes, passive se habere. Moraliter haec mera passiva habitudo mentis reprehensibilis est, quia ratio hominis generatim ducere ac dirigere debet vitam psychicam suam internam. De facto plerumque circa illas imaginationes negligens non erit nis ille qui aliquo modo erga eas affectus sit, et simul conscius sit se non posse positive eas admittere. Quare saepius illa passiva habitudo mentis non erit nisi larvata complacentia positiva, eo ipso peccaminosa ex intentione celata. Attamen, supposita recta intentione, non videtur inquietandus ille, qui ratione aliqua suadente sese mere passive habeat, dummodo obligatio non adsit eas repellendi, etiam cum incommodo adhibendi media proportionata, in quantum constituunt periculum proximum peccati.

Regulae sequentes videntur tutae:

a. Imaginationes in materia non incentiva passionum, ad meram delectationem sunt permittenda. Hic enim relaxatio animi ratio sufficiens est ad permittendas illas spontaneas vagationes a regulatione actuali rationis.

b. Imaginationes respondentes propensioni inordinatae vitae sensitivae, absolute vel relative tales, etiamsi valde incentivae sunt, sub levi tantum sunt culpandae, si per breve momentum coram mente teneantur, quia non adest consensus voluntatis, neque in tam brevi temporis spatio, constituunt periculum proximum peccati gravis.

c. Imaginationes diutius coram mente habitae, vel continuo revenientes incentivae, cum jam constituant periculum proximum complacentiae peccaminosae, debebunt repelli, ratione prudentiae et hoc sub gravi, in quantum materia assensus eventualis est gravis.

d. Imagines obsessionali modo, tentatione continuata, revenientes, non videntur sub gravi saltem continuo repellendae, cum incommodo tanto ut tota vita psychica in eis repellendis occupetur. Agitur nempe de mera passiva habitudine, et necessitates vitae compensare videntur

periculum peccati, quod ratione obsessionalis characteris imaginationis, rarius erit gravis. De facto, optimus modus liberationis frequentius consistet in contemptu illarum.

## CONCLUSIO

Omnia supra descripta compendio sequenti modo delineari possunt:

I. Existunt peccata interna strictissimo sensu dicta. Sunt ea quae in ipsis actibus voluntatis elicitae committuntur, ut quando bonum intellectu apprehensum variis modis appetitur. Inter ea hic nostrum praesertim interest complacentia voluntatis seu approbatio ideae alicujus actionis, ut finis possibilis realisationis. Haec complacentia de idea objecti mali, vere et proprie est « idea mala ». Specificatio moralis et theologica talis ideae habetur ex objecto, quia voluntas cum illo approbando unitur et ab illo specificatur.

II. Praeter illa peccata strictissimo sensu interna, habentur peccata quae committuntur ex eo quod voluntas complacet imaginationibus et motibus passionis exinde orientibus. Non autem sunt unius generis neque unius specificationis theologicae et moralis.

1. Imaginationes placent vel ut media excitationis ad operationem ulteriorem, vel ut objecta per se ipsa delectantia. In primo casu specificationem suam theologicam et moralem habent a fine ad quem intenduntur. In secundo casu ulterior distinctio videtur necessaria.

2. Per se ipsas delectantes imaginationes id faciunt vel propter exercitium apprehensionis vel propter contentum repraesentatum. Addendum:

Delectationes purae apprehensionis hauriunt suam moralitatem ex moralitate ipsius apprehensionis. Proinde sunt bonae per se, malae per accidens ratione periculi annexi alicuius peccati interni vel externi.

Cum delectat contentum repraesentatum attentius considerandus est modus delectationis.

3. Contentum repraesentatum placet vel ut objectum operationis subjecti imaginariae — et hic habetur « delectatio morosa » proprie dicta — vel ut causa alicuius affectionis in appetitu sensitivo. Delectatio morosa habet suam moralitatem ex objecto, in quantum praecise est perpetratio imaginaria deliberata, et proinde approbatio objecti. Tamen notandum est, objectum quod non intrinsece, sed ex effectibus tantum sit malum, forte aliam qualificationem obtinere si mere interne perpetretur, quia effectus forte aliter constituuntur ac ex objecto externe perpetrato.

4. In casibus ubi contentum repraesentatum placet ut causa alicuius affectionis in appetitu sensitivo, et proinde id quod quaeritur est delectatio, diversimode judicandum erit, prout ligamen inter delectationem et operationem arctius vel remissius habetur.

Ubi delectatio est bene determinata, appropinquamus casui primo de imaginatione ut medio usurpata, vel saltem tunc approbatio supponitur interna ex connexione psychologica, ita ut vere per objectum delectans judicari debeat.

5. In aliis casibus denique, in quibus objectum repraesentatum tantum placet quantum producat aliquam delectationem ab objecto separatam, sive quia affectio aliqua morbida retinebatur inexpressa, ut in psychotherapia comperitur, sive quia adeo indeterminata remanet ut vere lusiva sit censenda, de moralitate judicandum erit ex principio de vitando periculo peccati.

Auctorem habemus advocatum Cajetanum (Summula, sub verbo Delectatio) quando dicit: « Adverte demum diligenter, pie lector, ut haec quae diximus, formaliter intelligas. Non decet enim loqui docendo nisi formaliter. Excusamus quidem multa, stando infra terminos de qui-

bus est sermo, quae tamen aliunde possunt damnari ». Verae enim prudentiae christianae erit ostia animae custodire et repellere ea omnia quae vitae sensitivae inordinate adhaerere faciunt, ut Spiritui Christi inhaereamus.

André Snoeck S. J.

# DE CONSTITUTIONE S. PII V. "CIRCA PASTORALIS"

## super clausura monialium et tertiariarum

## SECTIO ALTERA: DE TERTIARIIS

### Caput Alterum: "Juridicum"

Hoc in capite nonnullas quaestiones juridicas, quae ad constitutionem « Circa Pastoralis » recte intelligendam sunt indispensabiles, colligemus. Apte ad duas series reduci possunt: primo investigabimus quid praecise imponatur; deinde quibus personis, quia statim oritur quaestio: sitne « Circa pastoralis » lex generalis omnes, etsi non expresse memoratas, obligans.

### Art. I. De obligatione Tertiariis imposita.

Questioni quid per constitutionem « Circa Pastoralis » tertiariis imponatur, varie respondent auctores, e qua diversitate jam apparet, quaestionem non statim posse resolvi. Ratio hujus difficultatis ponenda videtur in externa forma legis, quae non per modum canonis, i. e. paucissimis et tantum necessariis verbis composita est, sed per modum constitutionis, e variis paragraphis et verbis juridice leviter superfluis constantis. Inde periculum nonnulla omittedi vel se inaccurate exprimendi pro auctoribus, qui non ipsum textum sed id quod continet publicant. Ad demonstrandam opportunitatem accuratae investigationis peragendae, en quae apud nonnullos auctores legimus:

« Videtur intentum S. Pontificis S. Pii V fuisse, *omnino extinguere* Congregationes istas mulierum (n. p. tertii ordinis quae collegialiter vivunt) votum solemne non emittentium » [1].

« *Ad clausuram* tenentur etiam tertiariae in congregatione viventes et tria vota essentialia emittentes. Et si remanent, prohibetur eis receptio ad habitum » [2]. Idem auctor alibi dicit : « Tales tertiarias posse prohiberi, ne in communitate maneant nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictae pianae constitutionis (n. p. Circa Pastoralis) rescripsit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, 22 jan. 1596 » [3]. Inde refert Stanton [4] S. Pium V tertiariis *quartum votum* de perpetua clausura servanda praescripsisse.

Alio modo statuta refert Walz : « Tertiariae quae in communi vivebant absque solemnium votorum emissione, ... de servanda clausura et faciendis votis monendae erant. Si huic consilio non parerent, *poenae* non recipiendi nova membra subjiciebant » [5].

Hofmeister dicit : « Clausura papalis urgetur pro tertiariis cum *votis solemnibus;* ceterae possunt in suo statu remanere usque ad mortem et hoc modo exstinguuntur » [6].

Baijonne dicit mulierum monasteria cum votis simplicibus et imperfecta clausurae potuisse *eligere* : aut perseverare in sancta vocatione, strictam clausuram ac-

---

1 Lezana, Summa quaestionum regularium, Duaci, 1646, t. II, cap. 14, n. 38.

2 Ferraris, Bibliotheca canonica, Romae, 1768, t. V, verbum « moniales », art. 3, n. 3.

3 Ferraris, Bibliotheca canonica, Romae, 1768, t. VII, verbum « tertiarii », n. 16.

4 Stanton, de Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis, Halifaxae, 1936, p. 13.

5 Walz, Compendium historiae ordinis Praedicatorum, Romae, 1930, p. 544.

6 Archiv für kathol. Kirchenrecht, 114, (1934), 68.

ceptantes, aut a votis dispensari, regredientes in saeculum »[7].

Alii aliter judicant: Bastien putat S. Pium V praescripsisse *suppressionem* omnium congregationum mulierum sine clausura et sine votis solemnibus erectarum[8]. Mitius judicat Gerlach, scribens S. Pium V *prohibuisse* omnes congregationes mulierum sine votis solemnibus et clausura papali[9]. Post Holzapfel[10] scripsit van de Borne S. Pium V *anno 1586* omnibus monasteriis tertiarum *cum votis solemnibus* imposuisse clausuram. De aliis nil dicit, nec commemorat constitutionem « Circa pastoralis », quae est anni 1566[11].

Nonne, considerata tanta opinionum varietate, locus est quaestioni: quid nunc praecise tertiariis imponatur? Vel vota solemnia emittere et strictam clausuram acceptare? vel ad solam clausuram se obligare, votis non mutatis vel forte non emissis? vel eligere vota solemnia inter et regressum in saeculum? vel nil mutare, suppressa tunc facultate accipiendi nova membra? ... Quaestio solvenda est per accuratum ipsius textus studium.

In textu constitutionis (par. 3) fit distinctio inter tertiarias votum solemne emittentes et alias tertiarias non solemniter professas.

De prima specie, i. e. de tertiariis solemniter professis, dicitur: « ad clausuram praecise ut praemittitur

---

[7] Baijonne, Vie de S. Catharine de Ricci, Paris, 1873, t. II, p. 157.

[8] Bastien, Directoire canonique, Maredsous, 1923, p. 4.

[9] Gerlach, Geschiedenis der Penitenten-Recollectinen van Dongen, Franciscaansch Leven, 23 (1940), p. 19.

[10] Holzapfel, Handbuch der Geschichte des Franziskanerordens, Freiburg im Br, 1909, p. 683.

[11] Lexicon für Theologie und Kirche, zweite Auflage, t. X, kol. 4. Notemus insuper in bulla « Ea est officii », 7 jul. 1568, sermonem esse de tertiariis vota « substantialia » emittentibus. (Wadding, Annales Minorum, t. XX, p. 568).

et ipsae teneantur ». Ratio, ipsis verbis, « ut praemittitur » indicata, evidens est. In praecedente constitutionis parte omnibus solemniter professis clausura observanda strictissime imponitur (par. 1), omni consuetudine omnique institutione et regula contraria revocata. (par. 2).

Potius superfluum videri posset nunc iterum praescribere tertiarias solemniter professas ad clausuram teneri: quia vota solemnia emittunt, jam per paragraphum primam ad clausuram acceptandam tenentur. Facile tamen haec iteratio explicatur: in tertia paragrapho sermo est de tertiariis; data duplici earum specie, prout solemniter professae sunt necne, ponenda erat et, logice procedendo, pro singulis indicandum erat, quid esset faciendum. Accedit et altera ratio, qua utile erat pro tertiariis solemniter professis expresse indicare quid eis imponatur. Cognoscimus dispositionem Leonis X per bullam « Inter cetera », 20 jan. 1521 [12], in qua clausura servanda iis tantum imponebatur, quae eam expresse vovebant. Pro vita sine clausura aderat ergo permissio, ab ipso S. Pontifice solemniter concessa et confirmata. Huiusmodi vita religiosa erat perfecte licita et honesta, immo quasi-necessaria ad opera caritatis in proximos exercenda. Nec a Concilio Tridentino clausura erat iis imposita [13]. Cap. V. sess. XXV loquitur de clausurae restitutione ubi fuerit violata, de conservatione ubi inviolata manserit, « indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus », quae clausula non sufficit ad Leonis regulam abolendam. Nunc autem a S. Pio V omnibus tertiariis solemniter professis clausura imponitur: utile erat omnibus, quae omnino licite non observabant clausuram, indicare hanc facultatem nunc revocatam abolitamque esse.

Quid alterae speciei i. e. tertiariis non-solemniter

---

12 Bullarium Romanum Taurinense, t. V, p. 764.

13 Franciscana, 4 (1921), 89.

professis imponitur? Nonnumquam statim respondetur eas vota solemnia nuncupare debere. Valde mirum est hoc non expressis verbis in constitutione dici, ita ut aliquis opinari posset tertiariis istis votum solemne non esse impositum sed solummodo propositum et commendatum. Inspiciamus verba: « Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii persuadere studeant, ut illud emittant; quod si recusaverint (et notate quod sequitur, quia non sempliciter adjungitur « severissime puniantur » sed interponitur conditio restrictiva) et *aliquae* ex eis *inventae* fuerint *scandalose vivere,* severissime puniantur ».

Quid inde est concludendum? Tertiariae non-solemniter professae quae non obstantibus hortationibus et persuasionibus Ordinariorum vel Superiorum, vota solemnia emittere nolunt, quarumque vita non est scandalum continuum pro fidelibus, licite in suo statu vitae perseverare possunt. Novitiae recipi non possunt (e paragrapho sequente) sed sorores praesentes non coguntur ad vota solemnia emittenda clausuramque perpetuam admittendam. Si recta sit haec interpretatio, vota solemnia non imponerentur absolute et peremptorie; congregationes votorum simplicium non exstinguerentur, saltem non statim et immediate; sorores non deberent eligere inter votum solemne et regressum in saeculum: piana severitas, quae a nonnullis excessiva judicetur, moderata et humanis viribus accomodata appareret.

Inquirendum nunc est verane sit haec interpretatio? Proinde genuinum verborum sensum variis modis stabilire conabimur et quidem e contextu et e practica constitutionis applicatione.

### Par. 1: *E contextu constitutionis.*

In quarta constitutionis paragrapho legitur: « Ceteris autem omnibus sic absque emissione professionis et

clausura vivere omnino volentibus, ... prohibemus, ne in futurum ullam aliam ... in suum ordinem ... recipiant ». Novo sanguine non adveniente, associationes istae paulatim e vita egredientur. Auctores concludunt : tertiaria sub hac classe (de qua in quarta paragrapho) non comprehenduntur. Etenim : per verba « *ceteris autem* » evidens ponitur distinctio inter personas de quibus in tertia et illas de quibus in quarta paragrapho sermo est. Ergo : dispositiones, in hac quarta paragrapho contentae, tertiariis non applicantur. Atqui : quia quarta paragraphus non valet pro tertiariis, inde admittendum est in tertia paragrapho *omnibus* tertiariis indiscriminatim imponi vota solemnia et strictam clausuram, ita ut interpretatio supra proposita falsa videatur. Quaenam est ratio propter quam tertia paragraphus omnes omnino tertiarias obliget ? Quia secus tertiariis non-solemniter professis omnino liberum esset accipere necne vota solemnia et consequenter clausuram, et hoc non tantum pro se, sed etiam pro omnibus postea admittendis et profitendis. Hoc tamen directe contradiceret intentioni S. Pii V, clausuram introducere cupientis. Ergo ...

Nobis tamen non placet haec conclusio. Opinamur eligendum esse inter haec duo : *aut* in tertia paragrapho non est libertas pro tertiariis non-solemniter professis; quod est contra textum, qui scandalosam vitam tamquam conditionem supponit (« et aliquae ex eis inventae fuerint scandalose vivere ») *aut* in quarta paragrapho tertiariae comprehenduntur sub verbis « ceteris autem », quod nobis non videtur contra textum; quod proinde admittendum esse putamus. Haec sunt nostra argumenta :

1. Dicitur : « Ceteris autem omnibus *sic* (i. e. sicut hucusque descriptum est, ad normam praecedentis paragraphi) absque emissione professionis vivere volentibus ». Personae quae in hac quarta paragrapho enumerantur non contradistinguuntur ab illis de quibus in tertia pa-

ragrapho. In ea tertiariae usque nunc non-solemniter professae dividuntur, prout vel nunc vota solemnia accipiunt, vel vota solemnia recusant et scandalose vivunt (et tunc « severissime puniantur ») vel vota solemnia recusant, sed non scandalose vivunt. Quid his ultimis imponatur in quarta paragrapho statuitur: ipsae possunt vivere sicut antea sed novitias recipere prohibentur omnisque nova professio irritatur. In quarta ergo paragrapho, nostro saltem judicio, iterum sermo est de tertiariis (et non de aliis personis non-tertiariis). Tertiae paragraphi statutis accurate inspectis, remanent revera nonnulla de tertiariis statuenda. Providendum erat tertiariis, episcoporum superiorumque consiliis non obsecundantibus nec scandalose viventibus. Haec statuta in quarta paragrapho inveniuntur.

2. Dato non concesso, quod in quarta paragrapho ageretur de personis non-tertiariis, quaestio oritur, cur non sint hortandae ut vota solemnia accipiant; cur non sint puniendae si recusent et scandalose vivant? Nulla probabilis excogitari posset ratio quae diversitatem inter statuta pro tertiariis (in tertia paragrapho) et pro non-tertiariis (in quarta paragrapho) explicaret. Optime tamen cohaerent paragraphi, si admittamus in illis de iisdem personis esse sermonem.

3. Argumentorum confirmatio inveniri potest in verbis initialibus paragraphi quintae: « Porro ne moniales vel tertiariae *praedictae* »: de nullis aliis personis hucusque erat sermo nisi de monialibus i. e. solemniter professis et de tertiariis [14].

---

[14] Objici potest improbabile esse statuta pro iisdem personis inveniri in diversis paragraphis. Respondemus statuta pro monialibus etiam inveniri in distinctis paragraphis, np. in prima et secunda. Praeterea: statuta sunt prorsus diversa, ita ut recte in distinctis numeris exprimantur. In tertia paragrapho tertiariae adhortantur ad vota solemnia acceptanda. Exoptat et opinatur S. Pontifex hanc exhortationem ad finem obtinendum sufficere, cui

E constitutionis contextu — haec est nostra conclusio — non probatur omnes tertiarias non-solemniter professas ad votorum solemnium emissionem obligatas esse.

### Par. 2 : *E praxi*

Optima legum interpretatio generatim habetur in earum applicatione casibus concretis, praesertim si ab ipso legislatore est facta. Proinde nonnulla facta e pontificatu S. Pii V hoc loco exponere intendimus.

A. De episcopo tranensi.

Primo loco occurrit quaestio inter Episcopum Tranensem [15] et Congregationem S. Concilii, de qua variae habentur epistolae in archivo illius congregationis, quarum prima his verbis scripta est :

« Jussu S. Domini nostri de sententia illustrissimorum Cardinalium Congregationis S. Concilii, mitto ad Amplitudinem tuam cum his litteris exemplum supplicis libelli quod ipsis illustrissimis Patribus recitatum est nomine Monialium tertii ordinis Ecclesiae S. Joannis lionelli istius civitatis [16] eamque moneo ut si verum est istas Moniales numquam professionem emississe, ex quo sequitur ut neque ex decretis S. Concilii, neque ex bulla S.mi Domini nostri cogi possint, ut in claustra redigantur, eas in istam clausurae necessitatem, pro sua prudentia, compellere desinat. Quam Deus salvam diutissime servet. Pridie Cal. Sept. 1566 » [17].

---

nihil ergo est addendum. Proinde explicit paragraphus. Quid faciendum in casibus exceptionalibus, in quibus tertiariae non accipiant vota solemnia, in sequenti paragrapho, quae est quarta constitutionis, statutum est.

15 Joan. Bapt. de Oxeda de Herrera. (Gams, Series Episcoporum, Leipzig, 1931, t. I, p. 934) Civitas tranensis pertinet ad regnum neapolitanum et sita est in Apullia ad litus maris Adriatici.

16 Monasterium fundatum est 5 jan. 1477. (Bordoni, Archivum bullarum, Parmae, 1658, p. 299).

17 In archivo S. Congregationis Concilii : Liber litterarum, I, fol. 70 verso.

Notate explicationem bullae, quae sine dubio est « Circa pastoralis »: moniales ad professionem cogi nequeunt ideoque clausura imponi non potest. Tamen in eodem libro litterarum postea aliae epistolae inveniuntur quibus res funditus mutatur. Anno 1569, probabiliter mense sept. vel oct., ab electis et deputatis civitatis tranensis scribuntur litterae Congregationi S. Concilii, in quibus episcopus accusatur de non executa bulla super clausura monialium etiam tertiariarum seu de poenitentia nuncupatarum et enixe supplicant ut eidem Episcopo imponatur executio quoad monasterium « di santo Giovanni Lionello di Trani del Terzo Ordine detto di penitenza ». Etsi agatur de eodem monasterio, congregatio plane immemor litterarum antea scriptarum, valde miratur bullam non esse observatam et monet episcopum « ut sine ulla mora et exceptione curet decretum id plane ac perfecte servari atque in usum consuetudinemque induci »[18].

Ut explicationem daret seseque defenderet, Patribus Cardinalibus scripsit episcopus[19], cui respondetur dandum esse istis monialibus spatium 15 vel etiam 20 dierum ad deliberandum: « an per emissionem solemnis voti rite profiteri velint ». Dein duplex casus providetur: vel accipiunt votorum solemnium professionem et tunc statim clausura instituenda est. Alter casus est professionis recusatio: « Sin autem professionem rite facere noluerint, nullam amplius facultatem illis relinquet isto in monasterio commorandi easque ad parentum aut consanguineorum aut affinum domos illico remittet: alienum enim ab Ecclesia Dei S. Dominus noster esse exsistimat

---

[18] Liber litterarum, I, fol. 373 continet epistolam congregationi, 15 oct. 1569; in folio 373 verso habetur libellus supplex praepositorum civitatis tranensis.

[19] Ipsam epistolam invenire nequimus, quod facile intelligitur, quia archivum S. Congregationis Concilii quoad primum saeculum ordinatum non est. Omnia quae studiosis praestant, vidimus.

ejusmodi mulierum habere rationem, quae uti monachali vestitu et in congregatione vivere nec solemnem professionem emittere nec clausuram servare velint »[20]. Maximi momenti est haec declaratio pontificia, qua nobis mens Summi Pontificis clare manifestatur.

Ne tamen statim concludatur bullam « Circa Pastoralis » eodem modo esse intelligendam. Concedimus verba S. Pontificis esse generalia omnibusque per se applicabilia, sed inveniuntur in responso particulari ideoque possunt esse data propter circumstantias particulares, hoc in casu occurrentes et hunc modum agendi exigentes. Revera habentur nonnulla indicia e quibus suspicari licet illas rationes revera adfuisse. Cur enim civilis potestas de non exsecuta bulla conquesta est? Hoc non clare in supplici libello dicitur, sed cum non observata clausura cohaeret. Notandum etiam videtur initium litterarum: « Ex litteris Amplitudinis Tuae 8 idus nov. datis aliisque scriptis simul missis S. Congr. Card. Trid. Concilii interpretum, ea cognovit quae ad nos perferri voluisti de clausura monasterii monialium tertiariarum S. Joannis civitatis Tranensis. Quibus diligenter accurateque consideratis faciendum putavit ut eadem ad *S. D. N.* referret. Cujus Sanctitas mandavit, ut *non obstante decreto* bullae de clausura monialium jam ad Amplitudinem tuam missam, istis ipsis monialibus detur spatium etc... » Cur res ad S. Pontificem debet referri nisi propter speciales difficultates ei adnexas, cur in responso in quo moniales electio inter vota solemnia et regressum in saeculum imponitur, expresse dicitur « non obstante decreto bullae de clausura monialium »? Possumus admittere monasterio tranensi in casu non esse applicatam bullam « Circa pastoralis », quae proinde non debet interpretari ad normam in quaestione tranensi observatam[21].

---

20 Liber litterarum, I, fol. 289 verso: 14 jan. 1570.

21 E litteris Episcopo missis 6 martii 1570 (Liber litterarum,

B. Episcopo spoletanensi.

Secundo loco habentur litterae ad episcopum spoletanensem [22] missae, 20 april. 1571 [23] Scribit S. Pontifex: « Non sine magna animi nostri molestia nuper ... intelleximus gravia scandala, excessus et delicta quae in monasteria monialium tertii ordinis S. Francisci Villae Vallis Caldarensis dominii, terrae nostrae Nursiae spoletanensis dioecesis et ipsarum monialium occasione et ob inhonestam ipsarum vitam diversis temporibus et etiam proxime praeteritis diebus sunt consecuta ». Episcopus deputetur ut sese diligenter informet, « et si per informationem eandem illa veritate innixa repereris, tunc easdem moniales, si votum solemne non emiserint, ex dicto monasterio expellas et ad domum suorum parentum vel consanguineorum remittas nec ad ipsum monasterium ullo pacto redire patiaris, sed illud omnino, et totaliter claudas et ordinem tertiarium in eo extinguas. Si autem votum solemne eas emississe invenies, illas delinquentes repertas, tam in capite quam in membris, juxta earum demerita et canonicas sanctiones, debitis poenis acriter castiges et punias et ipsas arctam clausuram ... servare mandes et facias ». Eodem modo ac in quaestione tranensi nulla habetur ratio monialium non-solemniter professarum et sine clausura viventium: exstinguendae sunt

---

I, fol. 296) scimus voluntatem Pontificis observatam esse. Moniales enim « significantes se tribus votis solemnibus religionis jam esse obstrictas, nec repugnare, si contra sit, quominus obstringantur, legemque clausurae aequo animo suscepturae » nonnulla privilegia rogaverunt, speciatim « ne monasterii cura ad Amplitudinem tuam (i. e. ad Episcopum) transferatur. His privilegiis concessis, quaestio soluta est.

[22] Fulvius Orsini (Gams, Series Episcoporum, Leipzig, 1931, t. I, p. 729) Nursia, adjuncta ecclesiae Spoletanae usque ad annum 1820, sita est in Umbria.

[23] Secretaria brevium, vol. 16, fol. 160; Wadding, Annales Minorum t. XX, p. 611.

nulloque pacto in communitate vivere sinuntur; ad saeculum redire coguntur.

Tamen : opinamur hanc particularem decisionem non posse adhiberi tamquam normam in bullae « Circa pastoralis » interpretatione, quae, primo, in citatis litteris nullibi commemoratur. Secundo : moniales non-solemniter professae non persuadentur ut vota solemnia accipiant, et, tertio, scandalose vivunt ideoque etiam propter constitutionem « Circa pastoralis » severissime puniri debent. Ex his omnibus satis apparet modum agendi episcopo spoletanensi a Pio V praescriptum, non esse nudam applicationem bullae « Circa pastoralis », sed dispositionem particularem, quae non potest proponi ut regula generalis vel auctoritativa interpretatio verborum in « Circa pastoralis » adhibitorum.

C. De privilegio Hispanis concesso.

Memores adagii, quod exceptio legem confirmat, tertio loco afferemus nonnulla circa privilegium tertiariis Hispaniarum regnorum concessum, quo excusabantur de observanda bulla S. Pii V. Varia documenta ad rem pertinent.

1. Instante Philippo II, rege Hispaniarum, a S. Pio V reformati sunt fratres conventuales [24] in Hispaniis, per redactionem ad eandem vivendi formam eademque instituta quae fratres minores de Observantia sequebantur. Bulla « Maxime cuperemus », 2 dec. 1566 [25]. Fratribus Conventualibus reformatis, providendum erat monialibus quae per istos fratres gubernari antea solebant, quod factum est per litteras « Cum gravissimis », 12 dec.

---

24 Anno 1517 Conventuales definitive ab Observantibus sejuncti erant per bullas Leonis X, « Ite et vos » et « Omnipotens Deus ». (Heimbucher, Die Orden und Kongregationen, Paderborn, 1933, t. I, p. 719).

25 Bullarium Romanum Taurinense, t. VII, p. 494; Wadding, Annales Minorum, t. XX, p. 528.

1566 [26]. Tandem per litteras 16 april. 1567 [27] statuitur reformatio illarum Conventualium, quae ad Observantes ejusdem ordinis transire nequibant, inter quas enumerantur etiam tertiariae S. Francisci, quae fratribus observantibus subduntur et ad normam Observantium in posterum vivere debent. Praeterea valent pro eis statuta constitutionis « Circa pastoralis », quae expresse memorata sunt in litteris « Cum gravissimis », supra relatis.

2. Ad solvenda nonnulla dubia relate ad litteras die 16 april. anni 1567, emanatae sunt novae litterae, die 20 sept. [28]. « Cum circa ea quae a nobis emanarunt aliquid dubii oriri contigerit, ut illud quam primum de medio tollatur nostrae declarationis oraculo providere satagimus. Itaque cum nuper, supplicante charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Rege catholico, per alias nostras in forma brevis litteras [29] inter alia decreverimus quod omnes et singuli fratres et moniales tertii ordinis S. Francisci in Hispaniarum regnis consistentes sub certis modo et forma tunc expressis ad regularem observantiam fratrum regularis observantiae ejusdem S. Francisci redunentur. Cumque sicut idem Philippus Rex nobis nuper exponi fecit a nonnullis versetur in dubium quomodo et qualiter fratres et moniales tertii ordinis praedicti reducendi vivere et quo habitu incedere ac sub quibus superioribus permanere debeant: Nos igitur omnem in praemisso dubitandi materiam submovere volentes ac singularum litterarum praedictarum te-

---

[26] Bullarium Romanum Taurinense, t. VII, p. 496; Wadding, Annales Minorum, t. XX, p. 530; Bullarium Ordinis Praedicatorum, Romae, 1732, t. V, p. 148.

[27] Wadding, Annales Minorum, t. XX, p. 535.

[28] Wadding, Annales Minorum, t. XX, p. 549. In Secretaria brevium nunc invenitur in vol. 6, fol. 271. Notandum est in Wadding non omnia verba relata esse non semper accurate, sed non adsunt mutationes substantiales.

[29] Litterae 16 aprili 1567.

nores ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro sufficienter expressis habentes, dicti Philippi Regis in hac part supplicationibus inclinati, omnes et singulos fratres et moniales tertii ordinis S. Francisci in praefatis regnis consistentes, qui tria vota substantialia emiserunt, debere ad regularem observantiam fratrum et monialium regularis observantiae ejusdem S. Francisci reduci ac eisdem modo ac forma, quibus praedicti fratres et moniales regularis observantiae vivunt, vivere... auctoritate apostolica per praesentes declaramus. Alios vero utriusque sexus dicti tertii ordinis qui tria vota substantialia non emiserunt, eos prout hactenus vixerunt et permanserunt, ita tamen ut sub visitatione, correctione, superioritate et obedientia dictorum Provincialium et Generalis fratrum de observantia hujusmodi degere eisque in omnibus subjecti et suppositi esse debeant, et de cetero vivere et permanere posse. Sicque per quoscumque etc. non obstantibus etc. » [30].

Quid tertiariis conceditur? Illae quae vota substantialia non emiserunt statum vitae mutare non debent, sed possunt vivere sicuti antea, sub iisdem regulis. Submittuntur tamen fratribus Observantiae, quod necessarium erat, quia fratres Conventuales non amplius existebant. Si textum attente legimus, concludere possumus eas non esse obligatas ad vitam observantiae accipiendam; de privilegio relate ad « Circa pastoralis » ne verbum quidem. Opinari tamen licet hoc privilegium revera concessum esse vel saltem: serium dubium moveri potest de vi obligatoria « Circa pastoralis » pro istis Tertiariis; quod sufficit. Dicitur enim eas « vivere posse sicut antea », nil mutare debent. In litteris praecedentibus constitutio « Circa pastoralis » expresse memoratur, ita ut nunc

---

30 Eadem statuuntur pro reformatione Conventualium, etiam tertii ordinis, in Lusitania per litteras « In eminenti », die 30 oct. 1567. (Wadding, Annales Minorum, t. XX, p. 553).

e silentio argumentare licet: mutatio e « Circa pastoralis » introducenda sat gravis et fundamentalis erat; nunc conceditur privilegium quod vita regularis remanere potest sicut antea; si hoc non obstante « Circa pastoralis » observanda esset, privilegium valde diminutum esse videtur. Ad minimum sequitur obligationem ad constitutionem de clausura observandam, dubiam esse ideoque utpote rem valde odiosam, non exsistere.

Haec interpretatio a declarationibus Gregorii XIII postea memorandis, confirmatur.

3. Variae tamen difficultates [31] postea ortae sunt, praesertim propter zelum aliquando nimis ferventem eorum fratrum Observantium, qui totam reformationem exsequi debebant nec semper aliorum libertatem sufficienter observabant. Ad haec melius ordinanda scripsit S. Pontifex novas litteras [32] suo Nuntio in Hispaniarum regnis, qui erat Joan. Bapt. Castagna, archiepiscopus Roscannensis. Praecedentibus dispositionibus memoratis, Papa solemniter declarat se numquam voluisse exstinguere Tertium Ordinem Fratrum S. Francisci sed tantum eos ad observantiam eorum regulae reformare et si eorum excessus puniendi forent, debita animadversione corrigere intendisse. Propterea Observantes nullatenus laedere possunt libertatem illorum Fratrum et Monialium tertii ordinis: si isti observantiam accipere nolunt, tunc nullo modo cogendi sunt, sed eis assignanda sunt duo vel tria vel tot monasteria quot requiruntur, in quibus pacifice vivere possunt. Tamen: isti Fratres vel Moniales tertii ordinis neminem ad habitum suscipiendum vel professionem emittendam admittere possunt omnis-

---

[31] E Wadding (Annales Minorum, t. XX, p. 256, n. 121) scimus sub die 15 jan. 1568 varias epistolas missas esse sororibus tertii ordinis in Hispaniis super constitutione de clausura ab eis servanda. Mittebantur « abbatissae et monialibus monasteriorum S. Marthae et S. Mariae tertii ordinis de poenitentia Zamorae ».

[32] 10 jan. 1568; Secretaria brevium, vol.22, fol. 93.

que professio nulla et invalida, irrita et inanis tenore praesentium declaratur. Ex hac ultima dispositione fere certum est constitutionem « Circa pastoralis » pro tertiariis Hispaniarum regnorum non valuisse. Expresse enim et in specie applicatur (et hoc notate) *tenore praesentium* quod illa constitutio in quarta paragrapho statuit: cur hoc fit, si jam pro illis valeret? Sub regula et observantia quas Deo in vitae religiosae initio promiserunt, istae moniales vivere possunt usque ad mortem. Pius V bene scit perdifficilem esse alius regulae acceptationem praesertim iis qui honeste et religiose vivebant. Propterea privilegium concessum non apparet extraordinarium vel inauditum et aequo modo obtinetur finis, n. p. exstinctio Conventualium [33].

4. S. Pio V adhuc regnante, orta est quaestio inter Episcopum Zamorensem [34] in Hispaniarum regnis et aliquod monasterium monialium tertiariarum seu de poenitentiae dictarum, ejusdem civitatis [35]. E documentis quae inspicere potuimus, apparet difficultatem disputa-

---

[33] Per bullam « Ea est officii », 7 iulii 1568, omnes fratres et moniales tertii ordinis, qui vota substantialia emiserunt, Observantibus subjiciuntur, sed pro Hispaniis jam statuta expresse excipiuntur. (Wadding, Annales Minorum,t. XX, p. 568).

[34] Joannes Emmanuel (Gams, Series episcoporum, Leipzig, 1931, t. I, p. 93). Zamora est civitas in provincia ejusdem nominis, prope Salamanca. Episcopus est suffraganeus Archiepiscopi Vallisoletensis (Valladolid).

[35] « Sorores tertiarias monasterii S. Elisabeth prope urbem Zamorae in provincia S. Jacobi, excitati anno 1500 a Beatrice Vasurbo, quae voto simplici castitatis adstrictae erant, Franciscus a Burgis, provinciae praesul, ad solemnem trium votorum professionem compulit, data eis optione, vel ita agendi, vel proprios lares repetendi. Earum aliquae illic permanserunt, aliae vero parentum domos petierunt. Inhabitatur a duodecim monialibus. Solemnia vota Deo etiam nuncuparunt sorores tertiariae monasterii S. Mariae de Bethelem eiusdem civitatis, ad id coactae ab eodem ministro provinciae, quae per annos viginti simplici castitatis voto ligabantur ». (Wadding, Annales Minorum, t. XXI, p. 349, n. 38).

tam proprie exstitisse in explicatione privilegii tertiariis Hispaniarum concessi. Episcopus eas voluit ad vota solemnia clausuramque acceptandam obligare, contra quem moniales privilegium praedictum invocabant. Res, Romam delata, post mortem S. Pii V, disputata est in congregatione S. Concilii; deinde resoluta per litteras ad episcopum Zamorensem, datas die 2 sept. 1572 [36]. S. Pontifex, scil. Gregorius XIII, imprimis ad se advocat et annulat omnes lites et controversias pendentes super hujusmodi clausura; deinde rem ipsam definiens, distinguit inter tertiarias quae tria vota substantialia solemniter emiserunt, et alias a quibus haec tria vota non sunt emissa; illae omnibus mediis ad perpetuam clausuram servandam cogendae sunt; ab istis servandum est omnino praescriptum bullae « Circa pastoralis » et secundum hujus bullae normam intelligendae sunt etiam litterae S. Pii V, diei 20 sept. 1567 « quibus simpliciter permissum videbatur tertiariis quae dicta tria substantialia vota non emississent ita vivere quemadmodum antea vixerant. Hanc enim permissionem ita intelligendam esse volumus, ut tertiariae hae moniales eatenus illa utuntur quoad erit eidem Bullae consentanea » [37].

Evidenter hisce verbis assertum confirmatur: privilegium die 20 sept. 1567 concessum, in sensum dispensationis a « Circa pastoralis » intelligebatur, quod nunc a S. Pontifice prohibetur: « Ita eam intelligendam esse volumus » aliis verbis: altera interpretatio tenenda imponitur, ita ut agnoscatur altera saltem probalis fuisse.

Res adhuc clarior fit ex iis quae has litteras prae-

---

[36] Tamen adhuc die 3 martii 1573 quaeritur ab episcopo, quibus rationibus adductus velit cogere moniales tertii ordinis civitatis Zamorensis, ut habitum et regulam mutent, cum ipsae clausuram servent. (Liber litterarum, t. II, fol. 2).

[37] Litterae episcopo Zamorensi inveniuntur in Liber litterarum, t. I, fol. 459 verso.

cesserunt nosque nova facta docent [38]. Jam 3 aug. 1572 publicaverat Greg. XIII aliquod decretum, audita relatione Cardinalium Moronis et Alciati nomine totius congregationis Concilii facta, de iisdem tertiariis: ibi etiam litterae 20 sept. 1567 explicandae dicuntur ad normam « Circa pastoralis », quae iterum omnibus tertiariis ubicumque degentibus observanda imponitur. Additur dein observatio maximi valoris: dicitur enim non amplius observanda esse jussio ejusdem S. Pii V secundum quam tertiariis non solemniter professis certus terminus praeficitur ad profitendum, quo elapso, si non sunt professae, ad domos parentum propinquorumve remittuntur. Praxis ergo quam nos jam e duobus exemplis cognoscimus (pg. 6, 7, 8, 9), generalis fuisse videtur, quamquam, prosequitur Gregorius XIII, nulla super hac jussione promulgata est bulla sed aliquae tantum litterae, partim a Congregatione Concilii, partim a nonnullis protectoribus Regularium pro quibusdam particularibus monasteriis earum tertiariarum.

Quid sequitur ex allegato privilegio pro « Circa pastoralis » interpretanda?

*a*) Privilegium, anno 1567 concessum, videtur continere, inter alia, exemptionem ab observanda « Circa pastoralis », saltem usque ad annum 1572, quo anno evpresse declaratur disciplinam « Circa pastoralis » etiam pro istis tertiariis privilegiatis valere (argumenta in n. 2, 3, 4).

*b*) « Circa pastoralis » tertiarias non obligat ad electionem faciendam inter vota solemnia emittenda et regressum ad domos parentum vel propinquorum (argumentum in n. 4). Verum est S. Pium V pluries hoc

---

38 In Collettan. di varii decreti della S. Cong. del Concilio, pars altera, quae inscribitur: ex libro autographo extra inscripto Decreta Cong. Concilii et Colle. - lib. 2. Decretum a nobis memoratum invenitur fol. 39.

praecipisse, testante Gregorio XIII; etiam nos duo exempla attulimus; sed haec jussio piana non continetur in « Circa pastoralis », quod hisce probatum opinamur.

Conclusio totius articuli:

Dispersis elementis collectis, facile est genuinum verborum sensum determinare et inter diversas auctorum opiniones unice veram eligere.

Vi constitutionis « Circa pastoralis » (in par. 3 et 4) tertiariis solemniter professis imponitur stricta clausura.

Tertiariae non-solemniter professae adhortandae sunt ut et ipsae vota solemnia accipiant. Si, hoc consilio non obstante, professionem solemnem emittere recusent, tunc videndum utrum earum vita sit scandalosa necne. In primo casu severissime puniendae sunt; secus in suo monasterio remanere possunt sub hac tamen conditione, ne nova membra accipiant ad professionem emittendam, quae a priori invalidatur [39].

Hoc modo practice tertiariae votorum simplicium post temporis intervallum supprimentur et hoc sensu verum est S. Pium V prohibuisse vel suppressisse istas tertiarias. De poena non-acceptandi nova membra sermo esse non potest: poena enim supponit culpam propter legem vel praeceptum transgressum; nullum tamen praeceptum aderat pro tertiariis non-solemniter professis, quae proinde puniri nequiverant.

Quid de ceteris auctoribus eorumque opinionibus supra (pg. 1, 2) memoratis dicendum sit, facile lectoribus patebit.

---

[39] Optime J. Creusen, Dictionnaire de Droit canon. (Naz) fasc. 19, col. 185.

## Art. II : De personis obligatis.

In priori capite hujus sectionis fuse de tertiariis, i. e. de personis obligatis locuti sumus, sed sub respectu praesertim historico, quo non complete respondebatur quaestioni ad quasnam personas « Circa pastoralis » directa sit; quaesita juridica nunc solvere intendimus.

### Par. 1. - *De Tertiariis sine tribus votis.*

In tertia constitutionis paragrapho, ut diximus, tertiariae distinguuntur prout vota solemnia nuncupaverunt necne, sed perspicuum est alteram speciem i. e. non-solemniter professarum, per se adhuc posse subdistingui, prout nempe emiserunt vota, quae tunc sunt simplicia, aut vixerunt, sine ullo voto saltem publico. Inde statim quaestio: tertiariaene sine votis teneantur ad « Circa pastoralis » observandam?
Auctores, in quantum scimus, hanc quaestionem non attingunt, sed implicite sententiam suam aperire videntur. Scripsit Ferraris [40]: « Unde (i. e. a Bonifacio VIII, Concilio Tridentino, Pio V) ad clausuram tenentur nunc moniales omnes professae cujuscumque regulae, ordinis et nominis, etiam tertiariae in congregatione viventes et tria vota essentialia emittentes ». Praeter conditionem « ut in congregatione vivant » (de qua statim) videtur exigere votorum nuncupationem, quod posset confirmari e quarta paragrapho constitutionis, ubi « ceterae » i. e. vota solemnia recusantes, inhabiles declarentur ut nova membra ad *professionem* admittant, quae irritatur et annulatur.

---

40 Bibliotheca canonica, Romae, 1768, t. V, verbum « moniales », art. 3, n. 3.

Concedimus, post longam supra descriptam historicam evolutionem, tempore S. Pii V *non* multas, ne nullas dicamus, adfuisse tertiarias *sine ullo voto* (pro quibus quaestio ergo non est practica) sed non admittimus nullas amplius adfuisse ex. gr. cum unico castitatis voto: quoad has tertiarias, non a tribus votis professas, quaeritur quo jure ab observanda constitutione « Circa pastoralis » excipiantur? Verba enim constitutionis « quod si votum solemne non emiserint? » sunt generalia quae per se omnes personas sine votis solemnibus includunt. Nobis non licet legem restringere ad solas tertiarias *trium* votorum simplicium. Praeterea: si constitutio ad eas restringeretur, quam multae tunc essent immunes et liberae, ita ut intentum Pontificis nimis frustraretur.

Confirmatur nostra sententia ex *affirmativo* responso S. Congregationis S. Concilii sequenti dubio: « Cum in civitate toletana esset quaedam domus mulierum de paupere vita nuncupatarum, quae castitatis votum simplex emittunt, non autem votum clausurae et monachalis obedientiae, et propter paupertatem per civitatem eleemosynas ostiatim quaeritare coguntur, dubitatum fuerit an comprehenduntur constitutione Pii V de clausura monialium anno 1566, 4 cal. junii »[41]. Verum est, responsum particulare non esse authenticam legis generalis interpretationem, quia Congregationi licet extendere vim legis, obligando personas quae per se non essent obligatae, sed tenor dubii huic interpretationi non favet eamque potius contradicit. Nec licet adhibere principium strictae interpretationis, secundum quam odiosa sunt restrigenda, quae interpretatio in casu esset contra verba legis.

Concludimus nuncupationem votorum, saltem trium votorum simul sumptorum, non esse necessariam condi-

---

[41] Declarationes S. Concilii Tridentini ab anno 1576, fol. 653.

tionem ut tertiariae cadant sub praescriptionibus constitutionis [42].

Par. 2. - *De tertiariis non in congregatione viventibus.*

Jam supra attingimus quaestionem utrum tertiariae non-saeculares sed non in communitate viventes, cadant sub disciplina « Circa pastoralis » necne? Unanimiter et documenta et auctores *negative* respondent, textu constitutionis nullum serium dubium relinquente. « Mulieres ... quae tertiariae ... dicuntur, cuiuscumque fuerint ordinis in congregatione viventes ». Necessaria proinde conditio est vita « in communi » seu, quod idem est, « collegialiter ». Haec aequiparatio invenitur ex. gr. in decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, 20 dec. 1616 sub par. 7 [43].

Ex hoc sequitur tertiarias, quae « separatim, seorsim aut singillatim vivant » [44], quae « suis privatis aedibus immorentur nec ullam cum caeteris habeant societatem » [45], quae « in consanguineorum aut propriis domibus habitent » [46], quae « privatim in propriis aedibus morentur sejunctim viventes » [47] non esse obligatas ad observanda statuta a constitutione « Circa pastoralis » promulgata, quae « cum sint odiosa non debent ampliari sed restringi » [48].

---

[42] Cfr. Larraona, Commentarium pro Religiosis, 1 (1920), p. 47: « vel absque votis ».

[43] Ferraris, Bibliotheca canonica, Romae, 1768, t. VII, verbum « tertiarii », n. 3.

[44] Lezana, Summa quaestionum regularium, Duaci, 1646, t. II, cap. 14, n. 31.

[45] Benedictus XIV, Institutiones ecclesiasticae, inst. 105, n. 61. (Opera omnia, Prati, 1844, t. X, p. 464, b.).

[46] ibidem e Fagnano.

[47] Bouix, Tractatus de jure regularium, Parisiis, 1882, t. I, p. 316.

[48] Pellizarius, Manuale regularium, Lugduni, 1653, t. II, tract.

### Par. 3. - *De tertiariis diversi nominis.*

Nonnullae sorores se excusabant ab observanda constitutione invocantes *nomen*, quo personae obstrictae indicatae sunt: « mulieres quae tertiariae seu de poenitentia dicuntur ». Ergo, dicebant, nos quae « beatae, vel mantellatae vel corrigiatae vel pinzocherae » vocamur, sub hoc vocabulo non comprehendimur ideoque hac lege non tenemur. Declarat tamen S. Pontifex hanc strictam interpretationem non sustineri hasque sorores sub nominis praetexu, minime obligationem effugere [49]: si vivunt

---

10, cap. 5, sect. 1, n. 13. Ex hac unanimi auctorum doctrina sequitur praeterea nuncupationem votorum non esse rationem formalem propter quam S. Pius V suam constitutionem edidit. Plures tertiariae privatim, ex. gr. in eremitorio viventes, vota emittebant, non solemnia, quia non in religione approbata, sed simplicia, non tamen mere privata, quia a legitima auctoritate admissa. In citato decreto S. Congr. Episcoporum et Regularium (cfr. notam 43) tertiariis in congregatione viventibus opponuntur tertiariae quae in privatis domibus degunt, et « expresso voto, virginalem seu coelibem vitam traducunt ». Immo hoc votum, quod simplex est (Leo X in constitutione « Nuper in sacro », 1 martii 1518) (Wadding, Annales Minorum, t. XVI, p. 576), quo alia duo scil. paupertatis et obedientiae non includuntur, requiritur ut praedictae mulieres variis gaudeant privilegiis: proinde non agitur de voto mere privato. Adsunt etiam exempla mulierum « reclusarum » proinde sejunctim viventium, quae tria emittebant vota (Analecta Gijsberti Coeverincx, Is Hertogenbosch, 1905-07 pars II, p. 76) in manu episcopi vel ejus delegati: vota ergo sunt certo sensu publica, quamvis simplicia. Atqui: omnes istae mulieres, votis simplicibus non obstantibus, non cadunt sub « Circa pastoralis », praecise quia non vivunt in congregatione. Ergo: nudum factum votorum simplicium non potest esse ratio statutorum constitutionis, quae secus omnes simpliciter professas obligaret.

[49] Secretaria brevium, vol. 19, fol. 434 verso; litterae episcopo carthaginensi, 29 nov. 1571. Episcopus est Arias Gonzalez Gallego (Gams, Series episcoporum, t. I, p. 24) Cartagena est civitas hispanica in provincia Murcia.

sub regula alicuius tertii ordinis (sive S. Francisci sive S. Dominici sive aliorum) de facto sunt tertiariae (etsi forsan hoc nomine non designantur) et qua tales pertinent ad speciem personarum, de quibus in tertia paragrapho agitur. Jure meritoque S. Pontifex de *praetexu* loquitur: clarum est constitutionem non esse editam contra nonnullas personas nominatim indicatas, sed esse legem generalem contra omnes eandem vitam « tertiariam » ducentes, singulis diversis nominibus non consideratis. Propterea expresse dicitur: « Mulieres tertiariae *cujuscumque* fuerint ordinis » [50] sicut in prima paragrapho dicebatur: « etiam si conversae aut quocumque alio nomine appellentur ». Hac de re nullum dubium exsistere potest.

Par. 4. - *De congregationibus mulierum non-tertiariarum.*

Diximus constitutionem « Circa pastoralis » esse legem generalem omnes tertiarias obligantem, sed ulterior remanet quaestio sitne lex generalis eo sensu ut obliget omnes mulieres in congregatione viventes, quamquam non sunt membra alicuius tertii ordinis? Quaestio alicuius momenti est, quia hoc modo apparebit omnesne congregationes mulierum simplicia vota emittentium S. Pius V revera suppresserit seu, ut accuratius loquamur, eas eidem disciplinae submiserit quam tertiariis in congregatione viventibus imposuerit? Communiter auctores hoc affirmant: facile esset auctoribus in priori articulo hujus capitis enumeratis alios addere. Non multi tamen inveniuntur qui explicite agunt de quaestione quae certe est inter principaliores a nostra inquisitione solvendas.

Singula proinde argumenta, quae pro sententia affirmativa (quae est: constitutio « Circa pastoralis » obligat

50 Haec verba indicant non tantum tertiarias praecipuorum ordinum i. e. S. Francisci et S. Dominici subjectas esse sub hanc paragraphum, sed etiam omnes ad alios ordines pertinentes.

*omnes* mulierum congregationes, non tantum tertiarias) afferri possunt [51], perpendere volumus.

A. Primum argumentum: e textu constitutionis.

A pluribus primum argumentum sumitur *ex ipso textu* constitutionis [52]. Cum Bouix tamen, contra plures hoc implicite saltem dicentes, omnino tamen tenendum est « dictam consttiutionem de tertiariis dumtaxat loqui, nec ullam mentionem facere de aliis mulierum congregationibus ».

Hoc saltem ab omnibus concedendum est: « Circa pastoralis » *expresse* non loquitur nisi in prima et secunda paragrapho de solemniter professis et in tertia et quarta de tertiariis. Contra hoc assertum objici nequeunt verba initialia paragraphi quartae, quibus, primo saltem aspectu, distinctio ponitur inter personas de quibus in quarta et tertia paragrapho agitur. Jam supra explicavimus (pg. 5, 6) cur haec interpretatio a nobis non admittatur. In quarta paragrapho non est sermo de novo personarum genere, ab omnibus hucusque in constitutione enumeratis distinctarum; in ea tertio coetui tertiariarum praecepta imponuntur iis nempe quae vota solemnia non admittunt nec scandalose vivunt [53].

Perspecta proinde est conclusio: *e solo textu* non sequitur constitutionem « Circa pastoralis » esse legem generalem, omnes congregationes mulierum votorum simplicium et sine clausura viventium prohibentem.

---

[51] Bouix, Tractatus de jure regularium, Parisiis, 1882, t. I, p. 219.

[52] de Brabandere, Juris can. compendium, Brugis, 1882, t. I, p. 418.

[53] Improbamus ergo assertum S. Goyeneche, qui argumentat e verbis initialibus paragraphi quartae: « Celebris constitutio « Circa pastoralis », in qua S. Pius V praecipit, ut omnes cuiuscumque generis societates mulierum emittant professionem solemnem et ad clausuram teneantur: « ceteris autem omnibus ». (Acta congressus juridici internationalis, Romae 1934, t. IX, p. 307).

B. Probatur constitutionem esse extendendam ad non-tertiarias.

Nonnulli admittentes textum constitutionis non loqui de non-tertiariis, affirmant « Circa pastoralis » ad eas esse *extendendam* [54] eamque extensionem esse « ad mentem S. Pii V » [55]. Quae extensio hoc modo probatur:

I. Primo loco explicari debet, cur S. Pius V mulieres non-tertiarias in sua constitutione non expresse enumeraverit. Hoc modo auctores intendunt primam statim orituram objectionem contra suam sententiam repellere: si nempe S. Pius V revera voluerit omnes mulierum congregationes sine votis solemnibus annexaque clausura supprimere, cur de solis tertiariis loquitur; si omnes voluerit attingere, cur non omnes enumerat?

« Nil mirum, cum nullae aliae tunc temporis praeter tertiarias existerent hujusce formae feminarum congregationes. Etenim valde recentiori aevo inducta videntur haec monialium instituta ». Hoc scripsit Bouix, qui alio loco affirmat: « Nominat solummodo tertiarias, quae solae tunc dicto modo vivebant » [56]. Simplex certe difficultatis solutio ... [57] Sed: estne verum hoc responsum? Funditus exploranda esset historia saeculi decimi sexti sub hoc respectu; quod non fecimus, quo non obstante audemus nonnulla aimadvertere, e quibus patebit saeculo decimo sexto, praeter tertiarias, exstitisse instituta mulierum sine votis solemnibus.

*a*) Tempore S. Pii V vivebant Beginae. Variae

---

54 Bouix, Tractatus de jure regularium, t. I, p. 219; Stanton, de Societatibus sine votis, Halifaxae, 1936, p. 13, nota 2.

55 Icard, Praelectiones juris canonici, Parisiis, 1867, p. 192.

56 Bouix, Tractatus de jure regularium, t. I, p. 219.

57 Hoc modo declaratur etiam quo sensu verba « ad mentem S. Pii V » intelligi deberent. Non ipse Pontifex omnes hujusmodi congregationes tertiariis aequiparavit, sed alii postea (quando hoc factum sit, ulterius non indicatur) ejus constitutione usi sunt ut eas illicitas vel suppressas declararent.

hujusmodi mulierum adfuerunt species, chronologice sibi succedentes [58]. Omnibus communis erat deficientia votorum religionis: vovebant castitatem et obedientiam pro tempore commorationis in beginagio, et, sine paupertatis voto, vitam humilem, simplicem et modestam ducebant [59]. Verum est pluries communitates beginarum accepisse regulam tertii ordinis sive S. Francisci sive S. Dominici, praesertim post pontificiam condemnationem beginarum; aliae in saeculo decimo quinto acceperunt regulam S. Augustini, sed aliae remanserunt in primitivo suo statu. Nec credendum est beginas praesertim « clausas » in fine saeculi decimi sexti jam exstinctas fuisse, quia, e contra, in saeculis XVI et XVII maxime florebant [60]. Ergo, ni fallimur, habemus exemplum mulierum, quae, tempore S. Pii V vivebant eodem modo ac tertiariae, quae in constitutione expresse nominantur [61].

---

[58] Beginae singulariter in saeculo manentes sed indisciplinatae, h. e. sine ulla communione cum aliis beginis, sed privatim sub solo ductu confessarii vel directoris conscientiae; beginae singulariter in saeculo manentes sed disciplinatae h. e. efformantes certam confraternitatem, etsi in propriis domibus habitantes; beginae clausae h. e. cohabitantes in parvis Communitatibus et, ultimo, beginae clausae in beginagiis, i. e. variae beginarum domus congregabantur, ita ut unum vicum efformarent, novam paroeciam cum propria ecclesia et rectore constituentes. (Philippen, Ons geestelijk Erf, 3 (1929), 170; argumenta apud eundem auctorem in libro: De Begijnhoven, Antwerpen, 1918.

[59] van Mierlo, Dictionnaire d'histoire et de géographie eccl., t. VIII, col. 470.

[60] Philippen, Ons geestelijk erf, 3 (1929), 173.

[61] Objici nequit beginas non vivere collegialiter seu in congregatione sicut tertiariae et propter hanc rationem eas non cadere sub disciplinae « Circa pastoralis »: in beginagiis vita certe non erat perfecte collegialis, quia plures beginae habebant proprios domos in territorio, exclusive beginis reservato, quod tamen non semper contingebat nec in omnibus civitatibus exsistebant beginagia, ita ut beginae in istis civitatibus in parvis communitatibus cohabitarent: earum vita sine dubio collegialis est dicenda.

*b*) Tempore S. Pii V vivebant « sorores vitae communis » fundatae a Gerardo Groote. Differebant a beginis, quia bona plerumque in communi possidebantur, ita ut earum vita communis strictior esset; differebant a proprie dictis religiosis quia non emittebant vota nec determinatam regulam observabant. Verum est, istas mulieres saepe ad aliquem tertium ordinem transiisse, sed circa annum 1460 adhuc triginta ejusmodi domus sororum nontertiariarum (praesertim in dioecesi trajectensi) exsistebant, quarum plures tempore reformationis disparuerunt, non tamen omnes, ita ut saltem in fine saeculi XVI aliqué earum adhuc exsisterent [62].

*c*) In saeculo XVI inveniuntur aliae mulieres, a supradictis distinctae et « devotariae » vel « spirituales » dictae. Distinctio beginas inter et devotarias hoc modo a van Espen [63] describitur: « Nullam professionem castitatis, etiam ad tempus, saltem publice ac vi sui instituti, emittentes, neque a saecularium contubernio et vivendi communi vulgarium instituto aeque ac Beginae se separantes; neque in congregationen sub obedientia Superiorum se redigentes, sed quae vi sui instituti possunt etiam inter saeculares aut privatim, ut maluerint, vitam vulgarem in coelibatu sine ullo voto agere idque in veste a veste religiosa plane disparata et a vulgari honestarum matronarum parum diversa, ubi e contrario vestis beguinarum ad vestem religiosam proxime accedit ». Ex hac descriptione jam sequitur devotarias plerumque in domibus privatis separatimque vixisse; adfuerunt tamen devotariae in « congregatione » plerumque parva cohabitantes [64]. Inter eas multae sed non omnes ad aliquem ter-

---

62 Post, De moderne devotie. Geert Groote en zijn stichtingen, Amsterdam, 1940,p. 130/131.

63 van Espen, Jus eccl. universum, Bruxellis et Lugduni, 1778, t. I, p. 360.

64 cfr. monographiam hac de re, scriptam ab Eugenia Theissing: Over klopjes en kwezels, Utrecht, 1935.

tium ordinem pertinebant ideoque erant « tertiariae », quamquam dubitari licet annon devotariae sub directione patrum Societatis Jesu et sub « regula » S. Ignatii viventes, « tertiariae » dici queant.

*d*) Commemoranda sunt etiam collegia canonissarum, quae saeculares vocabantur, utpote sine votis viventes ideoque libere ad statum matrimonialem transgredientes, nec communem vitam scil. quoad victum et sustentationem admittentes. Efformabant tamen « collegia ». E statutis concilii coloniensis, anno 1536 celebrati, refert van Espen [65] statutum quod dicit: « Vitam, conversationem ac mores Canonissarum quae saeculares appellantur, reformari omnino ducimus necessarium ». Tempore autem auctoris citati, adhuc exsistebant. Etiam in dubiis S. Congregatoni S. Concilii praepositis (de quibus supra) nominatim indicantur, quod est firmissimum argumentum ad earum exsistentiam tempore S. Pii V probandam.

Si accurate historia saeculi XVI sub hoc respectu perscrutaretur, probabiliter exempla multiplicari possent; quae attulimus sufficiunt, ut assertum clar. Bouix nimis generale esse probent. Praeter tertiarias adfuerunt ergo, tempore S. Pii V, mulieres « dicto modo » i. e. collegialiter et sine votis solemnibus, viventes [66].

II. Constitutio « Circa pastoralis » extendendam esse ad quaslibet mulierum congregationes absque clausura et votis solemnibus degentium, secundo loco probatur a legis fine. « Vult n. p. sanctus Pontifex de medio tollere tertiarias ob eam solam rationem quod absque clausura et votorum solemnitate collegialiter vivunt. Ergo formam

---

[65] van Espen, Jus eccl. universum, t. I, p. 357.

[66] Concedendum est ex allatis exemplis apparere mulieres non-tertiarias non fuisse numerosas. Affirmare quis potuisset S. Pium V istas mulieres non-tertiarias neglexisse utpote partem minimam et practice non-existentem; legem ferens contra tertiarias, moraliter omnes attigit; in hoc sensu constitutio « Circa pastoralis » lex « generalis » dici posset.

hanc vivendi sublatam vult omnino et ubicumque fuerit »[67].

Quaestio de fine legis hoc loco funditus tractari nequit, sed jam a priori observari debet constitutionem « Circa pastoralis » *stricte* esse interpretandam, quia in valde odiosis versamur. Dato non concesso nostram constitutionem latam esse ad immediate et directe tollenda omnia vota simplicia, verba potius quam finem legis sunt attentenda. Atqui: textus, ut supra explicavimus, non loquitur nisi de solis mulieribus tertiariis, quod ceteroquin ultro concedunt auctores, qui de legis « extensione » sermonem faciunt. Nec objici potest S. Pium V mulieres non-tertiarias per casum esse oblitum. In dubio enim S. Congregatione S. Concilii proposito, sermo est non tantum de monialibus tertii ordinis, sed etiam de « canonicis saecularibus aut alio nomine » ita ut admitti nequeat S. Pium V eas ignorasse. Dicendum esse videtur S. Pium V non necessarium duxisse eas disciplinae constitutionis « Circa pastoralis » subjicere, quia hujusmodi mulieres non-tertiariae non erant numerosae et tamquam pars minima sine notabili pro bono communi damno negligendae. Postea, aucto earum numero, non auctores tantum sed ipsa S. Sedes (infra pg. 30) eas prohibitas dixerunt vi legis pianae extentae.

II. Tertium argumentum: Affirmantes S. Pium V prohibuisse *omnes* mulierum congregationes sine clausura et votis solemnibus, perplures auctores invocant constitutionem « Lubricum vitae genus », 17 nov. 1568[68]. Duplici modo argumentum proponitur:

— sunt qui dicant S. Pium V per « Lubricum » prohibuisse *omnes* congregationes votorum simplicium[69].

---

67 Bouix, Tractatus de jure regularium, t. I, p. 220.

68 Bullarium Romanum Taurinense, t. VII, p. 725/726.

69 de Angelis, Praelectiones juris can., Romae, 1879, t. II, p. 2, p. 84. Gerlach (Franciscaansch Leven, 23 (1940), 19) qui hoc legit apud Steiger (Periodica, 13 (1925), p. (172) nota 2) — Ad

Pro hisce auctoribus argumentum e constitutione « Lubricum » est argumentum per se stans, clare manifestans mentem S. Pii V.

— sunt etiam qui constitutionem « Lubricum » assumant tamquam argumentum ex analogia : quod fecit « Lubricum » pro viris, pro mulieribus per « Circa pastoralis » obtentum est; altera per alteram explicare potest, quia de eadem materia tractant. Atqui : constitutio « Lubricum » est lex generalis pro viris; ergo pro mulieribus, quibus magis providendum erat, legem generalem in constitutione « Circa pastoralis » contineri, probabilissimum est.

Duplex proinde oritur quaestio : utrum n. p. constitutio « Lubricum » sit lex generalis pro viris tantum an pro omnibus congregationibus votorum simplicium sive virorum sive mulierum; et secundo : si pro viris tantum, sitne lex pro omnibus virorum congregationibus et hoc sensu lex generalis. Ut hisce quaestionibus respondere possimus, praemittimus textum constitutionis. Haec sunt essentialia :

« Par. 1. Statuimus ut omnes et singuli Priores, « Praepositi et alii Praesidentes Generales, Provinciales « et Conventuales, necnon Canonici et Fratres S. Georgii « in Alga Venetiarum ac Eremitarum S. Hieronymi, « alias b. Petri Pisarum et omnium ac quarumcumque « aliarum Congregationum necnon Ecclesiarum, domo- « rum, conventuum, in communi et sub obedientia volun- « taria et extra votum solemne religionis viventes, quo-

---

hanc classem pertinent etiam auctores, affirmantes « Lubricum » publicatam esse contra hujusmodi congregationes *mulierum*. Ita Bastien. (Directoire canonique, Maredsous, 1923, p. 4) Larraona, loquens de legislatione a S. Pio V et deinceps, quae adversa fuit congregationibus sine votis solemnibus, in nota nos remittit ad constitutiones « Cura pastoralis » et « Lubricum vitae genus » et postea in textu addit: « Haec quoad *mulieres* »; Commentarium pro Religiosis, 1 (1920), p. 47 nota 6 et p. 48.

« rum habitus a saecularibus presbyteris est distinctus, « qui religionem amplecti et professionem regularem so- « lemnem emittere voluerint, id in suis quisque conven- « tibus et domibus ... palam et sponte deliberent et de- « clarent ...

« Par. 2. Qui vero, excurso jam anni spatio, in ipsa « Congregatione morati, refugerint intra praedictum tem- « pus profiteri, detracto religionis habitu, ejiciantur nec « deinceps patiuntur in ullis ejusdem congregationis do- « mibus seu conventibus amplius conversari ».

*a*) De prima quaestione: Estne « Lubricum » lex pro viris tantum?

E textu facile respondetur ad primam quaestionem: « Bene advertit Portellus hanc Pii V constitutionem *solum* de congregationibus *virorum*, non de congregationibus foeminarum loqui » [70]. Quomodo auctores asserere possint hanc constitutionem valere pro omnibus sive viris sive mulieribus, intelligere non valemus, quia clare et aperte contra textum interpretatur. Nec juvat invocare regulam juris secundum quam « masculinum genus etiam foemininum includit, ubi una eademque causa pro foeminis aeque ac pro masculis militat ». Hujus regulae usui obstat et exemplum personarum obligatarum expresse indicatarum (fratres S. Georgii ...) et requisita conditio, quae pro mulieribus esset ridicula: quarumnam mulierum habitus a saecularium presbyterorum habitu non est distinctus?

Pro certo habemus constitutionem « Lubricum » pro solis virorum congregationibus valere.

*b*) Altera quaestio: estne « Lubricum » lex pro omnibus viris?

Quod ad alteram quaestionem attinet, satis communis opinio docet, « Lubricum » esse legem generalem pro omnibus virorum congregationibus, in quibus non emit-

---

70 Lezana, Summa quaestionum regularium, t. II, cap. 14, n. 6.

tebantur vota solemnia. Contradicit autem Larraona: « Ex pluribus confirmari posset opinio quae negat exstitisse legem generalem adversum congregationes virorum » [71]. Secundum auctorem citatum cui assentit Goyeneche [72] e textu constitutionis clare non apparet in illa eos comprehendi, qui regulam a S. Sede approbatam sequebantur ut tertiarii vel qui habitum regularem non habebant. Nobis tamen videtur habere regulam approbatam pro S. Pio V coincidere cum votis solemnibus. Hoc sequitur e textu constitutionis « Lubricum » in altero membro primae paragraphi: « electa una ex regulis approbatis, professionem solemnem emittant ». Nulla enim excogitari potest ratio impositae regulae approbatae, si non esset inseparabiliter (e jure quidem positivi illius temporis) cum votis solemnibus conjuncta. De cetero: regula pro tertiariis a Leone X approbata praescribebat vota solemnia, sed quia non erat regula exclusive obligatoria, forte aderant tertiarii secundum regulam Nicolai IV viventes. Certum est S. Pium V in constitutione « Lubricum » cum verbis « electa una ex regulis approbatis » non indicasse hanc antiquatam regulam, nullatenus vitae religiosae in communi accomodatam.

Ut ergo virorum congregationes veniant sub praescripto constitutionis « Lubricum », praeter deficientiam professionis solemnis seu regulae a S. Sede ut religiosae approbatae, nil requiritur nisi habitus a saecularibus presbyteris distinctus: qui hoc negant aperte et contra textum loquuntur et finem constitutionis excedunt, qui est: praecavere scandala provenientia ex eo quod hujusmodi congregationum membra pro lubitu institutum

---

[71] Commentarium pro Religiosis, 1 (1920), 48, nota 10, cui Favet Stanton, de Societatibus sine votis, p. 16. Cfr. etiam J. Creusen, Revue des Communautés religieuses, 16 (1940), 58.

[72] Omnes tertiarii eo ipso a constitutione sunt exempti, quia « approbatam regulam » profitentes. (Goyeneche, Acta congressus juridici internationalis, Romae, 1934, t. IV, p. 308.

suum, utpote nullo perpetuo ligamine constricti, derelinquebant. « Hinc graves et periculosae offensiones quo-« tidie in populo concitantur, dum quos disciplinae re-« gulari perpetuo mancipatos credunt, rursos eos, etiam « ubi consueverint, contempto post tot annos et relicto, « indignis saepe modis, ejus cui sese dederant vitae insti-« tuto, liberos vident et in saeculo evagari » (ex introductione constitutionis). Haec scandala non oriebantur e regressu in saeculum illarum personarum quarum habitus non distinguebantur a veste clerus saecularis : mutatio externe non apparebat, saltem non pro sacerdotibus qui, eodem modo ac antea vestiti, eadem officia sacerdotalia exercebant. In casu autem viri non-sacerdotis ad saeculum regredientis, vestium indentitas, si in aliquo raro casu adesset, oritura scandala non impediebat, quia ille homo ad statum perfecte laicalem reducebatur, etiam quoad vestes, ita ut statim mutatio externe appareret.

Textu et contextu consideratis, constitutio « Lubricum » valet pro omnibus virorum congregationibus, in quibus membra nullo stabili et perpetuo vinculo ligabantur, ita ut facile et quasi pro lubitu egredi possent; pro sacerdotibus hac sub intellecta conditione, ut eorum habitus a saecularibus presbyteris esset distinctus.

Quid de proposita quaestione « estne "Lubricum" lex pro omnibus viris » sit sentiendum, ad sequentia nobis videntur reducenda :

1) Constitutio *non restringitur* ad solos canonicos S. Georgii in Alga [73]. Hoc certum est. Fundati sunt anno 1400 Venetiae [74] et eorum regulam admiserunt canonici regulares S. Joannis Evangelistae in Lusitania. Emittebant vota quae obligabant sub conditione « quamdiu ibi

---

[73] Hoc merito affirmat Larraona contra Vicente, auctorem a se citatum. Commentarium pro religiosis, 1 (1920), p. 48 nota 10.

[74] Helijot, Histoire des ordres monastiques, religieux et militaires, Paris, 1714, t. II, p. 363.

perseverare libuerit »[75]. Canonici S. Joannis Evangelistae praescriptionibus in « Lubricum » contentis, non se submiserunt.

2) *Non restringitur ad solam Italiam*[76]. E congregationibus enim expresse indicatis non licet concludere constitutionem ad Italiam esse restringendam. Contradicit non solum textus sed possumus indicare probabiles rationes propter quas duae congregationes expresse et nominatim indicantur.

Statuta enim congregationis canonicarum ecclesiae S. Georgii in Alga Venetiarum, castellanensis dioecesis, approbata a Gregorio XII, 27 jun. 1407[77] non includebant obligationem ad permanendum, sed supponebant potius libertatem relinquendi institutum. S. Pius V praecise nimis facilem exeundi libertatem vehementer oppugnabat et hac de causa promulgavit constitutionem « Lubricum ». Nil mirum in ea nominari personas, quae vitam reprobandam in perfectissima forma gererent, eo magis quia variae aliae congregationes illa statuta admiserant.

Altera est congregatio Eremitarum S. Hieronymi, fundata a beato Petro Gambacorti e civitate pisana, cui congregationi plures aliae minores eremitarum congre-

---

[75] Suarez, de religione, pars sec., tract. 9. lib. 1, cap. 9, n. 4; Opera omnia (Vivès) t. XVI, p. 481, n. 4.

[76] « Cum in constitutione nominatim indicantur fratres S. Georgii in Alga et Eremitae S. Hieronymi alias b. Petri Pisarum, probabile est documentum praesertim valere pro Italia ». Sic Post (de Moderne devoties, Amsterdam, 1940, p. 108) in quaestione cur fratres vitae communis tempore reformationis sint exstincti. Concedit tamen « Lubricum » contra istos fratres potuisse adhiberi, quamquam non retinebant bona propria et extra Italiam vivebant. Lambermond (Studien, 135 (1941, 1), 191) aperte loquitur de usu et ergo « abusu » constitutionis contra praedictos fratres. Cum tamen fratres vitae communis ad normam suorum statutorum libere in saeculum regredi potuissent (Post, l. c., p. 62), opinamur constitutionem « Lubricum » pro eis valere. (cfr. Analecta Gijsberti Coeverincx, pars II, p. 88).

[77] Bullarium Romanum Taurinense, t. IV, p. 645: 651.

gationes se adjunxerunt. In bullario hujus ordinis [78] invenimus mandatum cardinalis protectoris, per quod omnibus in pisana congregatione permanere volentibus solemnis indicitur professio, « cum Ss. Pius Papa V vivae vocis oraculo nuper facto nobis commiserit et mandaverit ut omnes et singulos dictae congregationis Fratres ad regularem observantiam (i. e. ad solemnem professionem ut postea dicatur) reducere et reformare deberemus ». Datum est Romae, die 25 mensis martii 1568, i. e. fere octo menses ante « Lubricum ». Postridie idem cardinalis protector scripsit exhortationem ad fratres in capitulo congregatos ut dictam emitterent professionem. Adnotabat Gobati: « Habitum fuit hoc capitulum Venetiis in coenobio S. Sebastiani ubi tam supradictum mandatum quam praesentes litterae lectae fuerunt. Aegre audierunt Priores omnes, adeo ut totius provinciae nomine supplicem Generali et Provinciali rectoribus porrexerint libellum, in quo pro re tanti momenti dilatationem petentes, orabant, ut pro ejusdem Provinciae bono novos mores inducere non sinerent. At insequenti anno *novis* Pontificis mandatis humiliter acquieverunt ». Pro certo habemus novum Pontificis mandatum fuisse constitutionem « Lubricum »: in bullario ordinis nullum aliud documentum adest et jam mense martii 1569 a Cardinali protectore subdelegatur Rector generalis ad aliorum fratrum professionem accipiendam: jam tunc, insequente anno, obediverunt. Ergo: in « Lubricum » eremitae S. Hieronymi expresse nominantur ut eorum supplex libellus contra primum mandatum repellatur; recurso dato, nunc negativum publicatur responsum.

3) *Non* est *identica* cum lege contra mulieres i. e. constitutione « Circa pastoralis », non solum quia ibidem expresse tantum tertiariae indicantur, sed etiam quia finis legis differt. « Circa pastoralis » lata est ad ur-

[78] Cura et studio J. Gobati, Patavii, 1775, t. I, p. 330 sq.

gendum decretum tridentinum de clausura: praescribit proinde strictam clausuram quacum fere connaturaliter connexa sunt vota solemnia. « Lubricum » lata est ad praecavenda scandala provenientia e facili regressu ad saeculum; praescribit proinde stabilem connexionem cum semel electo instituto, quae optima habetur in votis solemnibus emissis. In constitutione « Lubricum » vota solemnia *directe* praescribuntur tamquam media efficacissima ad optatum finem i. e. ad stabilem nexum inter religionem et professum obtinendum. Constitutio « Circa pastoralis » respicit clasuram quacum, potius *consecutive,* vota solemnia connectuntur. Propterea in constitutione « Circa pastoralis » duo inveniuntur praescripta relate nempe ad clausuram et ad vota; in constitutione « Lubricum » unum tantum habetur quoad vota.

4) Considerato textu « Lubricum » esse *legem generalem* in sensu supra explicato [79] non potest negari: contraria argumenta sunt e praxi desumpta et probant legem non esse observatam et non probant legem non exstitisse. Optimo etiam jure mox S. Pontifices putaverunt legem non esse urgendam, ut non necessariam ad finem obtinendum. Scandalis e diebus S. Pii V remotis, in futuris virorum congregationibus semper sufficienter ad stabilitatem in instituto attendebatur, quamquam non per modum professionis solemnis. Nulla aderat ratio legis invocandae, quia scandala alio modo procrastinabantur: lex plus minusve inutilis fiebat; erat praeterea valde odiosa vehementerque oppugnata, ut suspicari liceat, a religiosis viris, nonnumquam magno influxu apud Curiam Romanam gaudentibus, ita ut lex paulatim in de-

---

[79] cfr. p. 24; interpretatio a nobis ibidem defensa differt ab opinione sic dicta communi, secundum quam lex pro omnibus virorum congregationibus valeret, sed etiam ab opinione cl. Larraona, qui eximere vult omnes tertiarios, quia regulam approbatam quamvis forte sine votis solemnibus sequuntur.

suetudinem prolaberetur et, approbantibus SS. Pontificibus, practice abrogaretur [80]. Conclusio:

Dijudicari nunc potest argumentum auctorum, qui, e constitutione « Lubricum » variis modis ad legem generalem contra mulierum congregationes concludunt.

Admittere nequimus constitutionem « Lubricum » etiam pro mulieribus valere, quia haec sententia non congruit cum textu, de solis viris statuente.

Nec sequi possumus auctores, qui a pari ratiocinantur, priorem constitutionem per alteram explicantes. Non enim constat de perfecta identitate nec quoad generalitatem legis, nec quoad conditiones sub quibus vota solemnia accipi debent, nec quoad constitutionum causas.

IV. Jam tria attulimus argumenta quae probarent constitutionem « Circa pastoralis » esse extendendam ad omnes mulierum congregationes sine votis solemnibus. Quartum argumentum hauriunt auctores e pluribus documentis S. Sedis, post S. Pium V editis. Sex praesertim proponuntur:

*a*) Afferri possunt declarationes S. Congregationis S. Concilii, de quibus jam supra [81]: mulieres de quibus agitur, vocantur « de paupere vita » vel « poenitentes sive

---

80 Larraona (Commentarium pro Religiosis, 1 (1920), p. 47 nota 6) lectorem refert etiam ad constitutionem S. Pii V « Ex incumbenti », 11 sept. 1569 (Bullarium Romanum Taurinense, t. VII, p. 772), ubi canonici S. Georgii laudantur pro constitutione « Lubricum » obedientissime acceptata.

81 cfr. p. 15/16. En aliud exemplum: « An mulieres S. Valerien. poenitentes sive convertitae, quae simul vivunt, sed sine clausura formali et emissione trium votorum, debeant cogi ad clausuram formalem sicut moniales et ad votorum emissionem, non obstante dispositione Concilii Tridentini, c. 18 in fine sess. XXV de regularibus? Congregatio censuit ita esse cogendas prout in decreto Pii V et Smi. D. N., cujus exemplum » (Liber I Decretorum, 1573, fol. 200) cfr. etiam: « Declarationes S. Concilii Tridentini » fol. 300 verso; 302 verso; probabiliter tempore Gregorii XIII. Documenta citata adsunt in archivo S. Congregationis Concilii.

convertitae ». Ultimum nomen jam proprius accedit ad technicam expressionem « de poenitentia » per quam tertiariae indicantur, sed e nuncupatione « de paupere vita » nullatenus potest deduci mulieres praedictas ad aliquem tertium ordinem pertinere. Hoc non obstante S. Congregatio S. Concilii censuit eas ad constitutionem pianam observandam obligatas esse.

Argumentum potest infirmari considerando responsa S. Congregationis esse particularia ideoque non per se applicationes alicujus legis generalis sed forte praecepta de casu ad casum. Praeterea: nullatenus excluditur in casu de facto sermonem esse de tertiariis et saltem jam illo tempore dubium moveri poterat de interpretatione constitutionis, quae non perspicue « generalis » apparebat.

*b*) Constitutionem « Circa pastoralis » confirmavit Gregorius XIII per constitutionem « Deo sacris virginibus », 3 dec. 1572 [82]. Ita expresse de Brabandere [83].

Libenter admittimus Gregorium confirmasse constitutionem pianam sed negamus constitutionem « Deo sacris virginibus » posse allegari tamquam argumentum in nostra quaestione: « Circa pastoralis » sitne lex generalis pro omnibus mulierum congregationibus? Gregorius voluit providere difficultatibus provenientibus ex eo quod, ratione strictae clausurae, permultae moniales non amplius poterant vitae necessaria sibi procurare: « cum au-
« tem, sicut accepimus, multae moniales etiam quae ter-
« tiariae vocantur, sub solemni religionis voto perpetua-
« que clausura degentes, aliaeque talibus litteris com-
« prehensae necessariis egeant, quin etiam aliae tertiariae
« citra ullum solemne hucusque votum vivant, quae ad
« suas suorumve domos neutiquam rediturae essent, sed

---

[82] Fontes Codicis Juris Canonici, t. I, p. 250, 143.

[83] Juris canonici compendium, Brugis, 1882, t. I, p. 418; cfr. etiam Ferraris, Bibliotheca canonica, Romae, 1768, t. VII, verbum « tertiarii », n. 15.

« sub solemni religionis voto et clausura praedictis per-« manerent, si earum sustentationi provideretur, Nos ... ». Duae distinguuntur species: solemniter professae sive tertiariae vocantur sive alio nomine gaudent; et: non-solemniter professae sed nunc, sermo est de *solis* tertiariis, ita ut, nostro judicio, constituto Gregorii XIII non sit argumentum in universalitate legis pianae probanda [84].

*c*) Legislationem canonicam a S. Pio V et deinceps institutis in quibus vita quidem regulari similis profiteretur, sed vel absque votis vel cum votis tantum simplicibus, diversis modis aversam fuisse, eo quod ad vota solemnia admittenda cogerentur, secus suppressioni damnata, probat Larraona, referens ad constitutionem Sixti V, « Cum sicuti », 20 dec. 1589 [85]. Hac constitutione suppressum est, pro sola Italia, institutum fratrum scalceatorum S. Francisci, quia, inconsulta omnino Sede apostolica, acceperant in Italia membra ad suum habitum suscipiendum et professionem emittendam. S. Pontifex praedictum institutum « hoc tempore in Italia inducendum non censuit ideoque fundationes jam peractas suppremit penitus et abolevit ». Sermo itaque est de suppressione, sed propter speciales locorum et temporum circumstantias (« hoc tempore », « in Italia »); nullo modo est similis dispositionum S. Pii V, quae nullatenus confirmantur; agitur de re totaliter diversa.

*d*) Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 20 dec. 1616 [86] loquitur de solis ter-

---

84 Facile inde explicatur Gregorium XIII constitutionem pianam confirmasse et tamen S. Carolo Borromeo licentiam concedisse, ut in sua dioecesi introducat sorores S. Ursulae cum vita communi et votis simplicibus. (Revue des Communautés religieuses, 16 (1940), 62).

85 Bullarium Romanum Taurinense, *non* t. XI, *sed* t. IX, p. 138. (Larraona, Commentarium pro Religiosis, 1 (1920), 47, nota 7).

86 ex gr. apud Ferraris, Bibliotheca canonica, t. VII, verbum « tertiarii », n. 3.

tiariis sive in privatis domibus degentibus sive collegialiter viventibus. De ultimis statuit ut penitus subjaceant constitutioni « Circa pastoralis », quae a decreto citato ergo non probatur esse generalis, *omnes* congregationes prohibens.

*e*) Certum non est constitutionem Urbani VIII « Pastoralis Romani Pontificis » editam anno 1630, die 13 jan., argumentum in nostra quaestione praebere. Citata constitutio non invenitur in Bullario Romano et ipso textu opus est, ut prudenter ratiocinemur. Ex iis quae refert Benedictus XIV in constitutione « Quamvis justo », par. 2 sub VI [87] videtur concludendum Urbanum de sola Jesuitissarum congregatione locutum esse. Forte applicavit aliquod principium generale, ex. gr. comstitutionem pianam, de qua nunc loquimur, sed, ipso textu deficiente, hoc suspicari tantum licet [88].

*f*) Tandem affertur ad arguendum celebris constitutio « Quamvis justo » Benedicti XIV, 30 april. 1749 [89]. In qua agitur de finiendis iterum exortis controversiis quoad institutum Virginum Anglicanarum (Englische Frauelein; Dames anglaises) fundatum a Maria Warth. Ad hunc finem obtinendum praeponuntur facti notitiae et praecedentia S. Sedis decreta, nominatim litterae apostolicae Clementis XI, « Inscrutabili » 13 julii 1703, per quas instituti regulae approbatae erant. Haec tamen regularum approbatio non fuit ipsius instituti approbatio,

---

[87] Fontes Codicis Juris Canonici, t. II, p. 225.

[88] Nec plene fundata apparet conclusio quam ex urbana constitutione et quodam decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, 22 jan. 1596, deducit Ferraris (Bibliotheca canonica, t. VII, verbum « tertiarii », n. 16): « Unde consimiles tertiariarum seu mulierum congregationes vel penitus dissolvuntur vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione Ordinarii » Non patet enim hanc disciplinam esse constitutionis S. Pii V applicationem seu exsecutionem.

[89] Fontes Codicis Juris canonici, t. II, p. 222/237, n. 398.

quod liquet ex addita clausula: « non intendimus, per praesentes, ipsum conservatorium in aliquo approbare », quae clausula tunc apponi consuevit, addit Benedictus, « quum approbantur seu confirmantur regulae alicujus conservatorii aut monasterii mulierum, sine clausura viventium, contra praescriptum decretalis Bonifatii VIII cap. unic. de statu regul., III, 16, in IV°) et decretorum Concilii Tridentini (sess. XXV, de regul., c. 5) necnon constitutionis S. Pii V Papae, quae incipit « Circa pastoralis ». (Quamvis justo, par. 5 in fine).

« Hisce verbis testificat S. Pontifex legem pianam esse generalem » [90].

Animadvertere tamen volumus tria a Benedicto XIV afferri documenta; atqui: neque e decretali Bonifatii VIII, nec e decretis Concilii Tridentini sequitur *omnes* mulierum congregationes cum votis simplicibus et carentes clausura, esse prohibitas (cfr. dubia S. Congregationi proposita, de quibus supra in prima nostra sectione). Aliis verbis « salutaris » clausulae additionem requiri in *cujuscumque* regulae approbationem non sequitur e duobus prioribus documentis, quia documenta citata non valent, vi textus, pro *quocumque* instituto. Sed tunc affirmari nequit clausulam addendam esse *cujuscumque* regulae approbationi vi constitutionis pianae, quae pari modo, vi textus, ut vidimus, non valet pro *omni* instituto sed pro tertiariis tantum. Opnamur ergo clausulam, quae salutars dicebatur, addendam esse regularum approbationi omnium illorum institutorum, de quibus respective in decretali Bonifatii, in decretis Concilii Tridentini et in « Circa pastoralis » sermo est. Alia instituta prohibentur per Bonifatium VIII, alia per Concilium Tridentinum, alia per « Circa pastoralis »: omnium illorum institutorum regulis approbandis addenda est clausula salutaris; sed nec in decretali Bonifatii, nec in decreto tridentino

---

90 Bouix, Tractatus de jure regularium, t. I, p. 220.

dicitur *omnia* mulierum instituta esse prohibita : nullus auctor hoc asserit, non obstante allegatione illorum decretorum a Benedicto XIV. Quomodo haec citatio pro constitutione piana sufficeret ut « generalis » probaretur, perspicere non valemus. Benedictus XIV citavit documenta prout sunt nec auxit illorum vim nec ulterius extendit. Atqui : constitutio « Circa pastoralis » non valet, vi textus, pro omni instituto mulierum. Ergo nec citatur a Benedicto XIV ut omnia instituta prohibens.

In eadem constitutione « Quamvis justo » versus finem (in paragr. 23) iterum allegatur constitutio S. Pii V et nunc sine dubio, in sensu generali. Episcopi enim virgines anglicanas edocere debent « earum conservatoria tolerari quidem ab Apostolica Sede, sed institutum ipsum nec approbatum nec confirmatum esse, obsistentibus sacris canonibus et generali constitutione S. Pii V, ne religiosae mulierum domus apostolica confirmatione stabiliantur, quae se perfectae clausurae legibus non obstrinxerint ». Constitutio S. Pii V, de qua loquitur Benedictus XIV, sine dubio est constitutio « Circa pastoralis » ad quam, jure merito, in Codicis fontium editione per notam lector remittitur, quaeque revera a Benedicto XIV intelligitur ut lex generalis, non pro solis tertiariis, sed pro omnibus, quamquam ad nullum tertium ordinem pertinentibus. Virgines enim Anglicanae huic constitutioni declarantur subjectae, sed certissime nullo sensu « tertiariae » dici possunt. Ergo nunc constat quod e primo textu (in par. 5), nostro saltem judicio, nondum sequitur : Benedictus XIV constitutionem « Circa pastoralis » admittit tamquam legem generalem.

*Conclusio.* - E S. Sedis documentis post-pianis non multa possunt deduci, quia de solo Benedicto XIV certe constat eum constitutionem pianam tamquam legem generalem considerasse, quod tamen non accidit nisi anno 1749, i. e. fere post saeculum elapsum.

## Conclusio totius quartae paragraphi.

Argumentis per longum et latum expositis, respondere possumus ad quaestionem in hac quarta paragrapho solvendam: sitne constitutio « Circa pastoralis » lex generalis pro omnibus mulierum congregationibus sine votis solemnibus.

Etsi constitutio, inspectis ipsis verbis, nostro quidem judicio, non valet pro omnibus mulierum congregationibus, quae non ad aliquem tertium ordinem pertinebant, tamen et nonnumquam ab ipsa S. Sede (ex. gr. a Benedicto XIV) et communiter ab auctoribus indiscriminatim omnibus istiusmodi congregationibus applicata est. Probabiliter hoc fecerunt, quasi « a pari » ratiocinantes, praescriptum omnibus personis in iisdem circumstantiis ac tertiariis versantibus, applicantes.

Concedendum videtur per viam consuetudinis posse introduci normam pro omnibus mulierum congregationibus obligatoriam, sed serio dubitari licet annon hoc factum sit: constanter enim auctores dicunt constitutionem pianam non esse observatam, ne pro tertiariis quidem [91]. Ipsae etiam S. Sedes postea tolerabat ista instituta, approbando scil. eorum regulas, « absque tamen approbatione extendentem, esse introductam.

Nec argumenta ab auctoribus allata decisiva apparent: legis pianae « generalitas » non sufficienter probatur nec ipso textu, nec e comparatione cum constitutione « Lubricum vitae genus », nec e documentis pontificiis post-pianis, nec ex eo quod non-tertiariae illo

---

91 Benedictus XIV, Institutiones ecclesiasticae, inst. 105, n. 76. (Opera omnia, Prati, 1844, t. X, p. 467, b).

Bizzarri, Collectanea in usum secretariae S. Congr. Episc. et Regul., Romae, 1885.

Bouix, Tractatus de jure regularium, Parisiis, 1882, t. I, p. 221.

tempore essent ignotae. Contra argumentum e legis fine, stricta legis interpretatio videtur tenenda.

Fas proinde nobis est concludere constitutionem S. Pii V « Circa pastoralis » non esse legem generalem, obligantem omnes mulierum congregationes sine votis solemnibus, sed eam valere pro solis tertiariis.

## Conclusio totius Articuli.

In quattuor paragraphis juridicam quaestionem de personis ad quas paragraphi tertia et quarta constitutionis « Circa pastoralis » se extendunt, tractavimus. Quae personae autem sunt tertiariae, i. e. mulieres de facto ad aliquem tertium ordinem pertinentes, etsi forsan alio nomine gaudentes, quae non ligantur tribus votis solemnibus, sed aut uno voto solemni ex. gr. castitatis, aut tribus votis sed simplicibus tantum, aut tandem nullum omnino votum nuncupant. Necesse est quod praedictae mulieres tertiariae in congregotione seu collegialiter vivant; secus non subjiciuntur disciplinae consti tutionis « Circa pastoralis », sicut nec aliae mulieres similem vitae formam praebentes sed ad aliquem tertium ordinem sive S. Francisci sive S. Dominici sive aliorum non pertinentes. Post diligens enim textus legis examen constat de hujusmodi mulieribus in ea non esse sermonem nec satis probatur lex ad eas esse extendenda. Proinde, deficientes a sententia satis communiter ob textum male intellectum defensa, asseruimus constitutionem « Circa pastoralis » non esse legem generalem pro omnibus mulierum congregationibus sine votis solemnibus, quae congregationes ergo non sunt a S. Pio V suppressae.

Ex iis quae in priori articulo de obligatione tertiariis imposita exposuimus liquet nec tertiarias non solemniter a tribus votis professas unico quasi ictu a S. Pio V

esse suppressas, prout nimis audaciter nonnumquam asseritur.

Speramus fore ut argumenta quae attulerimus sufficiant ad sustentandam interpretationem a nobis defensam et recte dijudicandum influxum Summi Pontificis S. Pii V in evolutione institutorum cum votis simplicibus, in qua describenda aliis prosint elementa hisce allata.

NICOLAUS ONSTENK
*missionarius SS. Cordis Jesu*

# EX DUOBUS MALIS MINUS EST ELIGENDUM?

Inter scientiarum cultores vix aliquis tot exponitur causis, quae eum principia applicantem ad casus particulares a recta veritatis via abducere conantur quam moralista. Speciale offendiculum in via, quae a principiis ducit ad conclusiones praebent sic dicta axiomata seu sententiae generales quadam gaudentes celebritate. Praecipue tunc maxima cautione et circumspectione (quae sunt partes seu virtutes adiúnctae prudentiae) moralista procedere debet, quando ipse agit, principia applicando et ratiocinationes texendo, ductus spiritu non omnino ut aiunt impartiali, quia iam propensus est ad aliquam conclusionem, quae sibi arridet seu ei placet non propter rationum quae eam commendant probandi vim, sed propter consequentias practicas, puta quia agitur de conclusione quae, demonstrata vera aut solide probabili, reddit licitum actum, ad quem omittendum plures, etiam optimi catholici, nonnisi aegre ducuntur. Quando moralista non incipit a principiis et ratiocinando expectat conclusionem, sed incipit a conclusione praedilecta et deinde coepit quaerere annon possit aliquo principio demonstrare veritatem huius conclusionis, facili modo usu huiusmodi axiomatum seipsum et alios in foveam ducit erroris. Sententiae enim generales seu axiomata sane sunt vera, sed saepe saepius non sunt *ex omni parte* vera a. v. saepe sunt vera in uno solo sensu, in sensu scilicet magis restricto quam verba primo visu et obvie habere videntur. Sunt sententiae sane generales, sed non ita generaliter verae quam apparent esse. Qui non est maxime cautus et circumspectus, in laqueum cadit.

Exemplum huius phenomeni nobis praebet i. a. historia celebris disputationis circa moralitatem abortus

provocati a medico, quia actus necessarius est ad vitam matris praegnantis salvandam, praecipue si in casu ex omissione abortus inevitabiliter secutura sit mors matris et fetus simul. Moralistae magna fama iure gaudentes propugnaverunt liceitatem abortus in his circumstantiis. Ad probandam sententiam, quam veram esse magis cupiebant quam videbant, i. a. adduxerunt sententiam generalem: ex duobus malis minus est eligendum. In casu: medicus debet ex actibus quorum unus causat mortem fetus solius et alius causat mortem matris et fetus, eligere primum et eum exsequi. Prümmer, quamvis ipse scribens postquam magisterium Ecclesiae quaestionem diremit iam confiteatur argumentum ducere ad falsam conclusionem, illud tamen comprehendit inter argumenta quae non sunt spernenda.

Nemo in theologia morali peritus ignorat viros prudentes sana inquietudine moti continuo animadvertisse ad periculum quod habetur in usu nimis largo aliorum huiusmodi axiomatum ut sunt: « melior est conditio possidentis »; « melius est sic esse quam non esse »; « lex dubia non obligat »; « sacramenta sunt propter homines ».

In hoc articulo agere intendimus de vero sensu sententiae notissimae: « ex duobus malis minus est eligendum ». In quantum scimus Gregorius Magnus est omnium primus, qui hoc axioma in doctrina morali applicavit [1]. Deinde Gratianus illud ut normam iuris in suo Decreto inseruit [2]. Plures moralistae ad illud appellaverunt in celebri disputatione de liceitate actus, quo aliquis alteri consulit minus malum [3]. Deinde illud ap-

---

1 Libri moralium. L. 32. c. 18.

2 I Dist. 13.

3 Bartholomaeus de Medina (Comm. in I. II. q. 96, a. 4; Dominicus Soto, (L. 6. De Iustit. q. 1. a. 4.); Sanchez. (De Matrim. L. 7. Disp. 11).

paret in iam memorata lite de indole morali abortus provocati ad salvandam vitam matris [4].

Contra illos qui simpliciter adhibent hanc sententiam ut medium demonstrationis ad rem obiicitur eam nimis probare, ergo nihil probare. Sane hoc axiomate simpliciter et generaliter sumpto probare possumus plura, quae evidentissime sunt falsa, e. g. licitum esse occidere milites graviter vulneratos quia secus debemus eos relinquere in manibus inimicorum qui eos modo atrociori trucidabunt; licitum esse se slopi ictu occidere, si omisso hoc aliquis nihil aliud facere possit nisi remanere in domo ubi flammis crudeliter comburetur. A. v. admissio axiomatis in sensu omnino generali tollit valorem generalem principii, quod est fundamentum totius ordinis moralis: non sunt facienda mala ut eveniant bona aut ut praeveniantur mala maiora. Aliis verbis dictum: finis non iustificat usum mediorum malorum. Sic loquentes autem nonnisi argumento a posteriori demonstramus axioma non habere valorem omnino generalem. Ut plena veritas circa hoc axioma intelligatur explicatio procedi debet a natura actus humani, de quo sententia agit, scilicet de natura electionis. Tunc apparebit in quo sensu axioma sit verum, in quo autem falsum.

Electio est actus elicitus voluntatis. Huiusmodi dantur sex, scilicet: 1. velle simpliciter; 2. intendere; 3. consentire; 4. eligere; 5. usus activus seu exsequi; 6. frui. Cum isti actus sint actus eliciti voluntatis (omnes sunt formaliter: *velle*), id quod ab ipsa voluntate se movente et determinante fit obiectum huiusmodi actus, ipsi voluntatis actui dat speciem moralem. Electio igitur speciem habet ab ipso obiecto electo seu volito tamquam

---

[4] Pennacchi (De aborto et embryotomia. Romae. 1884); Viscosi (L'embryotomia nei suoi rapporti colla Morale Cattolica. Napoli. 1879); Avanzini. (La craniotomia considerata in riguardo alla Morale, Scafati 1879).

medium ad aliquem finem consequendum. Electio enim est actus voluntatis circa media ad finem. Ex his immediate sequitur conclusio: ergo numquam licitum est eligere aliquod malum (morale). Nam scimus tam ex philosophia morali quam ex theologia morali quod primum et generalissimum principium indemonstrabile ordinis practici seu vitae humanae est: *bonum est volendum et agendum; malum est vitandum.* Hoc principium nititur ipsa natura boni et mali; est ipsa boni et mali definitio. Propterea est primum quod cadit in apprehensione intellectus practici. Qui eligit malum, vult malum. Sed malum est nolendum. Non licet neque velle neque quod idem est, eligere malum.

Ex hisce dictis iterum simplici applicatione ad nostrum axioma sequitur regula: « ex duobus malis *nullum* est eligendum. Haec sententia est primo principio per se noto ordinis moralis ita proxima, ut ipsa fere per se nota, saltem quoad peritos vocari nostro iudicio debet. Si loquamur de malo morali, proprie ut moralistae agunt, conclusio est obvia: *ex duobus malis nullum est eligendum.*

Datur tamen ratio mirandi et quaerendi: quomodo fieri potest ut homines, tam simplices quam docti, in errorem ducti sunt et versantur, si agatur de veritate ita obvia? Responsio non est difficilis. Error eorum non directe committitur circa axioma laudatum; sed error in ipsis est consequentia alius erroris, qui non est tam proximus primis principiis ordinis practici. Multi audientes aut sibi proponentes quaestionem: quae ex duobus malis est eligendum? minus aut maius?, statim sibi fingunt casum, in quo non datur tertius modus agendi. De hoc mirari non licet. Modus quo quaestio ponitur hoc fortiter suggerit. Et semel supposito unum ex duobus esse eligendum, responsio recta non amplius datur. In hac enim suppositione quaelibet responsio est falsa.

Reapse autem haec suppositio est falsa. Homo num-

quam versatur in circumstantiis, in quibus non potest nisi eligere hoc malum morale aut illud. Nam homo potest semper ab utroque malo abstinere seu potest semper non eligere. Non ponere voluntatis actum est semper in hominis potestate. Homo potest semper non agere. Sane, non agere potest esse malum, scilicet quando ex hac omissione sequitur aliquod malum, quod homo agendo praevenire potest et debet. Sed non agere non est semper malum, etiamsi sequatur malum magnum. Notatim non agere non est malum, si aliquis non potest agere nisi male e. g. si agere esset eligere id quod est moraliter malum. Tunc enim homo non potest agere nisi peccando ideoque non debet agere. Et scimus quod consequentiae omissionis homini et voluntati non imputantur, *si agere nullatenus debet.*

Fieri potest ut homo versetur in circumstantiis in quibus *potest* eligere inter duos actus malos; fieri autem non potest ut versetur in circumstantiis in quibus elegere *debet* inter duos actus malos. Datur enim semper tertia via. Hoc tertium vocari potest aut « non eligere et non agere » (quod tunc non est malum) aut eligere tertium, scilicet omissionem actus, quae tunc est electio cum obiecto non moraliter malo ideoque electio bona.

In casu autem celebri supra citato, scilicet in casu medici qui non potest salvare matrem nisi occidendo fetum, proprie non habetur electio ex duobus malis moralibus cum possibilitate eligendi aliquid tertium. Hic habetur casus in quo medicus eligere debet inter duos modos agendi qui sunt: 1. occidere fetum seu abortum provocare (homicidium); 2. non agere; non occidere fetum. Hic modus agendi non est in se moraliter malus. Est omissio actus, quo medicus impedire potest mortem matris. Quia autem actus qui omittitur est occisio fetus seu actus malus, ideoque est actus qui fieri non licet et a fortiori non debet, omissionis effectus (qui sunt semper accidentales) non imputantur medico. Ipse ergo eligens

omissionem abortus non eligit malum; eligit *nullum* malum morale, nequidem minus malum. Eligit id quod est bonum. Aliis autem ex causis mater moritur.

Possumus attentionem nostram etiam extendere ad ipsa mala physica in se consideranda. Omissio enim occisionis habet malum effectum in ordine physico, scilicet mors matris. Si etiam malum physicum comprehendamus in voce: minus malum, axioma nostrum applicari potest, sed tunc pervenimus ad conclusionem contrariam quam ii, qui eo quaerebant iustificare abortum. Nam in hoc casu medicus debet eligere inter occisionem fetus et mortem matris. Primum est malum morale; secundum est in casu malum physicum. Malum autem morale est homini maximum malum. Ergo medicus debet ex duobus malis eligere minus, i. e. eligere mortem matris, ab ipso non impeditam, prae occisione fetus.

Nemo non videt hisce dictis quaestionem non esse sub omni aspectu absolutam. Nam hucusque locuti sumus de sola hac electione, quae ut obiectum habet actum natura sua seu intrinsece malum. Dantur enim alii actus, qui sunt mali et quidem moraliter, scilicet ratione effectus quem, quamvis per accidens, tamen reapse causant, e. g. se proiicere e fenestra alta; extirpare uterum carcinoma affectum et gravidum fetu non viabili; omittere curam ad recuperandam sanitatem et similia. Proprie quia huiusmodi actus sunt per se moraliter mali, sunt obiectum paragraphi specialis in libris de theologia morali agentibus, sub titulo: de voluntario indirecto aut in causa. Per se enim homo tenetur non agere aut non omittere actum, si ex actu aut omissione secuturus est effectus malus seu vitandus. Per se homo tenetur non saltare, si ex saltu secutura est membrorum laesio. Per se homo tenetur non omittere sumptionem medicinae, si ex omissione secutura est aegritudinis aggravatio.

Casus autem haberi potest in quo homo eligere potest et debet inter duos actus positivos aut duas omissiones,

moraliter indifferentes, sed ambo effectum malum hic et nunc causantes. Medicus, solus in regione sat vasta, ope telephonii eodem fere momento recipit notitiam de duobus infortuniis gravibus. In hoc loco distanti iacet vir graviter vulneratus explosione; in alio loco etiam valde distanti duo currus automobiles magna celeritate concurrerunt, quo decem personae in gravissimis condicionibus indigent medici assistentia. Loci etiam inter se valde distant. Medicus debet aut omittere curam viro praestare aut omittere auxilium dare aliis. Utraque omissio per se est mala, propter effectus. Omissio sive haec sive illa simpliciter volita a medico constitueret peccatum. Hic ad decidendum medicus recte applicat axioma: ex duobus malis munus est eligendum. Eligit omittere praebere auxilium huic uni viro, prae omittere praebere auxilium istis decem personis. Omissio prima enim est minus malum respectu omissionis secundae.

Ad sanandam suam aegritudinem Bernardo praestant duae curae: aut longissima requies in loco campestri aut amputatio pulmonis, quo sane vires corporis diminuuntur. Ex applicatione medii prioris secutura est amissio officii et salarii, cum extrema totius familiae miseria; ex applicatione secundi medii secutura sunt mala iam indicata. Media ipsa in se non sunt moraliter mala, sed per se effectus quos producunt sunt vitandi.

Hic Bernardus recte applicare potest adagium: e duobus malis minus est eligendum.

Maximi autem momenti est pro recta doctrinae moralis intelligentia, quod axioma in his casibus applicatur, sed non sumitur in sensu proprio verborum. Notatim conceptus cardinalis sententiae, scilicet actus circa quem axioma praebet normam moralem sumitur in sensu improprio, scilicet: *eligere malum*. In casibus modo descriptis non habetur electio mali moralis. Habetur proprie electio actus vel omissionis moraliter *indifferentis*, qui causat, sed per accidens, effectum malum. Qui ut

nobis convenit, cupit loqui modo philosophice et theologice exacto, ita ut verbis adhibitis clare exprimat veritatem, axioma hic applicatum sic proponere debet: inter duos actus (omissiones) moraliter non malos, qui ambo habent effectum malum eligendus est ille actus (illa omissio), cuius effectus malus est minor alio effectu malo.

Electio enim seu actus voluntatis necessario specificatur ideoque bona aut mala redditur *ex obiecto quod eligitur*. Hoc enim fit obiectum *immediatum voluntatis*. Mulier gravida quae eligit saltum ut effugiat mortem igne, eligit actum *indifferentem*, qui ut effectum per accidens causat abortum aut periculum grave abortus. Aliquo modo causat et vult abortum aut periculum eius. Iste modus volendi tamen differt ab electione. Ipsa vult indirecte; sed non eligit. Vult abortum nonnisi mediante alia re, quam vult et eligit; mediante scilicet saltu. Si non vellet saltum propter aliam rationem, nullatenus vellet abortum. Quare effectus malus qui per accidens et indirecte causatur influit in actum voluntatis non directe neque secundum se aut immediate. Et ideo non dat actui voluntatis suam propriam malitiam specificam (occidere innocentem), sed tantummodo influit in actum voluntatis ut effectus malus; ut damnum. Quare consideratur secundum quantitatem damni. Effectus malus sane cooperatur ad reddendum malum voluntatis actum, sed suo modo; ut damnum actui annexum. Sed non quodlibet damnum est *semper* vitandum, etiamsi sit *per se* vitandum, e. g. mors proximi. Si actus immediate volitus (electus) causet effectum bonum (complexum effectuum bonorum) tanti valoris ut effectus bonus sit effectui malo proportionatus aut excedens illum, actus est in se seu secundum speciem saltem indifferens et insuper causans complexum effectuum praevalenter bonum. Quare neque ratione naturae actus electi, neque ratione complexus effectuum, electio est mala. Ergo, si insuper habeatur fi-

nis intentus bonus (finis operantis), actus est simpliciter bonus et licitus.

Quaerere adhuc quis posset utrum propositio: « actus in se non malus et habens effectus accidentales malos et effectus bonos, sed ita ut complexus effectuum omnium est magis bonus quam malus, est actus simpliciter bonus et licitus » ulterius probari possit, an sit propositio per se nota. Videtur esse propositio per se nota. Ratio humana sponte videt hanc veritatem practicam, quae clarius apparet omnibus si alia proponatur forma, scilicet: non tenetur homo actum in se non malum et necessarium ad aliquod bonum consequendum omittere, quia ex hoc actu sequitur (ut effectus per accidens) aliquod malum seu privatio boni, si hoc malum valore non excedit bono, quod ipso actu attingitur.

Deinde animadvertendum est quod axioma: « ex duobus malis minus est eligendum » etiam adhiberi solet si agatur de malis nullatenus ad ordinem moralem pertinentibus, ut puta si aliquis invenitur in necessitate aut contrahendi mulctam pecuniariam aut solvendi pretium pro usu currus publici necessario ut tempore statuto adsit conferentiae. Sed usus axiomatis pro huiusmodi rebus non pertinet ad doctrinam moralem.

Dr. L. Bender. O. P.

# DE MANUS EXTENSIONE IN ORDINATIONE DIACONALI

Rubricae Pontificalis Romani praecipiunt, ut Episcopus dexteram imponat super caput cuilibet ordinando diacono eamque deinceps extensam teneat usque ad finem praefationis. Dubium autem saeculo elapso ortum est, num haec extensio requireretur ad valorem diaconatus. Cui dubio ansam praecipuam praebuerunt plura responsa S. Sedis de repetenda ordinatione presbyterali sub conditione, quoties Episcopus nullatenus dexteram extendit super ordinandos presbyteros, postquam utramque manum super caput cuiusque ordinandi imposuit; cfr. Per. V. XXIII p. 73. Verum constitutio apostolica « Sacramentum ordinis » diei 30 novembris 1947 (A. A. S. 1948 p. 5) expresse edixit hanc extensionem manus dexterae in ordinatione presbyterali non esse materiam sacramenti et sic futurum dubium de hac re funditus sustulit. Eadem constitutio autem siluit de simili extensione manus praescripta in ordinatione diaconali. Cuius sinlentii obvia est ratio.

Imprimis multum differt ordinatio presbyteralis a diaconali in applicanda materia et forma. Nam in *ordinatione presbyterali* Episcopus nihil dicit, dum ambas manus capiti ordinandorum imponit. Post eum autem sacerdotes praesentes pariter utramque manum singulis ordinandis imponunt, quod pro numero tam sacerdotum quam ordinandorum diu durare potest. Neque finita manum impositione statim sequitur forma sacramenti, sed post duas orationes interiectas demum in fine longioris praefationis recitantur verba formae sacramentalis. Unde merito quis dubitare potuerit de morali nexu materiam inter et formam seu de unione impositionis manuum et formae sacramentalis, nisi ambae iungeren-

tur per manus dexterae extensionem, quae impositionem continuare aestimatur et sic etiam in constitutione pontificia impositionis continuatio appellatur. Notetur praeterea dexterae extensionem rubrica praeceptam iam cessare post primam subsequentem orationem ideoque adhuc multum distare a forma sacramentali, quae versus finem praefationis recitatur.

Nihilominus constitutio pontificia explicite edicit hanc extensionem non esse essentialem et sic implicite statuit in communi aestimatione impositionem manuum et recitationem formae satis unitas esse, ut unum signum constituant seu ut forma afficiat materiam praecedentem et sensus verborum verificetur. Cum vero in ceteris ordinationibus et generatim in sacramentis materia et forma simul fere exsistant, facile patet dubium oriri potuisse de valore ordinationis presbyteralis, nisi manuum impositio facta in silentio et forma multo serius prolata per extensionem dexterae coniungebantur. Quod dubium nunc exclusum est, ut vidimus.

In *ordinatione diaconali* autem longe opportunius res se habet. Solus enim Episcopus manum ordinandis imponit et iam interim aliquam formam profert, quae, licet non sit forma sacramentalis, ut nunc definitum est, tamen in communi aestimatione nexum inter materiam et formam essentialem immediate subsequentem evidenter efficit. Ceterum Episcopus, nulla interposita mora, prosequitur ritum ordinationis et formam sacramentalem immediate post manus impositionem profert, cum nemo alius manum imponat. Unde liquet opus non esse manus extensione ad uniendam impositionem manus formae sacramentali, quae in ordinatione presbyterali necessaria videri potuit. Unde etiam S. Sedes pluries declaravit omissam extensionem manus ordinationi diaconali non nocere; quarum declarationum tres in fine adiectae luculenter ostendunt diaconatum sine manus extensione collatum nulli dubio obnoxium esse.

Quae cum ita sint, constitutio apostolica satis habuit in ordinatione diaconali unam manus impositionem tanquam materiam proponere ac de manus extensione silere, quae iam antea non requiri ad valorem pluries declarata est a dicasteriis Romanis.

Denuo vero ansam dubii aliquibus praebere videntur rubricae reformatae Pontificalis Romani, at immerito. En tenor rubricarum: « Hic solus Pontifex, manum derteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, dicens cuilibet, sine cantu: Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus eius. In nomine Domini. — Postea, extensam tenens manum dexteram, dicit verba formae sacramentalis, sine cantu: Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roborentur. — Et probus eius. Innomine Domini. — Postea, extensam tenens manum dexteram (quae extensio non est de valore): Abundet in eis totius forma virtutis... per gratiam tuam capere potiora mereantur ».

Immediate igitur verba sacramentalia sequuntur impositionem manus et verba eam concomitantia.

De sensu harum rubricarum haec notanda sunt. Imprimis constitutio apostolica definivit materiam et formam sacramenti ordinis neque S. Congregationi Rituum iudicium huius rei competit. Distincte autem eadem constitutio dicit: « In ordinatione diaconali materia est Episcopi manus impositio, quae in ritu istius ordinationis una occurrit ». Deinde si in ordinatione presbyterali, quamvis adiuncta longe diversa minus faveant, extensio manus non requiritur ad valorem, uti constitutio apostolica explicite declarat, tunc eo minus in ordinatione diaconali requiri potest. Immo qui serio in dubium vocaret ordinationem diaconalem eo, quod forma sacramentalis non est simultanea materiae, deberet evertere doctrinam et praxim Ecclesiae, secundum quam sufficit

unio moralis inter materiam et formam; unio autem in casu physica fere est, cum forma immediate subsequatur impositionem manus. Etsi igitur nullum documentum expressum exsisteret, ex principiis generalibus tale dubium erroris arguendum esset. Sed accedunt plures declarationes S. Sedis anteriores constitutioni apostolicae valere ordinationem diaconalem, etsi extensio manus deesset. Ad quarum vim percipiendam notare oportet in conferendo sacramento ordinis sequendam esse opinionem tutam, immo tutissimam et prorsus excludi opinionem probabilem; cfr. sententiam ab Innocentio XI damnatam apud Denzinger n. 1151; secus enim minister sacramentum exponeret periculo nullitatis et proximum periculo damni spiritualis. Quod licet tantum in casu gravis necessitatis, quae non habetur in conferendo sacramento ordinis. Si nihilominus S. Sedes pluries declaravit omissam manus extensionem non obesse ordinationi diaconatus, id significat iudicio Sanctae Sedis certo validam esse ordinationem diaconatus sine extensione manus collatam; quare nec opus fuit, ut id denuo ediceretur in costitutione apostolica.

Fatendum est novam rubricam Pontificalis ambiguam ideoque corrigi posset ita fere: « Deinde extensam tenens, usque ad finem praefationis, manum dexteram (quae extensio non est de valore), dicit verba formae sacramentalis, sine cantu: Emitte in eos ... roborentur. Postea prosequitur, dextera super ordinatos adhuc extensa: Abundet in eis ... potiora mereantur ».

Sic omne praecavetur, quod cordi esse debet cuique legislatori. R. P. Hanssens eandem rubricam pariter ambiguitatis arguit (Per. XXXIX 1950 p. 267).

En aliquae declarationes Sedis Apostolicae de valore diaconatus collati sine manus extensione.

## I

Vicarius Apostolicus de Mendez et Gualaquiza promovit sex subdiaconos ad ordinem diaconatus ac postea legens rubricas Pontificalis putavit se recitasse post impositionem dexterae verba subsequentia « Emitte in eos etc. » manibus quidem extensis modo praefationis, sed non dexteram extensam tenendo, ut Pontificale praecipit.

Ex congressu S. Congregationis de Sacramentis diei 7 novembris 1912 Prot. 3204/12: Acquiescat et communicetur eidem Vicario Apostolico.

## II

L'Ausiliare del Vescovo di Tarnova Edoardo Homar nel conferire il diaconato a due suddiaconi della Congregazione del SS. Redentore a Tuchon, pronunciando la formola: « Accipe Spiritum Sanctum ecc. » mise tutte e due le mani sulle loro teste separatamente, dopo di che mentre proseguiva il prefazio, invece di tener la mano destra estesa sopra di loro, tenne le mani espanse « ante pectus » come per l'orazione. Domanda se l'ordinazione sia valida o se deve ripeterla.

(Versio latina): Eduardus Homar, Episcopus titularis Episcopi Tarnovien., conferens in Tuchon diaconatum duobus subdiaconis Congregationis SS. Redemptoris, inter formulam « Accipe Spiritum Sanctum etc. » imposuit ambas manus separatim eorum capitibus, deinceps vero prosequens praefationem non extendit dexteram super eos, sed tenuit ambas manus extensas ante pectus sicut ad orationes. Quaerit nunc, utrum ordinatio valeat an eam iterare debeat.

Ex congressu S. Congregationis de Sacramentis diei 9 martii 1923:

Episcopum non esse inquietandum.

S. Officium autem, transmissam sibi a S. Congregatione de Sacramentis resolutionem confirmavit, rescribendo praefato Episcopo Homar die 27 aprilis 1923 Prot. 161/1923: Episcopus orator acquiescat.

## III

S. Congregatio de Sacramentis 4 martii 1932 Pinsken. n. 5663/31.

Haec S. Congregatio de Sacramentis libellum excepit Excellentiae Tuae Revmae., in quo narrabatur modus habitus in ordinatione plurimorum diaconorum, nempe in secunda parte praefationis verba « Emitte in eos » manum dexteram non fuisse extensam super eos, sed verba fuisse recitata « manibus ante pectus iunctis ». Dubio exorto, an dicta ordinatio esset repetenda sub condicione, eadem S. Congregatio maturo examine omnia perpendit et duorum consultorum votum exquisivit. Hoc recepto voto et prae oculis habitis nonnullis resolutionibus, alias ab ipsa datis, et etiam resolutione S. Congregationis S. Officii in Tarnovien. diei 27 aprilis 1923, respondendum decrevit: Episcopus acquiescat.

Ex hoc rescripto constat nonnullas alias resolutiones consonas de eadem re exsistere adeo ut nequaquam dubio locus esse possit, quippe cum rationes supra allatae amplissima fulciantur auctoritate Sanctae Sedis.

Franciscus Xaverius Hecht S. A. C.

# MONUMENTA

## 12 - SS. D. N. Pius XII

(*AAS.* XXXXIII [10 ian. 1951] p. 26)

### ALLOCUTIO

*Delegatis Conventui generali ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque saecularibus, Romae habito.* *

Annus sacer, qui, nullo Nostro merito, sed favente Dei misericordia, benefactis efficientior evasit, quam eum humanae mentis praecipiebat provisio, mira spectaculorum serie ostendit, quanam fide polleat, quanam vitae ubertate Ecclesia Christi Mater nostra, vigeat. Hisce peculiaris gravitatis et momenti eventibus et inceptis bene vester interseritur Conventus, fraterna vestra interlucet corona, quam amantibus verbis perplacet Nobis nunc salutare.

Quod quidem numquam ecclesiasticarum rerum memoria factum esse recenset, nunc primum sodalitates, in quas qui cooptati sunt suae veluti vitae metam evangelicam absolutionem perfectionemque sibi praestituunt, in tam celebres coetus coaluerunt, quemadmodum postremis hisce diebus contigit, ut de communibus utilitatibus cogitata librarent consilia.

Quod ut efficeretur, iudicio Nostro matura tempora omnino requirebant. Mutata enim rerum adiuncta, quae subire debet Ecclesia, nonnulla doctrinae placita, intra ipsa Ecclesiae saepta conflata et evulgata, eas quoque

---

* Habita die 8 Decembris mensis a. 1950.

quaestiones attingentia quae ad moralis perfectionis condicionem et statum pertinent, apostolici laboris, quem vos large et prolixe suscipitis, instantes necessitates, haec omnia valde suadebant, ut dispositis disceptationibus et studiis vacaretis.

Opus vero vestrum iam in eo est, ut persolvatur. Accuratis considerationibus id ferbuit, proposita multiplicia progenuit neque perficiendis virtutibus, ut speramus, minus locuples erit. Has, vestris annitentibus voluntatibus, Dei gratia excitabit, quam quidem preces et religiosae abnegationis expleta opera, tum vestra, tum praesertim vestrarum in Christo sororum, incepto, in quod incumbitis, flammantibus votis invocarunt.

Divini autem praesidii et luminis pignus, ut vester rite conficiatur et finiatur conventus, Christi Vicarii paternam exposcitis Benedictionem. Quam antequam vobis impertiamus, opportunum ducimus aliqua vobis loquendo proferre, quae ad religiosae vitae rationes, necessario declarandas, spectent et quae enodata dein, normae instar, vestros dirigant cogitatus et actus.

## I

Ante omnia iuvat Nos paucis perstringere, quinam religiosorum Ordinum et Congregationum in Ecclesia sit locus. Scitis profecto Redemptorem nostrum Ecclesiam hierarchica natura praeditam condidisse. Nam inter Apostolos eorumque successores, quibus adiciendi sunt ipsorum muneris auxiliares, et simplices fideles Is certi discriminis intervallum posuit, qua quidem duplici compagine Regni Dei in terris constat structura. Quocirca divino ipso iure statum est, ut clerici distinguantur a laicis [1]. Inter duos hos gradus religiosae vitae status in-

[1] Cfr. can. 107.

tericitur, qui, ecclesiastica origine defluens, ideo est atque ideo valet, quia arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret, qui eo spectat, ut homines ad sanctitatem assequendam perducantur. Quamvis quilibet christianus, Ecclesia duce, hoc sacrum culmen scandere debeat, tamen religiosus homo illuc progreditur itinere omnino suo et praesidiis celsioris naturae.

Praeterea status religiosus nullo modo reservatur ad unam vel alteram duarum partium, quae ex iure divino in Ecclesia exstant, cum tum clerici tum laici itidem religiosi esse queant, et cum contra sive religiosis sive iis qui tales non sunt clericalis dignitatis aditus pateat. Deerrat igitur in aestimandis fundamentis, quae Christus constituendae iecit Ecclesiae, qui secum reputat peculiarem saecularis cleri formam, utpote saecularis, a divino Redemptore statutam sancitamque esse, peculiarem autem regularis cleri formam, licet ipsa bona et rata habenda sit, quippe quae ex altera manet, secundariam et auxiliarem esse. Quocirca, ordine a Christo statuto ob oculos habito, neutra peculiaris gemini cleri forma divini iuris praerogativam tenet, cum idem ius neque alteri alteram praeponat neque alterutram emoveat. Quodnam vero utriusque sit discrimen, quaenam mutuae rationes, quinam in humane salutis perficiendo opere utrique committendus sit labor, haec omnia Christus temporum varietatibus et necessitatibus circumscribenda reliquit vel, si volumus expressius cogitatum Nostrum definire, Ecclesiae decretoriis mandavit consiliis.

Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit. Hoc revera, quod ceterum ex sueto more in Ecclesia contingit, in Codice iuris canonici illa de religiosis viris, utpote parochis et Ordinariis locorum, praescripta [2] haud obscure

[2] Can. 626-631; 454 § 5.

declarant. Neque raro evenit, ut in sacrarum expeditionum territoriis universus qui illic versatur clerus, non excepto Antistite, regularis sit militiae. Neve autumet quisquam id prorsus extra ordinem suetamque normam esse, ita ut censeatur hoc ad tempus tantum contingere et, simulac fieri possit, sacram procurationem saeculari clero esse tradendam.

Sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt. Quod etiamsi praetermittamus, in disceptationibus per postrema decennia super exemptione habitis haud satis fortasse animadversum est religiosos exemptos, etiam ex praescripto iuris canonici semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, subici, cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae [3]. Iamvero Summus Pontifex, ut in universam Ecclesiam, ita in unamquamque dioecesim et in singulos christifideles ordinariam et immediatam iurisdictionem habet. Ergo constat primariae a Deo latae legi, qua clerici et laici Episcopi regimini subesse debent, etiam ad religiosos exemptos quod attinet satis superque obtemperatum esse ac denique Christi voluntati et statuto utriusque militiae clerum pari respondere obsequio.

## II

His, quae adhuc dicta sunt, altera conectitur quaestio, quam explanare et enodare Nobis nunc cordi est: spectat ea rationem, qua clericus et religiosus ad suam morum perfectionem et absolutionem contendere debet.

[3] Can. 499 § 1.

Veritati absonum est asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturae postulatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (acquirendae) appellari Clericus igitur non vi divini iuris evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, oboedientiae devincitur; ac praesertim non eodem modo devincitur eademque ratione, qua ex votis publice nuncupatis in religioso statu capessendo huiusmodi obligatio exoritur. Id autem non prohibet, quominus privatim suaque sponte clericus haec vincula suscipiat. Itidem quod Latini ritus sacerdotes sacrum coelibatum servare tenentur, inter clericalem et religiosum statum discrimen non aufert vel attenuat. Clericus vero regularis, non prout est clericus, sed prout est religiosus, evangelicae perfectionis condicionem et statum profitetur.

Quodsi Nos per Apostolicam Constitutionem « Provida Mater Ecclesia » ediximus formam quoque vitae, quam Saecularia Instituta sequuntur, autumandam esse evangelicae perfectionis statum publico agnitum iudicio, propterea quod eorum sodales evangelicis consiliis observandis aliquo modo astringuntur, hoc quoque nequaquam Nostrae nuper allatae contradicit sententiae. Nulla profecto ratio officit, quominus clerici in Saecularia Instituta coalescant ut, ad evangelicae perfectionis statum, huiusmodi delectu et genere, contendant, sed tum ipsi quoque sunt in statu perfectionis acquirendae, non utpote clerici, sed utpote Saecularis Instituti gregales. Huiusmodi enim Institutum evangelica consilia, quae, religiosi status propria, ibi summa perfectione in rem deducuntur, habet sane veluti vitae rationem, cui inhaereat, ita tamen complet, ut e statu regulari non pendeat, sed per se stet in externa vitae forma ad perfectionem nuper memoratam haud necessario pertinente.

## III

Opportunum esse remur aliquantisper ei immorari quaestioni, quasnam status religiosus praebeat rationes ad illum ineundum.

Sunt qui asserant religiosum statum natura sua fineque suo, cui probatio deneganda non sit, nihil aliud esse nisi salutis refugium timentibus et anxiis datum, qui, cum non valeant procellosae vitae obire discrimina, et aspera rerum sustinere neque sciant neque forsitan velint, socordia ducti valedicunt saeculo et in sereni coenobii portum confugiunt; quocirca Dei gratiae et sui excitandam esse fiduciam, ut qui otiosam petunt tranquillitatem abiciant huiusmodi opinatam animi propensionem et audeant communis vitae certamina aggredi. Numquid hoc verum est?

Nostrum non est nunc iudicii libra pensare, quonam singuli impulsu religiosum statum capessant. Enuntiare volumus rationem, praecipuam quidem et veram, qua umbratilis vitae adeunda sunt saepta. Haec sane abest a nuper relata opinatione, quae, si in universum accipitur, falsa et iniusta est. Enimvero, quemadmodum sacerdotii ineundi, ita et religiosi status ingrediendi propositum atque in suscepto proposito firma constantia magnos spiritus et alacre devovendi se studium flagitant. Ecclesiastica Historia, quae Sanctorum caelitum et religiosorum institutorum praeclare gesta tradit, sacrarum expeditionum exitus narrat, asceticas doctrinas refert, et ipse rerum usus luce lucentius demonstrant haud minus in religioso statu quam in saeculo viros et mulieres invictae et generosae virtutis floruisse. Ceterum religiosi viri et religiosae feminae, qui in inceptis Evangelii regno amplificando desudant, aegrotis adsunt, adulescentes educant, in scholis operam navant, num ab hominum consortione abscedunt et ab ea suam alienant voluntatem? Nonne

vero plerique ex iis perinde ac sacerdotes saeculares et laici auxiliatores pro Ecclesiae causa agenda in prima acie dimicant?

Hic autem abstinere non possumus, quin animadvertendam indicemus rem antea relato opinatui omnino contrariam. Quodsi numerus eorum, praesertim adulescentularum, qui religiosae vitae conclusos hortos ingredi volunt, minuitur, saepius ex eo accidit, quod nimis durum aestimetur arbitrio suo exui et libertatis suae potestatem deponere, quod quidem oboedientiae votum natura sua secumfert. Immo veluti celsa moralis perfectionis forma a quibusdam extollitur non ob Christi amorem exuta libertas, sed huiusmodi abnegationis coartatio. Formando igitur homini iusto et sancto haec esset praeferenda norma: coartetur libertas, quoad necessarium sit, libertati habenae relaxentur, quantum fieri possit.

Praetermittimus hic quaestionem, an novum fundamentum in quo sanctitudinis aedificium condere conantur, aeque ferax et validum in sustentando augendoque apostolico Ecclesiae opere futurum sit perinde ac illud fuit, quod mille et quingentorum annorum spatio antiqua oboedientiae regula ob amorem Christi accepta suppeditavit. At vero, quod nunc maxime interest, est penitus considerare illam rationem, ut quod ea intus condat patefiat. Haec, si rite perpendatur, evangelici consilii naturam minime agnoscit, quin etiam in appositam significationem aliquo modo intorquet. Nemo officio astringitur, ut sibi praestituat evangelicum consilium perfectae oboedientiae, cuius radix est ea norma vitae, qua voluntatis suae abdicetur potestas, nemo, inquimus, sive cum de singulis agitur hominibus sive de sodalitatibus. Possunt, si volunt, ad hanc novam regulam suos componere mores. Sed verba, ut sonant, intelligantur et excipiantur, oportet. Iamvero, si haec norma cum oboedientiae voto conferatur, non eiusdem summi est pretii neque illud Sacrae Scripturae effatum praeclarumque exemplum ex-

primit: « Humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem »[4].

Fallit et fallitur igitur qui de religioso statu capessendo consilium petendi solummodo illam normam vel opinationem sequendam profert atque eius animi proclivitatem et divinae gratiae instinctum perperam negligit. Quocirca, si Dei vocis invitamentum certo indicio aliquem ad evangelicae perfectionis culmen arcessit, qualibet amota haesitatione, celsi huius propositi perficiendi causa, ei proponatur libertatis libera immolatio, prout oboedientiae votum exposcit, votum, inquimus, quod Ecclesia per tot saeculorum decursum perpendit, experta est, definivit, comprobavit. Nemo invitus ad huiusmodi devovendi se studium propellatur; sed si is velit, nemo sit, qui eum dehortetur, nedum detineat.

## IV

Haec hactenus. Nunc de externis operibus deque intima vita aliquid animus Nobis est eloqui. Pauca, quae ad regularem vitam et generatim ad religiosam vitam pertinent et quae revera gravis sunt momenti, fusius quam haec quaestio pertractata sunt. Nihilominus hoc super argumento et Nostram volumus proferre sententiam.

Non casu siquidem evenit, ut in nostram incideret aetatem ortus et conflatio illius philosophiae, quae « existentialismus » vocitatur. Homines enim qui hodie vivunt, cum eventus rerum arduas exsolvendas metaphysicas et religiosas quaestiones adducunt, libenter, negligentes altiora, satis esse sibi rentur agere quod hic et nunc agendum est. Iamvero qui sanctam profitetur fidem, renuit, ex eiusmodi placitis, solummodo singula puncta temporis curare et vitae fluvio praecipitem se tradere. Novit ipse

[4] *Phil.* 1, 8.

ea quae non apparent [5] summe esse aestimanda summeque vera et ita in posterum mansura, ut numquam sint occidua. At — proh dolor — quamvis monita et hortamina non defuerint, etiam ecclesiastici viri, religiosis non exceptis, haud paulum huiusmodi contagione affecti sunt; et, quantumvis quod humanos sensus cunctamque naturam exsuperat non denegant, id tamen parvipendunt.

Quod in discrimine graviter et periculose erat, estne iam devictum? Deo agantur grates, nam sperare hoc licet: aliqua, quae oculis intuemur et quae vitae usus prodit, hanc Nobis fiduciam iniciunt.

Possunt una simul foederari operosissima navitas et intimae vitae quaesitae divitiae. Duo sidera, quae in regularis vitae cultu fulgent, luculentissime hoc demonstrant: S. Franciscus Xaveruis et S. Teresa a Iesu.

Alacris operositas et intimae vitae cura non solum expostulant mutuam coniunctionem, sed, saltem ad aestimationem rei et ad voluntatem quod attinet, ut eae pari gradu et gressu procedant. Ferventibus igitur operibus, congruenter ferveant fides, preces, se suaque Deo devovendi studium, intemeratae conscientiae nitor, oboedientia, malorum patientia, Deo et proximis impendenda actuosa et pervigil caritas.

Hoc non tantum singulis religiosis sodalibus valet, si tales ipsi sunt non solum habitu, sed animo, verum etiam integrae quoque religiosae sodalitati causa est, cur coram Deo et hominibus religiosa vita solide fulciatur et amplissima probatione sit digna. Hoc instanti rogatu poscit a vobis Ecclesia, ut externum opus vestrum congruat intimae vitae vestrae et haec duo adsiduam invicem aequilibritatem constituant. Nonne vos, clerici et laici, profitemini vos evangelicae perfectionis statum amplecti? Si ita est, eiusdem status progignite fructus, ut mysticum corpus Christi, quod est Ecclesia, e robore et calore ves-

[5] Cfr. *Hebr.* 11, 1.

tro efficentiores hauriat vires. Haec eadem causa fit, ut religiosi Ordines contemplativae vitae addicti aliquo modo Ecclesiae necessarii sint, cui iidem perpetuum decus exstant et caelestium scatebra gratiarum.

Scitis profecto effundi sermonem, caritatem erga proximos paulatim religiosam naturam amittere et saeculo mancipari (*laicizzare*). At beneficientia, quae nullum a fide principium ducit, sed aliunde scaturit, caritas non est neque catholica apellari potest. Habet caritas dignitatem, habet afflatum, habet vires, quae simplici philanthropiae, etiam opibus et praesidiis praeditae, desunt. Ita, Catholicae religiosae sodales, quae aegrotis adsunt, si comparentur cum iis, quae idem munus exerceant solummodo humanitatis vel mercedis causa, quidpiam habent, quod aliud est et maius est. Possunt interdum aliis cedere ad technica praesidia quod attinet; et nunc quoque eas adhortamur, ut, hac in re aequo cum illis progrediantur pede, imo ut illas praemineant. Verumtamen ubi suam dant operam religiosae sodales, in quibus vitales spiritus ipsarum Instituti insideant, cotidie paratae ob amorem Christi suam dedere vitam pro iis qui infirmitate laborant, tum aura quaedam circumfunditur, ubi virtus mira efficit, quae nec technica inventa nec medicina pariunt.

Religiosi igitur Ordines et Congregationes activam profitentes vitam in oculis ferant et colant ea omnia, ex quibus operi suo sacra lineamenta eluceant et in penetralibus conscientiae mundae Sancti Spiritus ignem alant.

## V

Dilectissimi Nobis, volumus etiam breviter attingere de studio religiosorum Institutorum mutatis temporibus sese accommodandi et pulchro foedere simul nova et vetera iungendi.

Si iuvenes haec audiunt « oportet nostrae esse aetatis », « oportet ausus nostros aetati nostrae aequare » insolito animi ardore flammescuunt et, si religiosae militiae sub signis merent, eo summopere cupiunt futuri religiosi laboris molimina convertere. Quod quidem aliqua ex parte aequum est. Plerumque enim contigit, ut legiferi patres religiosorum Institutorum novum suum excogitarent opus, quo emergentibus neque moram patientibus Ecclesiae necessitatibus vel muneribus occurrerent; itaque cum suo tempore sua exaequabant incepta. Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt, ita et vos agite. Aequalium vestrorum, inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis.

At est Ecclesiae patrimonium, quod iam ab eius primordis indemne est, quod labentibus aevis non variatur, humani generis necessitatibus et votis congruentissimum: pars eius praecipua catholica fides est, quam quidem contra nova pericula recens quoque per Encyclicas Litteras « Humani generis » Nos tutati sumus. Quam, nullo temeratam naevo, diligentissime servantes, hoc persuasissimum habete ei inesse perquam pollentes vires, quibus quodlibet valeat informare aevum.

Finis praeterea status perfectionis pars est eiusdem patrimonii, quae quidem vobis summo consequenda est studio, ut eius praesidiis et viis sancti efficiamini et sanctos quoque, directo aut indirecto opere, efficiatis proximos, ut ii, divinae gratiae uberius usque participes, pie vivant et pie moriantur. Hoc ipso patrimonio continetur veritas, ita celsa, ita praecipua, ut unum reputetur iter ad perfectionem abnegatio sui ipsius ob Christi amorem. Id autem nullo modo ea, quae mutantur, tempora mutant.

Attamen sunt, et multa quidem, rerum adiuncta, ubi potestis et debetis hominum et temporum ingenio et ne-

cessitatibus obsecundare. Hoc ceterum, haud parva ex parte, iam effectum est, ac nunc, collatis consiliis et propositis vestris, plane cumulateque perficitur. Haud pauca autem vestra laudabiliter iam novata esse ex iis multigenis patet, quae in scholis, quae educandorum iuvenum causa, quae ad miserias hominum leniendas, quae ad doctrinas colendas et provehendas vel singillatim vel per Instituta vestra agitis. Quapropter fatendum est, neque quisquam assertum Nostrum infitiari potest, magnam iam assurgere operis molem, ut mutatis temporibus nove apteque occurratis.

Attamen in ista, quam exquiritis, congruentia cum mutatae aetatis necessitatibus iudicio Nostro summopere interest, ut sagaci indagatione investigetis, quid spiritualium virium in aequalibus lateat, quibus abditis desideriis ii ferantur, quinam iisdem sincerus sit animi vultus. Non illum intelligimus vultum, qui damnanda et exprobanda prodit, qui cupidinum tumultus et venena vitiorum exprimit. Attamen in hominibus, utpote hominibus et, eo vel maxime, utpote christianis, etsi deerrant et noxiis implicantur, inest haud parum boni, inest optatum maioris boni. Hisce a vobis obsequendum est motibus, hisce occurrendum est votis, cauta autem habita ratione, ut non accipiatis a saeculo, quod triste et iniquum id tenet, sed ei vestrum inseratis quod probum et sanctum sit et salubribus illius impulsionibus consonum. Quod igitur in aliis timide bonum est curantes, expolientes, augentes, ex eo veluti ex auri particulis pretiosa fingite vasa, ex eo veluti ex rivulis deducite amnes.

Censent quidam, nec fortasse perperam, tria esse, quae aetatis nostrae indoli et propensioni quam maxime respondeant: in cogitando et deliberando latitudo, in ordinando et componendo unitas, in agendo celeritas. Nonne haec tria etiam Evangeliis notae et insignia sunt, nonne dotes sunt eorum qui catholicam fidem ore et moribus profitentur? Quaenam maior latitudo cogitantibus nobis

expandi potest quam latitudo, quae Apostoli effato profertur: « Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei »? [6] Quaenam astrictior in comprehendendo et amando unitas quam illud simplex et unum, Divinarum Scripturarum verbis declaratum: « Deus omnia in omnibus » [7]. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua ... Diliges proximum tuum tamquam teipsum »? [8]

Ut simus autem agiles et vividi, nulla caducarum rerum nocenti recordatione detenti, illud monet: « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei » [9]. Quodsi vultis suspicere exemplaria virtutis, in quibus hae tres eluxere laudes, recogitate vobiscum ad Paulum Apostolum et ad omnes, qui in Ecclesia Christi egregia et immortali memoria digna patrarunt.

Iamvero proposita, quae vobis in contemplatione et actione vitae praefulgent, itemque ea, quae ceteri Ecclesiae filii, sacerdotes et laici, assequi debent, sunt christiana perfectio et humani generis comparanda salus. Verumtamen vestrum est efficientissimis uti praesidiis, evangelicis nempe consiliis per religionis votorum nuncupationem, ut adsiduo bello concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae [10] edometis atque inde sanctiores usque evadatis et in procuranda humanae subolis salute alacres Dei administri sitis. Ad haec celsa attingenda cogitationes et opera convertite, et « in caritate radicati et fundati » [11] fidei robore solidati, humilitate locupletes, nullam praeterlabi sinite occasionem, ut

---

6 *I Cor.* 3, 23.
7 *I Cor.* 15, 28.
8 Marc. 12 28-34.
9 Luc. 9, 62.
10 Io. 2, 16.
11 *Eph.* 3, 17.

homines, fratres vestros, ad Creatorem, Redemptorem, quasi erraticas oves ad Pastorem, deducatis.

In exemplum fidi et fideles, facite, ut in vobis nomini consonent mores, congruat professionis tota ratio vitae. Secundum illud Apostoli gentium: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis » [12]: pax regnet in vobis et inter vos, inter eiusdem nempe Instituti et domus sodales, et cum iis, qui ad alia Instituta sunt cooptati; inter vos et omnes alios, qui vobiscum operantur et cum quibus vos operamini ad homines Christo lucri faciendos. Facessant istinc controversiae et discordiae, quae enervant et manca reddunt etiam spei plena incepta: Ecclesia, ut apostolico labore exercendus campus, in immensum patet, operis et sudoris copia nemini deest.

Si fides hominis religiosi exemplis fulta erit vitae, cuius contextus votorum adamantea fulgescat observantia, si sacerdoti nihil grave et arduum erit in curanda animorum salute, tum de ipsis hodie quoque valebit quod Apostolus de sermone Dei praedicat, qui « visus est ... et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » [13]. Ut exemplo utamur, recens monuimus fideles ut calamitosa hac aetate, qua afflicta multorum fortuna et lacrimabilis inopia cum immodicis sumptibus acriter pugnant, velint temperanter vivere ac liberales esse in proximos, egestate pressos. Agite, ceteris in tam instanti perfectionis christianae, iustitiae et caritatis opere exemplis vestris praecellite eosque ad imitandum Christum inducite.

Plurimum denique optantes, ut Domini nostri Iesu Christi opifera gratia e Conventu vestro divites et diu mansuros fructus egignat, benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem vobis, qui coram adstatis, et religiosis familiis, quae toto orbe terrarum sunt, amantissime impertimus.

---

[12] *Eph.* 4, 3.

[13] *Hebr.* 4, 12.

## Annotationes

Summus Pontifex, commemoratis opportunitate et necessitate Congressus membris qui ad Eum venerant ut Apostolicam Benedictionnem exposcerent quinque haec puncta loquendo tractavit:

1. *Locus Ordinum et Congregationum Religiosorum in Ecclesia hierarchica.*

Divino iure clerici distinguuntur a laicis. Inter has duas partes intericitur status vitae religiosae qui ecclesiasticae originis est. In eo religiosus ad sanctitatem assequendam progreditur itinere omnino suo et excellentioribus auxiliis fultus.

Tum clerici tum laici religiosi esse queunt quemadmodum tum religiosi tum ii qui tales non sunt possunt clerici fieri.

Neque peculiaris forma cleri saecularis iuris divini est neque a divino iure manat peculiaris forma cleri regularis. Errat igitur qui putet formam cleri saecularis qua saecularis a Christo esse institutam. Errat itidem qui censeat clerum religiosum qua religiosum e clero saeculari ut tali derivari eique secundarium atque auxiliarem esse.

Haud dubie sacerdos sive saecularis sive regularis in muneris sacerdotalis exercitio Episcopi auxiliator est eique subest. At evenire potest ut in aliquo loco universus clerus non excepto Episcopo sit religiosus quod si acciderit, spectata sacrae procurationis natura nec extra ordinem est nec tantum ad tempus ita ut de se simul ac fieri possit locus cleri saecularis procurationi sit tradendus.

Quod Ordines Religiosi sint exempti neque repugnat Ecclesiae constitutioni neque legi qua sacerdos Episcopo

subici debet. Nam religiosi exempti et loci Episcopo obediunt quantum episcopale munus perfungendum et animarum cura requirunt et semper ac ubique subiciuntur Romano Pontifici et quidem vi voti oboedientiae etiam ut supremo eorum moderatori qui — quod numquam oblivioni tradi potest — in singulos christifideles et in unamquamque dioecesim ordinariam et immediatam habet iurisdictionem.

2. *Quaenam sit ratio qua clericus ut clericus est et religiosus prout religiosus ad perfectionem contendere debet.*

Status clericalis qua talis et ut e divino iure profluens neque ob suam naturam neque ob eius naturae postulatum requirit ut eius sodales evangelica consilia servent. Ideo clericalis dignitas perfectionis adquirendae status apellari nequit.

Clericus utpote talis non devincitur consiliis paupertatis, castitatis et oboedientiae vi iuris divini; si religiosus sit his consiliis obligatur ex votis quae publice nuncupavit cum statum religiosum cepit.

Quare clericus regularis non qua clericus sed qua regularis seu religiosus statum evangelicae perfectionis profitetur.

Quod si forma vitae Saecularium Institutorum propria vocanda est status perfectionis quia eorum sodales aliquo modo adstringuntur ad evangelica consilia observanda tum, si clerici sint, in statu perfectionis adquirendae sunt non ut clerici sed ut Institutorum membra.

3. *De motivis propriis Status Religiosi ut quis eum amplectatur.*

Status Religiosus si eius natura et finis spectentur, nequit dici quoddam tantum salutis refugium timentibus et anxiis oblatum qui cum non valeant vel nesciant

vel nolint saeculi procellas et difficultates sustinere imbecillitate ducti ei valedicunt et in Religionis portum confugiunt. Propositum in Religionem ingrediendi et in proposito suscepto constantia, quemadmodum propositum sacerdotii ineundi magnos spiritus postulat.

Ecclesiae historia docet haud minus in religioso statu quam in quolibet alio vitae statu viros et mulieres invictae et generosae virtutis floruisse. Accedit quod religiosi viri et religiosae feminae qui e. c. in exteris missionibus desudant, aegrotis adsunt, adulescentes educant, in scholis vitam profundunt nullo pacto ab hominum societate abscedunt aut ei valedixerunt.

Sane; numerus candidatorum — inter adulescentulas praesertim — ad religiosum statum in dies minuitur quia nimis durum aestimatur proprium arbitrium libertatisque potestatem deponere ut oboedientiae votum natura sua requirit. Utique extant nonnulli qui tamquam excelsam perfectionis formam et novum sanctitatis fundamentum extollunt hanc normam: coartetur libertas quoad necessarium sit; libertati habenae relaxentur quantum fieri possit.

At hi profecto naturam evangelici consilii oboedientiae ignorant eiusque significationem detorquent.

Nemo quidem tenetur ut sibi praestituat consilium perfectae oboedientiae et potestatem propriae libertatis abdicet. Tamen si illa norma cum oboedientiae voto comparetur oun eiusdem summi pretii est longeque distat ab illo praeclaro Scripturae effato atque exemplo: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem » (Phil. I. 8).

Qui consilium de religioso statu eligendo petenti solum illam libertatis non abnegandae normam offert fallit et fallitur.

Nemo invitus ad proprii arbitrii immolationem adducatur, sed eum qui id facere velit nemo dehortari nedum detinere audeat.

4. *De operibus externis et de vita interiori in religiosis.*

Hodie homines libenter negligentes altiora, « ea quae non apparent » (Heb. XI. 1.), putant satis esse sibi si agant quod hic et nunc agendum est. Hinc praesentia, singula temporis momenta curant et vitae fluvio praecipites se tradunt.

Etiam ecclesiastici viri, non exceptis religiosis, etiamsi superna non denegant, sese periculo committunt huius haeresis actionis.

Possunt tamen una simul coniungi operosissima navitas et interioris vitae divitiae, uti S. Franciscus Xaverius et S. Theresia a Iesu luculenter demonstrant.

Imo; alacris operositas externa et intimae vitae studium non solum postulant coniungi sed etiam saltem quantum ad aestimationem et propositum refert pari gradu procedere debent.

Ecclesia igitur expostulat a religiosis ut ferventibus eorum operibus congruenter ferveant fides, oratio, se suaque Deo soli dovendi studium, conscientiae puritas, malorum patientia, Deo et proximis impendenda actuosa et pervigil caritas. Si religiosi sunt quod esse profitentur, tunc et singulorum vita et religiosae eorum sodalitates et ipsa religiosa vita coram Deo et hominibus amplissima probatione dignae fiunt.

Hac eadem causa Ordines contemplativi aliquo modo Ecclesiae necessarii sunt cui et decus perpetuum et caelestium fons gratiarum manent.

Religiosae sodales quae aegrotis adsunt possunt interdum, iis quae dem munus exercent humanitatis vel mercedis causa, in technicis praesidiis seu mediis cedere. Habent tamen quidpiam quod aliud et maius est quam quod illae habent. Opera religiosarum in quibus proprii Instituti spiritus viget, quae ob Christi amorem semper paratae sunt vel ipsam vitam perdere pro iis infirmis

quibus adsunt, aura quadam circumfunditur ubi virtus efficit quae nec medicina nec technica auxilia pariunt.

Tandem Ordines et Congregationes omnes vitae activae amare debent et fovere ea omnia quae operi suo indolem sacram dabunt.

5. *De studio religiosorum Institutorum mutatis temporibus sese accomodandi et simul nova et vetera iungendi.*

« Oportet nostrae esse aetatis », en verba quae iuvenes religiosos, ut ex aliqua parte iustum est, movent atque inflammant.

Abs dubio Patres Institutorum ut novis ecclesiae necessitatibus occurrerent operam inceptaque sua suae aetati accomodare studuerunt.

Religiosi itaque si patriis insistere velint quemadmodum illi egerunt agant oportet.

At est Ecclesiae patrimonium quod fluentibus temporibus non variatur et quod omni aetati est congruentissimum. Eius sunt partes *a.* fides catholica quae intemerate et diligentissime servata vires habet perquam sufficientes ut omnes homines cuiuscumque aetatis informare valeat. *b.* Finis status perfectionis quem religiosi summo studio prosequi debent: se ipsos sanctificare aliosque directe vel indirecte sanctos efficere. *c.* Unum ad perfectionem iter reputare sui abnegationem propter Christi amorem.

Restant multa in quibus sodales religiosi possunt et debent se ad indolem et necessitates hominum ac temporum accomodare. Qua in re perficienda summopere investigentur oportet quaenam sint proximorum spirituales vires quibusnam ii desideriis ferantur. Omnes homines qua homines, praesertim vero ut christiani, multum boni habent et quamvis deerrarint maius bonum desiderant. His obsequendum est motibus, cauta tamen ra-

tione ut illis infundatur quantum sancti et probi religiosis inest quin a saeculo accipiatur quod id triste et iniquum tenet.

Aiunt tres extare praecipuas aetatis nostrae proprietates: amplitudo mentis, comprehensio voluntatis et cordis, celeritas in agendo .

Haec sunt evangelica insigna eorum qui catholicam fidem ore et factis profitentur, laudes in quibus eluxerunt Paulus Apostolus et omnes qui in Ecclesia, egregia et immortali memoria digna, patrarunt.

In extrema allocutione postquam recensitas quaestiones tam praeclare et tanta cum auctaritate tractasset, ut sperare liceat quasdam opiniones vel intra ipsam Ecclesiam evulgatas de Statu et natura perfectionis a nemine in posterum esse sustentandas, Christi Vicarius adstantes eorumque religiosas familias adhortatus est ut se ad perfectionem et animarum salutem consequendam devoverent observantia votorum et regularum, continua concupiscentiarum dimicatione, humiles, caritate locupletes, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo paacis » (Ephes. IV. 3), quae regnare debet in illis et inter illos, inter eiusdem Instituti et domus sodales, et cum aliorum Institutorum religiosis, inter eos et omnes alios qui cum eis operantur et cum quibus ipsi cooperantur ad homines Christo lucri faciendos.

Michael Fábregas, S. J.

## 13 - Sacra Romana Rota

Coram R. P. D. Dino Staffa, Ponente

ROMANA

N. 4385

Null. Matr.

---

Sententia definitiva diei 23 februarii 1951

*De Bono prolis*

In jure. — Legimus in Sententia impugnata: « In re matrimoniali *jus* coniugale essentialiter in se continet *usum* juris: nam uxor, quae excludit usum iuris pro marito, excludit jus coniugale. Insuper in doctrina quae distinguit inter jus et usum iuris et inter exclusionem totalem et partialem prolis, habetur petitio principii. Huiusmodi auctores dicunt: matrimonium est validum, si solummodo *usus* iuris excluditur, non autem *jus;* matrimonium est validum si solummodo partialiter proles excluditur. Sed tota quaestio haec est: estne matrimonium validum, et quidem vi iuris naturalis, si usus iuris excluditur, si proles partialiter excluditur? Si probatum est tale matrimonium esse validum, tunc possumus utique distinguere inter jus et usum iuris et inter exclusionem totalem et partialem. Sed talem probationem hucusque nemo posuit: immo Signatura Apostolica matrimonium cum partiali exclusione prolis declarasse nullum constat ex actis - *S. R. R. Decisiones,* vol. XVII, p. 141, nota 1 - ».

Distinctionis probatio inter jus et usum iuris relate ad actus vere coniugales, naturali ipso rationis lumine praebetur et communi constantique sententia Doctorum,

ita ut non absque admiratione quosdam Judices Ecclesiasticos errori videantur favere quo iuri naturae vis infertur, principium concutitur quo judicia in hac re inniti debent et normae evertuntur, quibus amotis coniugale consortium plerumque in discrimen verteretur.

Jus ex matrimonio profluens ad actus vere coniugales, inter iura subiectiva numeratur. Jus subiectivum communiter definitur: « facultas moralis inviolabilis ordinandi quaedam ad proprium finem, seu quaedam habendi, faciendi vel exigendi » (F. X. Wernz, Jus Decretalium, ed 3ª, I, n. 45. Cfr. etiam F. Suarez, Tractatus de legibus, Lib. I, c. 2, n. 4. I. De Lugo, De justitia et jure, Disp. I, sect. I, jus reale definit « praelationem quamdam moralem, qua hic homo praefertur moraliter aliis in *usu* talis rei, propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo ». Ex definitione juris subiectivi eruitur illam facultatem moralem, in qua jus subiectivum consistit, ab eius usu distingui, quo ipsa facultas deducitur in actum. Distinctio enim inter jus subiectivum, et eius usum seu exercitium, in re nostra habetur ad instar distinctionis inter potentiam et actum pro philosophis. Dum facultas, in qua jus subiectivum consistit, moraliter inviolabilis est, eius usus impediri, recusari, intermitti potest, imo pluries usus juris continuus seu absque interruptione impossibilis est; sicut suspendi, ita usus renuntiari vel omitti valet per aliquot actus vel ad tempus determinatum vel ad tempus indeterminatum vel etiam semper: iuri enim non obstat eodem non uti sed eodem uti non posse.

Quia distinctio inter jus et usum habetur quotiescumque jus subiectivum habeatur, pluries necessario etiam in nostro Codice innuitur (cfr. e. g. cann. 89, 103, 105, 118, 161, 164, 1649, etc.); clarissime vero in can. 1081 § 2, quo consensus matrimonialis definitur: actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat « *jus* in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad *actus* per

se aptos ad prolis generationem ». Jus, ergo, quod consensu matrimoniali traditur, est jus subiectivum seu facultas quae habet suum obiectum ad quod ordinatur et quod consequenter ab ea distinguitur: actus nempe per se aptos ad prolis generationem. Distinctio inter jus, quod consensu matrimoniali traditur et acceptatur, et usum iuris, seu actus proprie coniugales, ita realis est, ut contrahentes valeant hoc jus sibi invicem tradere, ideoque contractum matrimonialem valide inire, etiamsi neuter iure sic acquisito uti velit (Beata Virgo et Sanctus Joseph vero matrimonio iuncti sunt, quamvis ex divina revelatione Maria novisset numquam iure suo Castissimum Sponsum usurum: cfr. Th. Sanchez, De Sancto Matrimonii Sacramento, L. II, disp. XXIX, n. 4, ubi citatur et F. Suarez), aut alteruter obligationi ita assumptae saltem ad tempus satisfacere non intendat. Verum est ergo jus, ex matrimonio profluens, natura sua ad actus vere coniugales ordinari; sed falsum est « jus coniugale essentialiter in se continere usum iuris ». Attamen, ut notum est, « indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possunt; et inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate » (*Summa Theologica,* suppl. p. III, q. XLIX, a. 3); distinctio ergo inter jus et usum quoad perpetuitatem contradictionem involvit, quia perpetuitas etiam unico actu contrario penitus cessat.

Distinctionis probatio inter jus et usum relate ad actus vere coniugales, nedum e textu Codicis, quem retulimus, et ex iure naturali deducitur quo innituntur supra allata argumenta, sed etiam ex doctrina communi et constanti Theologorum et Canonistarum. Sufficiat recolere textus ex. gr.: *S. Thomae* (*Summa Theologica,* suppl. p. III, q. XLIX, art. 3), Th. Sanchez (*De Sancto Matri-*

*monii Sacramento,* L. II, disp. XXIX, nn. 11-12, ubi alii citantur); B. Pontii (*De Sacramento Matrimonii,* L. I, cap. XVI-ss.); L. Billot (*De Ecclesiae Sacramentis,* Romae, a. 1930 Tom. II, p. 339 ss.); F. X. Wernz-*P. Vidal* (*De Matrimonio,* Romae, 1928, n. 28 cum aliis ibi citatis); P. Gasparri, (*De Matrimonio,* ed. a. 1932, nn. 8, 898 ss. et alii ab eo citati); F. M. Cappello (*De Matrimonio,* ed. a. 1947, nn. 16, 631), etc.

Cum doctrina citata consonat jurisprudentia universa, etsi in aestimatione facti aliquando Judices fuerint discordes.

Judices appellati provocant ad sententiam S. R. Rotae diei 14 martii a. 1924 c. *Chimenti* (*Decisiones S. R. Rotae,* vol. XVI, pp. 106-113) et ad decretum Signaturae Apostolicae diei 26 julii a. 1926 (*Decsiones S. R. Rotae,* vol. XVII, p. 141, nota 1). At Sententia Rotalis diei 14 martii a. 1924 coram *Chimenti* nullimode excludit distinctionem inter jus et usum iuris, imo eandem explicite confirmat, distinguens in iure intentionem non se obligandi « ab intentione obligationes non implendi, quae intentio, ad bonum fidei et prolis quod est, non obstat validitati matrimonii » (*Decisiones S. R. Rotae,* l. c. p. 108, n. 3); distinctionem repetit in facto (ibid. p. 112, n. 8) et concludit: « confirmatur, Elisabeth, cum matrimonium contraxit, exludere voluisse essentialem *obligationem* et non tantum eius exsecutionem in ordine ad procreationem prolis » (ibid. p. 113, n. 9). Memorata sententia Rotalis reicit e contra distinctionem inter jus *radicale et usum* iuris. Sicut enim distinguitur bonum prolis radicale seu in suis principiis seu in jure, et bonum prolis in actu seu in exsecutione, ita quidam inter Decessores nostros et hodiernos scriptores distinxerunt jus radicale ab eius usu. Sententia citata merito improbat hanc loquendi rationem, quia jus ad actus vere coniugales species non habet, distinctiones non admittit inter jus radicale et non radicale, ideoque: « arbitraria videtur, cum

Codex dicat sufficere ad nullitatem matrimonii ut excludatur jus. Est quoque confusionis conciliatrix, cum per eam jus ad coniugalem actum dividi videatur in ignota genera » (*Decisiones S. R. Rotae*, l. c. p. 108). Decretum vero Signaturae Apostolicae diei 26 julii a. 1926, nullum argumentum praebet ad distinctionem negandam inter jus et usum. Hoc decreto decisa fuit a Supremo Tribunali causa *Harlemen. Nullitatis Matrimonii*, inter Franciscum et Elisabeth.

Post sententiam Tribunalis primae instantiae, qua edicebatur non constare de nullitate matrimonii ob exclusum bonum prolis, res delata fuit ad N. S. T. in quo ter pertractata fuit: prima sententia Rotalis, diei 29 aprilisa. 1922, c. Parrillo, antecedentem confirmabat; altera, diei 14 martii a. 1924, c. Chimenti, decernebat e contra constare de nullitate matrimonii; tertia, diei 23 martii a. 1925; c. Jullien, lata fuerat pro vinculo.

Quamvis diu causa agitata sit, numquam contradicta fuit distinctio inter jus et usum, prout eruitur e sententiis citatis et iam editis (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. XIV, a. 1922, pp. 119-132; vol. XVI, a. 1924, pp. 105-113; vol. XVII, a. 1925, pp. 129-141), et ex recursu a Patronis interposito, die 21 decembris a. 1925, ad Signaturam Apostolicam: « Il punto controverso sta nel vedere se questo proposito escludesse lo jus ad prolem o solo l'uso di quel diritto, essendo noto che nel primo soltanto, e non nel secondo caso, il consenso si ritiene viziato e quindi il matrimonio nullo ». In relatione autem ex officio, pro Plenaria sessione confecta, principium juris enuntiatur iisdem verbis quibus usa fuerat sententia coram Jullien, et additur: « Jamvero circa hoc principium juris nullum dubium, nulla controversia ... Quaestio est circa practicam applicationem eiusdem principii quod attinet ad consensum matrimonialem praestitum a muliere conventa, ratione habita propositi ab eadem actori manifestati, ab eodemque admissi: excludendi nempe in

sexualibus relationibus procreationem prolis. Etenim si probaretur ream conventam hanc conditionem *sine qua non* apposuisse in matrimoniali consensu, et exclusisse jus ad prolem, conseusus ipse vitiatus esset, matrimoniumque nullum. Quod si mulier, assentiente quidem viro, non *jus* ad prolem excludere voluit, sed *usum* tantum eiusdem juris, et quidem ad tempus; et magis si hoc per modum desiderii vel etiam simplicis propositi ostendit, nec idem voluit quasi conditionem *sine qua non*, locus non esset nullitati matrimonii. Divergentia quidem sententiarum S. Rotae nititur huic diverso iudicio circa consensum a muliere praestitum. Prima enim ac tertia sententia retinent mulierem non exclusisse jus ad prolem, nec hanc exclusionem quasi conditionem *sine qua non* voluisse; secunda vero Rotalis sententia, c. Chimenti, innititur partiali simulatione consensu ab E. praestiti, quae jus ad prolem perpetuo excludere voluit, qua exclusione eiusdem consensus matrimonialis vitiatus fuit, ideoque matrimonium nullum ». EE.mi PP. Cardinales Signaturae Apostolicae in sessione Plenaria decreverunt constare in casu de nullitate matrimonii, at Litterae quibus de hac decisione certior facta fuit S. Rota, de distinctione inter jus et usum mentionem non faciunt; neque verbum de hoc invenitur in decreto extante apud Supremum Tribunal, neque in sententia quae ab eodem neque edita neque umquam exarata fuit. Patet inde quanti facienda sit doctrina quae, validis argumentis non suffulta, defectui eorum quocumque medio supplere conatur. Si distinctio inter jus et usum ab Apostolica Signatura revera fuisset impugnata, plurimae causae in nostro foro aliter postea resolutae fuissent, aut saltem ab advocatis delatae ad praefatum Apostolicum Tribunal.

Tam aperte, necessario et evidenter contra rationem, traditionem et jus positivum verba appellatae sententiae pugnant, ut aliud prorsus intellexisse ominemur, imo opinemur eorumdem Auctorem, quam ipsa verba signifi-

cent. Eadem nihilominus, etsi aegro animo, refutare debuimus, tum quia « nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit » (D. XXXIII, 10, 7, 2) cum ne in exemplum transeant. Forte appellati Judices ita dicere volebant: jus ad actus vere coniugales ex consensu matrimoniali oritur; si consensus limitatur, limitatur et jus; quoties ergo constet de vera consensus coniugalis limitatione, inutile est inquirere utrum tantum usus vel etiam jus limitatum sit: limitatio enim vel exclusio juris, necessario secumfert usus limitationem vel exclusionem. Si talis tamen fuit revera Judicum mens, statim patet vel obiter legenti quam inepta ratione fuerit expressa.

## Nova Documenta S. C. de Religiosis circa Institutum Monialium

Die 7 martii 1951, S. C. de Religiosis Litteras misit tam ad Romani Pontificis apud Nationes Legatos, quam ad Superiores Generales Ordinum Regularium sub quorum oboedientia Monasteria Monialium habentur, circa executionem eorum quae in Constitutione Apostolica « Sponsa Christi » et in Instructione eiusdem Sacrae Congregationis, d. d. 23 novembris 1950 continentur.

*Substantia* utriusque Epistolae eadem est ,imo et tenor, si pauca verba excipiantur [1].

*Scopus* autem duplex apparet:

1. — Procurare ut novissimae Normae Sedis Apostolicae, quae in praefatis documentis continentur, integre et secundum genuinum spiritum ad ipsas Moniales perveniant, praesertim:

*a*) de ratione procurandi iustam evolutionem et progressum in Instituto Monialium;

*b*) de perenni valore vitae contemplativae, deque eius in Ecclesia integra conservatione;

*c*) de votis sollemnibus reinstaurandis;

*d*) de vita apostolica, diversimode tamen, fovenda;

*e*) de foederatione Monasteriorum;

*f*) de labore monastico.

2. — Tribuere ipsi Sacrae Congregationi, ex relatione facta, tam a Legatis quam a Superioribus Generalibus, elementa ex quibus constare possit:

*a*) An opportune et sufficienter expositae fuerint Normae Sanctae Sedis apud singula Monasteria;

---

[1] Ideo dabimus tantum textum Epistolae ad Legatos Romani Pontificis, additis ad calcem quae peculiaria sunt Epistolae ad Superiores Generales. Litterae *cursivae* in Epistola ad Legatos, indicant ea quae in Epistola ad Superiores mutantur.

*b*) quo modo accepta fuerit haec expositio;

*c*) quaenam inde bona in singulis monasteriis sperare licet;

*d*) quaenam difficultates ex hac explicatione et applicatione Normarum exsurgere possint.

*Momentum* harum Litterarum, duplex nobis videtur:

1. - Auctoritative exponunt spiritum Constitutionis Apostolicae « Sponsae Christi » et adnexae Instructionis, prout a Monialibus debet intelligi [2].

2. - Efficaciter curat ut executio urgeatur, non tamen praepropere et coece, sed ita ut diversitatem circumstantiarum in specie considerantes, ad eamque attendentes, Normae Sedis Apostolicae opportune adaptari valeant.

PETRUS M. ABELLÁN, S. I.

*Textus Epistolae ad Legatos Romani Pontificis.*

SEGRETERIA
DELLA
SACRA CONGREGAZIONE
DEI RELIGIOSI

li, 7 marzo 1951.

*Eccellenza Reverendissima,*

Sua Santità ha affidato alla Sacra Congregazione dei Religiosi l'incarico di curare l'esecuzione della Costituzione Apostolica « Sponsa Christi » del 23 Novembre 1950 e degli Statuti generali in essa contenuti miranti a pro-

---

[2] Laeto animo cernimus Commentarium nostrum, in praecedenti fasciculo p. 78-110 editum, Pontificia documenta exposuisse eodem sensu quem nunc Sacra Congregatio authentice declarat.

muovere il maggior bene dei Monasteri di Monache (Moniales).

Per corrispondere appunto al mandato del Santo Padre la S. Congregazione fiduciosamente ricorre, ora, all'opera dell'E. V. Rev.ma, ben certa di trovare in Lei tutta la collaborazione *richiesta dal bene dei Monasteri nel paese dove V. E. così degnamente rappresenta Sua Santità* [3].

La S. Congregazione giudica, anzitutto, di grande importanza che la Costituzione Apostolica « Sponsa Christi » e l'Istruzione della medesima S. Congregazione, contenute in *A. A. S.*, a. XXXXIII, n. 1, p. 5 ss. vengano fatte conoscere ai singoli Monasteri di Monache in maniera che esse possano comprendere tutto l'amore che la Chiesa nutre per esse e la cura che di esse ha, perchè il loro stato di vita sia difeso e favorito con quegli opportuni miglioramenti che l'esperienza e lo stato presente della vita religiosa suggeriscono.

I. - *Per questo la S. Congregazione prega V. E. Rev.ma di voler dare incarico agli Ecc.mi Vescovi perchè curino la presentazione e spiegazione dei suddetti documenti ai Monasteri di Monache dipendenti dalla loro giurisdizione* [4].

---

[3] ... richiesta dal bene delle Monache che dipendono dell'Ordine cui la P. V. Rev.ma presiede.

[4] Per questo la S. Congregazione prega V. P. Rev.ma di voler dare incarico ai Rev.mi Superiori Regolari da cui i Monasteri dipendono, perchè curino la presentazione e spiegazione dei sudetti documenti pontifici ai Monasteri di Monache da loro dipendenti.

Mi è grato comunicare alla P. V. Rev.ma che per l'Italia, Roma eccettuata, sarà suo compito curare la presentazione e spiegazione dei due documenti anche ai Monasteri di Monache del suo Ordine che dipendono dagli Ecc.mi Ordinari di luogo, purchè gravi ragioni non inducano gli Ordinari a disporre altrimenti. Pertanto si compiaccia V. P. per i detti Monasteri in Italia prendere gli opportuni accordi cogli Ecc.mi Vescovi.

Per i Monasteri soggetti a Visita Apostolica l'incarico sarà dato da questa S. Congregazione ai Rev.mi Visitatori.

*Affinchè la spiegazione sia fatta in maniera più rispondente allo spirito di ciascun Monastero l'E. V. avrà la bontà di pregare gli Ecc.mi Ordinari a voler designare*: a) *per i Monasteri di un Secondo Ordine, preferibilmente Religiosi del rispettivo Ordine, residenti in diocesi o fuori, atti all'importante compito;* b) *per gli altri Monasteri scelgano gli Ecc.mi Ordinari persone adatte tra i Religiosi o i Sacerdoti diocesani o estradiocesani.*

*I nomi dei prescelti per ciascun Monastero dovranno in ogni caso essere comunicati a V. E., alla quale, secondo il suo prudente giudizio, spetta dare il benestare alla designazione definitiva.*

*Infine per i Monasteri di Monache soggetti attualmente a Visita Apostolica e per quelli dipendenti dai Regolari questa S. Congregazione affiderà l'incarico di spiegare i due documenti pontifici ai rispettivi Visitatori Apostolici e Superiori Regolari.*

II. - Sia cura di V. E. raccomandare che dagli incaricati vengano illustrati alle Monache particolarmente i seguenti punti:

1) I nuovi Documenti sono una prova concreta della preoccupazione della Chiesa per il vero bene dei Monasteri delle Monache, conformemente a quanto Essa ha praticato nel corso dei secoli in maniera rispondente ai bisogni dei diversi tempi e luoghi. Questa sua azione ha fatto sì che la vita delle Monache, pur rimanendo intatta nella sua sostanza, si sia andata arricchendo di nuovi elementi, traendo profitto da quanto la vita religiosa nei diversi secoli presentava di miglioramento e sapiente adattamento (*A. A. S.*, a. c., p. 6-11).

2) Lungi dal voler intaccare la vita contemplativa di coloro che « optimam partem eligendo » (*A. A. S.*, a. c., p. 6) si sono ritirate nei Monasteri, la Costituzione Apostolica, dopo aver illustrato la natura della vita contemplativa (Statuta art. II) vuole che questa, per la Comunità come per le singole Monache, « salva non tantum sit

sed iugiter alatur et roboretur » (*A. A. S.*, a. c. p. 11). A tale fine la Costituzione pone in risalto l'obbligo, a norma delle Costituzioni, e il carattere pubblico del Coro nei Monasteri di Monache.

Per la medesima ragione la clausura papale rimane sostanzialmente immutata; però nei Monasteri aventi opere di apostolato la clausura viene regolata e armonizzata in modo che la vita contemplativa non ne subisca danno e, nello stesso tempo, le opere, alimentate dalla vita contemplativa, possano svolgersi come le esigenze lo richiedono (Statuta art. IV; Instructio n. XI-XV).

3) Perchè la vita religiosa delle Monache risponda maggiormente al loro desiderio di dedizione completa al Signore la S. Sede vivamente esorta i Monasteri, dove, per particolari circostanze dovette — in passato — essere abbandonata la professione dei voti solenni, a riprenderli, a meno che ancora vi si oppongano gravi ragioni (Statuta art. III).

4) i due Documenti mettono poi in luce come la vocazione delle Monache, anche se di pura vita contemplativa, è pienamente apostolica, non potendo l'amore di Dio andare disgiunto dall'amore del prossimo. E' perciò che essi a tutte raccomandano l'apostolato del buon esempio, della preghiera e del sacrificio (*A. A. S.*, a. c., p. 14). La Costituzione apostolica ricorda il sorgere di Istituti di Monache che colla vita contemplativa hanno armonicamente congiunto le opere di apostolato raccomandando a questi Istituti e ai Monasteri, che hanno avuto una tradizione in tal senso, di dedicarvisi diligentemente (Statuta art. IX). Pei Monatseri di pura vita contemplativa stabilisce, invece, che solamente per motivo di particolare necessità potrà o dovrà esercitarsi l'apostolato esterno; esso, però, sarà sempre tale che la vita contemplativa non ne venga danneggiata (Statuta art. IX);

5) l'introduzione delle Federazioni dei Monasteri di Monache appare sorgente d'innumerevoli vantaggi

di ordine spirituale, disciplinare ed anche economico (*A. A. S.*, a. c., p. 13).

Esortando i Monasteri a riunirsi in Federazioni il Santo Padre ripete nella Costituzione apostolica, quanto già espresse nel 1947, nell'Omelia tenuta ai Benedettini nella Basilica di San Paolo.

L'uscire dal completo isolamento in cui si son trovati per secoli Monasteri professanti la stessa Regola e le medesime norme di vita e di spiritualità significherà: *a*) una mutua e fraterna collaborazione per il raggiungimento del proprio fine; *b*) la possibilità di meglio provvedere alla formazione delle giovani vocazioni e ancora di risolvere difficili situazioni in cui i Monasteri possono trovarsi; *c*) una garanzia di fedeltà allo spirito e tradizione propria dell'Ordine (Instructio n. XVII-XXII).

A tutto questo contribuirà la presenza e l'azione di un Assistente religioso di tali Federazioni, nominato dalla Santa Sede (Instructio n. XXV).

Naturalmente, affinchè le Federazioni stesse portino i frutti sopra menzionati sarà d'uopo che esse vengano diligentemente preparate e sapientemente ordinate. Questa S. Congregazione non mancherà di prestare la propria assistenza e dare tutte le istruzioni che i casi diversi richiederanno.

6) Le Federazioni renderanno anche più facile l'organizzazione di quel lavoro monastico produttivo, che viene presentato alle Monache come dovere di penitenza, mezzo di mortificazione e fonte di sostentamento (Statuta art. VIII, Instructio n. XXVI-XXVII). Per favorirne lo sviluppo le autorità ecclesiastiche e le pie persone laiche non mancheranno di prestare la loro benevole collaborazione. Esso servirà, tra l'altro, a togliere i Monasteri dalle gravi difficoltà economiche in cui non pochi di essi si trovano.

*V. E. Rev.ma vorrà richiedere agli Ecc.mi Ordinari* e trasmettere poi a questa S. Congregazione una relazio-

ne che versi principalmente sui seguenti punti: *a*) come ai singoli Monasteri sono stati illustrati i due documenti pontifici; *b*) quale accoglienza ha avuto la spiegazione menzionata; *c*) vantaggi che se ne attendono nei singoli Monasteri; *d*) difficoltà che la spiegazione e applicazione dei documenti possono suscitare [5].

*Questo S. Dicastero esprime fin d'ora la sua riconoscenza all'E. V. e agli Ecc.mi Ordinari che avranno la bontà di fornire le notizie* richieste e lo porranno in grado di adempiere l'incarico assegnatogli dal Santo Padre [6].

Ringraziando fin d'ora l'E. V. Rev.ma per tutto quanto si compiacerà di fare, profitto dell'incontro per professarmi con sensi di perfetta stima e profonda venerazione

di V. E. Rev.ma
Dev.mo servitore

---

[5] V. P. Rev.ma vorrà richiedere a tutti coloro che avranno fatto la spiegazione dei Documenti e trasmettere a questa S. Congregazione una relazione ...

[6] Questo S. Dicastero esprime fin d'ora la sua riconoscenza alla P. V. che avrà la bontà di fornire le notizie ...

# DISSERTATIONES
## ET QUAESITA VARIA

### DE JURE ET EIUS EXERCITIO RELATE AD BONUM PROLIS

Notiones, e doctrina communi desumptas, quas sententia Rotalis diei 23 februarii huius anni [1] tradebat, D. Gherardus Oesterle, O. S. B., refutare conatus est scripto per ephemeridem quae inscribitur « *Il Diritto Ecclesiastico* » (1951, pp. 730-750) nuperrime publici juris facto. Omnia quae in eius articulo Sacrum Apostolicum Tribunal vel personas Auditorum offendunt, diligenter — prout decet — negligimus.

Notulis omissis, quae nullius in casu momenti sunt, scriptum constat 593 lineis, quarum 278 obiecta concernunt a nostro diversa; 259 subiectam materiam remote solummodo respiciunt, non autem peculiarem quaestionem quae inter nos agitatur; tandem et tantum 36 lineae directe tangunt controversiam nostram. His lineis obloquens opinionem suam confirmat sequentibus verbis: « *Si maritus vel uxor matrimonio uti non potest, quia altera pars expresse denegat usum, excludit jus* » (p. 732); item: « *coniux, qui ante nuptias expresse excludit usum matrimonii seu praestandum debitum, excludit utique obligationem* » (p. 737).

---

[1] Cfr. *Periodica*, 1951, pp. 291-297.

Hae propositiones, ita absolute et tenaciter repetitae, probari nequeunt. Jus enim ad actus vere coniugales e consensu matrimoniali oritur proprie dicto (cfr. *S. Thomas, Summa Theologica,* Suppl. p. III, q. 45, a. 1; can. 1081 par. 2), ideoque limitari non potest nisi limitatione consensus; consensus vero matrimonialis non limitatur nisi actu voluntatis, vim conditionis habente, qui in contractum ipsum ingrediatur; consequenter non omnis expressa limitatio usus idem est ac vera limitatio consensus matrimonialis, nec omnis expressa limitatio usus idem est ac limitatio juris, et relativae obligationis, ad actus coniugales.

Nec quidquam addendum putamus, praeter ea quae Summus Pontifex die 29 octobris a. 1951 Suo supremo Magisterio protulit: « Se già nella conclusione del matrimonio almeno uno dei coniugi avesse avuto l'intenzione di restringere ai tempi di sterilità lo stesso diritto matrimoniale, e non soltanto il suo uso, in modo che negli altri giorni l'altro coniuge non avrebbe neppure il diritto di richiedere l'atto, ciò implicherebbe un difetto essenziale del consenso matrimoniale, che porterebbe con sè la invalidità del matrimonio stesso, perchè il diritto derivante dal contratto matrimoniale è un diritto permanente, ininterrotto, e non intermittente, di ciascuno dei coniugi di fronte all'altro. Se invece quella limitazione dell'atto ai giorni di naturale sterilità si riferisce non al diritto stesso, ma solo all'uso del diritto, la validità del matrimonio resta fuori di discussione ».

Videat ergo Contradictor utrum ad haec omnia applicari valeant sua verba: « in doctrina quae distinguit inter jus et usum juris, habetur petitio principii ». Ista enim sunt ea quae ipse scripsit die 9 februarii anni 1949, quaeque nos improbavimus et improbanda censemus.

DINUS STAFFA
*Auditor S. R. Rotae*

# DE NATURA IURIDICA FORI INTERNI ECCLESIAE

## Praenotanda

Fori interni Ecclesiae est — uti in sequentibus exponimus — ordinare relationes iuridicas privatas fidelium. Antequam hoc assertum probamus — aut saltem explicamus rationibus additis — referimus hic summarium eorum, quae alibi scripsimus de distinctione inter ius privatum et publicum in ordinatione iuridica Ecclesiae [1].

Quamvis difficile esset, ne dicamus impossibile, dividere canones CIC in canones iuris publici et in canones iuris privati, ipsa haec distinctio inter ius publicum et privatum est genuina, immo necessaria, etiam in ordinatione iuridica Ecclesiae. Polaritas enim metaphysica — propria omni vitae sociali et activitati sociali — quae habetur inter personam et societatem, finem personalem et finem socialem i. e. bonum commune, apparet in ordine iuridico tamquam quaestio de distinctione iuris in privatum et publicum.

Homo tamquam persona habet finem proprium, ratione cuius est subiectum iuris. Similiter societas ratione boni communis efficiendi est iuris subiectum. Homo eo ipso quod est talis, est persona. Proinde fit membrum societatis tamquam persona; in societate manet persona; relationes inter societatem et membra sunt relationes inter subiecta iuris, sunt relationes iuridicae. Distinguenda itaque est sphaera iuridica personae qua talis a sphaera iuridica societatis qua talis; a. v. ipsa rei natura metaphysica imponit divisionem iuris in privatum et pu-

1 Das Privatrecht der Kirche, Gregorianum 1944, 283-320.

blicum. Distinctio inter ius privatum et ius publicum fundatur rationibus metaphysicis.

Privatum est illud ius (subiectivum), quod immediate inservit bono personali obtinendo, publicum est illud ius (subiectivum), quod immediate inservit bono communi obtinendo. Ordo iuris (obiectivi) privati constituitur illis normis, quae directe ordinantur in bonum personale efficiendum, ordo iuris (obiectivi) publici constituitur illis normis, quae directe ordinantur in bonum commune efficiendum. Distinctio fit ratione finis immediati, quia indirecte et mediate etiam ius privatum cedit in bonum commune, etiam ius publicum cedit in bonum personale.

Consequenter relationes iuris privati habentur inter subiecta iuris qua talia, inter personas physicas et morales quatenus sunt personae; tales relationes enim ordinantur in bonum personae qua talis. Relationes iuris publici non sunt unquam inter subiecta iuris qua talia, sed inter subiecta, quae ad invicem referuntur propter bonum commune; tales relationes enim semper ordinantur in bonum commune societatis. Hinc iuris privati relationes non habentur exclusive inter aequales; neque relationes iuris publici sunt exclusive relationes subiectionis. Porro ita explicatur societatem ipsam esse subiectum iuris publici et subiectum iuris privati.

Ex relatione essentiali finis immanentis societatis (boni communis) ad finem transcendentem (bonum personale totalitatis hominum in societate unitorum) resultat conexio quam intima inter ius publicum et ius privatum. Iuris publici inter alia est agnoscere sphaeram iuris privati, agnoscere illas institutiones iuris privati, quibus ordinarie bona personalia obtinentur. Ita e. g. proprietas privata qua institutio est iuris publici, nam ipsum bonum commune exigit hanc institutionem. Concreta proprietas singulorum hominum in rem in individuo est iuris privati, nam haec directe inservit personae. Normae, quae versan-

tur circa institutiones iuridicas, sunt iuris publici; normae, quae ordinant exercitium concretum iurium personalium, sunt iuris privati.

Altera ex parte bonum commune requirit et iustificat limitationem iuris privati. In quantum bonum externum « privatum » est necessarium pro bono communi, in tantum ius privatum restringitur: ius privatum circa activitatem et bona externa iure publico est limitabile. Homo enim non exsistit unquam tamquam individuum ab aliis omnino separatum; semper cum aliis coniungitur multis relationibus socialibus. Proinde ius privatum semper subest modificationibus seu « integrationi » ratione ligaminum socialium.

Ex tali conexione intima inter ius privatum et publicum bene explicatur, cur vix unquam in concreto — non obstante distinctione univoca in ipsa ratione formali — clare et distincte separari possint normae iuris publici a normis iuris privati; relatio enim mutuae dependentiae inter bonum personale et bonum commune se manifestat in ordine iuridico tamquam influxus unius sphaerae iuridicae in alteram.

Haec principia iuridica, fundata in ipsa structura metaphysica societatis, applicantur etiam ordinationi iuridicae Ecclesiae. Bonum enim commune Ecclesiae constituitur summa conditionum et mediorum externorum, quae fidelibus possibilem reddunt vitam supernaturalem, eo, quod ope eorum gratiam supernaturalem obtinere, conservare, augere possunt; ipsa gratia supernaturalis in se non est in potestate Ecclesiae. Fideles salutem supernaturalem non attingunt, nisi cooperentur ad bonum commune Ecclesiae, i. e. in concreto: media, quibus gratia supernaturalis obtinetur, conservatur, augetur, ordinarie non sunt ad dispositionem fidelium, nisi bono communi Ecclesiae se submittant, eo magis, quod gratia supernaturalis est donum gratuitum, nullo modo debitum homini. Proinde habetur distinctio inter bonum commune

supernaturale et bonum personale supernaturale; bonum « privatum » supernaturale — i. e. medium gratiae, non ipsa gratia — cedere debet, si hoc requiritur ad bonum commune supernaturale, ad finem Ecclesiae obtinendum.

Haec distinctio in ordine iuridico supernaturali se manifestat eo, quod Ecclesia est subiectum iuris et homo (baptizatus) est subiectum iuris. Distinguenda itaque est sphaera iuridica fidelium, quatenus sunt personae in ordine supernaturali, a sphaera iuridica ipsius Ecclesiae, quatenus est societas humana supernaturalis. Hinc relationes inter Ecclesiam et fideles sunt relationes iuridicae.

Proinde divisio iuris in privatum et publicum in ordinatione canonica admittenda est. Ius est privatum, si ordinatur directe in bonum personale supernaturale; ius est publicum, si ordinatur directe in bonum commune supernaturale; bonum potest esse supernaturale in se aut saltem destinatione sua.

De cetero quoad relationem inter ius privatum et publicum analoge applicantur ea, quae supra in genere dicta sunt. Etiam in Ecclesia igitur instituta iuridica sunt iuris publici; ipsum exercitium concretum iurium autem, si directe inservit personae, ordinatur normis iuris privati. Ita libertas conscientiae est institutum iuris publici; normae, quae ordinant e. g. concretam electionem liberam confessarii, sunt iuris privati. Praesertim in Ecclesia — magis quam in omni alia societate publica — normae iuris privati modificantur et integrantur rationibus iuris publici. Personalitas enim in ordine supernaturali habetur per participationem in Corpore Christi Mystico; bonum commune et bonum personale in Ecclesia ita quam intime conectuntur. Hoc « mysterio » Corporis Christi autem personalitas in ordine supernaturali certo non tollitur. Consequenter ipsa distinctio iuris in privatum et publicum — quoad ipsum principium — intacta manet, etsi propter intimam conexionem inter

utramque sphaeram vix unquam habentur normae exclusive privatae indolis.

## I. De criterio distinctionis inter forum externum et internum Ecclesiae.

Secundum illa quae supra exposita sunt etiam in ordinatione canonica ius est privatum, si ordinatur directe et immediate in bonum supernaturale personale fidelium obtinendum. Jamvero Ecclesia iurisdictionem fori interni exercet directe et immediate in favorem, i. e. in bonum supernaturale obtinendum, *singulorum fidelium* [2].

---

[2] « Quoniam ad Ecclesiae finem pertinet etiam privata uniuscuiusque fidelis institutio seu sanctificatio singulorum, haec ad Ecclesiam pertinet sub duplici aspectu, nimirum primum quatenus fideles considerantur uti singuli, de suis admissis vel omissis tantum coram Deo rationem reddituri; et secundo quatenus fideles coalescunt in societatem externam ». Primum spectat ad forum internum, alterum ad forum externum Ecclesiae. (M. Lega, De Iudiciis Ecclesiasticis, lib. II. vol. III. Romae 1899, Nr. 17). « Forum externum respicit publicam utilitatem fidelium, seu ipsius corporis ecclesiae; internum vero ea respicit, quae ad privatam singulorum fidelium utilitatem referuntur ». (B. Ojetti S. J., Synopsis rerum moralium et juris pontificii, vol. II. Romae 1911, 2024). « Vel singulorum fidelium utilitas intenditur ... Et haec pars iurisdictionis forum internum ... vocatur ... Aliae causae sunt publicae et proxime bonum sociale Ecclesiae tangunt, quae propterea per iurisdictionem externam seu in foro externo tractantur ». (J. Laurentius S. J., Institutiones Iuris Ecclesiastici, Friburgi Brisgoviae 1914, 38 s.). « Iurisdictio fori externi illa est quae primario et directe refertur ad bonum publicum sive commune fidelium sive Ecclesiae, ordinat relationes sociales membrorum Ecclesiae ... Iurisdictio fori interni est illa quae primario et directe bonum privatum fidelium respicit, ordinat relationes illorum morales ad Deum, non relationes sociales ad Ecclesiam ut societatem visibilem ... » (F. X. Wernz S. J., P. Vidal S. J., Ius canonicum, t. II. Romae 1928, 357). « Forum externum illud est quod respicit primario et per se bonum publicum seu commune, et versatur in regendis actibus socialibus fidelium; ad forum internum pertinent primario et per se actio-

Proinde iurisdictione fori interni constituuntur iura[3] *privata* fidelium, ordinantur relationes iuridicae *privatae* fidelium.

Ius est publicum, si ordinatur directe et immediate in bonum commune Ecclesiae. Jamvero Ecclesia iurisdictionem fori externi exercet directe et immediate in favorem societatis ecclesiasticae qua talis, i. e. ad *bonum commune* Ecclesiae obtinendum[4]. Proinde iurisdictione

---

nes privatae fidelium, in eoque bonum privatum seu conscientia singulorum primario attenditur». (A. Vermeersch S. J., J. Creusen S. J., Epitome Iuris Canonici, tom. I. Mechliniae 1949 Nr. 313). «Der äussere Bereich trägt sozialen und der innere Bereich individualen Charakter, d. h. bei dem einen steht das Wohl der Gemeinschaft und bei dem andern das Wohl des Einzelnen im Vordergrund». (E. Eichmann, K. Mörsdorf, Lehrbuch des Kirchenrechts. I. Band, Paderborn 1949, 293). Forum «internum vero in privatam cuiusque hominis sanctificationem tendit». (*P. Capobianchi O. F. M.*, De notione fori interni in iure canonico, Apollinaris 1936, 366). Per forum internum Ecclesia «singulos baptizatos ad eorum proprium spirituale bonum regit». (J. Hahn, Das Forum internum und seine Stellung im geltenden Recht, Würzburg 1940, 105).

[3] Illa quae in hoc articulo dicuntur, sunt omnino independentia a quaestione, utrum facultas actu potestatis iurisdictionis fori interni constituta sit semper *ius* subiectivum stricte dictum, an potius interdum agatur tantum de *favore* concesso. Quare in hoc contextu abstrahendo ab hac quaestione facultas quaelibet vocatur ius. Praeterea actu potestatis iurisdictionis fori interni non tantum *constituitur* facultas iuridica, sed saepe agitur de *restitutione* facultatis iuridicae impeditae (e. g. in dispensatione ab impedimento matrimoniali), revocatae (e. g. in absolutione a censura), ablatae (e. g. in dispensatione a lege ecclesiastica, qua restituitur libertas agendi, quae lege coarctata fuerit). In hoc contextu non est ratio attendendi hanc differentiam inter facultatis iuridicae constitutionem et restitutionem; quare utrumque hic dicitur ius. Tandem hic supponi potest in Ecclesia semper agi de iuribus ordinis *supernaturalis*. Quoad hanc quaestionem confer: W. Bertrams S. J., Die Eigennatur des Kirchenrechts, Gregorianum 1946, 527-566.

[4] Cf. notam 1.

fori externi constituuntur iura *publica* Ecclesiae et fidelium in Ecclesia, ordinantur relationes iuridicae *publicae* Ecclesiae et relationes *publicae* fidelium in Ecclesia.

Hinc, negotia iuridica (ordinata in bonum supernaturale fidelium) quae sphaeram iuridicam privatam fidelium non excedunt, spectant ad forum internum; negotia iuridica, quae sphaeram iuridicam privatam excedunt et sphaeram iuridicam publicam tangunt aut simpliciter versantur circa relationes iuridicas publicas, spectant ad forum externum. Hoc principium etiam ita enuntiari potest: Ad ordinandas fidelium relationes iuridicas privatas requiritur saltem et sufficit actus iurisdictionis fori interni; ad ordinandas relationes iuridicas publicas in Ecclesia requiritur actus iurisdictionis fori externi. Foro interno ideoque attribuenda sunt negotia iuridica omnia et sola, quae ordinantur ad ius privatum fidelium constituendum, quod non constituit praeiudicium pro bono communi Ecclesiae. Foro externo attribuenda sunt negotia iuridica, quibus relationes iuridicae publicae fidelium ordinandae sunt.

## II. De relationibus inter forum externum et internum Ecclesiae.

### 1. *Forum internum qua institutum canonicum est iuris publici.*

Ius publicum Ecclesiae ordinatur ad bonum commune Ecclesiae. Bonum commune Ecclesiae constituitur summa conditionum et mediorum, quibus fideles bona supernaturalia obtinere, conservare, perficere possunt. Jamvero forum internum Ecclesiae est institutum canonicum, quod ordinatur ad negotia iuridica privata fidelium peragenda, ad ordinandas relationes iuridicas privatas, ad constituenda iura personalia fidelium. Hinc institutum ca-

nonicum fori interni partem constituit mediorum, quibus fideles bona supernaturalia obtinere, conservare, perficere possunt. Proinde forum internum, quatenus est institutum canonicum, est iuris publici Ecclesiae. Revera iuris publici Ecclesiae est agnoscere sphaeram iuris privati, creare instituta iuridica iuris privati, quibus indigent fideles ad iura personalia obtinenda. Hinc, potestas iurisdictionis, qua potestas iurisdictionis pro foro interno confertur, immo ipsa haec potestas iurisdictionis fori interni, est potestas *publica,* quia forum internum qua institutum canonicum est iuris publici. Actus autem potestatis iurisdictionis fori interni habet *effectum iuris privati,* quia in bonum personale fidelium ordinatur, dum actus potestatis iurisdictionis fori externi habet *effectum iuris publici,* quia in bonum commune Ecclesiae ordinatur.

Hinc ille, qui habet potestatem iurisdictionis pro solo foro interno, etsi ordinariam, uti canonicus poenitentiarius, parochus, non potest illam aliis delegare, quia delegatio potestatis iurisdictionis est actus potestatis iurisdictionis cum effectu iuris publici; confertur enim potestas publica. Ita ad potestatem iurisdictionis conferendam, etsi pro solo foro interno, requiritur potestas iurisdictionis fori externi [5].

---

[5] Can. 401 § 1. — Ad normam responsi Comm. ad interp. Codicem Iuris Canonici diei 16. 10. 1919 (AAS. 1919, 472) parochi non possunt delegare aliis sacerdotibus iurisdictionem ad confessiones recipiendas. — « Nec Cardinalis, qua talis, (iurisdictionem sacramentalem delegat): aperta mens legislatoris obstat quominus ad *conferendam* iurisdictionem extendamus amplissimam potestatem ordinariam, quam ad *audiendas* confessiones accepit: legislator censeri nequit incredibilem ipsis potestatem fecisse delegandi per universum orbem quoslibet sacerdotes ... » (Vermeersch-Creusen, Epitome, tom. II, 1934, Nr. 147). — Ad normam can. 199 § 2 « potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita ». Hanc dispositionem

*Forum internum Ecclesiae igitur est institutum canonicum iuris publici pro causis iuridicis fidelium iuris privati.*

2. *In foro interno obligationes non imponuntur, sed relaxantur et solvuntur.*

Actus iurisdictionis fori interni ordinatur in bonum privatum fidelium. Hinc actu iurisdictionis fori interni obligationes relaxantur aut solvuntur, non autem conduntur et imponuntur, nisi in quantum obligationes per actum iurisdictionis fori interni imponendae constituunt satisfactionem, reparationem, commutationem pro debito relaxando aut solvendo[6]. Nam, in quantum obligationes sunt communes fidelibus, iuris publici sunt, i. e. *lege* sive divina, sive ecclesiastica conduntur. Obligatio lege divi-

---

applicari non posse ad potestatem pro solo foro interno collatam, e. g. a S. Poenitentiaria, dubium esse non potest. Hinc, non tantum potestas iurisdictionis ordinaria fori interni, sed etiam potestas iurisdictionis delegata fori interni «subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta». (Can. 199 § 4).

[6]) «Si genuinam rationem potestatis iurisdictionis fori interni assecutus sis, colliges nullam directam praecipiendi potestatem ista iurisdictione conferri, cum sit ad solvendum data. Unde quae in hoc foro praecipiuntur supponunt et consequuntur vinculum obligationis ad cuius solutionem ipsum praeceptum dirigitur: sic paenitentia sacramentalis tendit ad solvendum debitum poenarum; sic opus in quod votum commutatur ... Nec promissio privata, nec simplex votum, sine Ecclesiae sanctione aliquem proprie Superiorem efficere potest: qui alicui obedientiam privatim promisit, v. g. voto facto, debebit Deo ut impleat quae ei praescripta sunt: homini, qua *Superiori*, nihil directe debet». (Vermeersch-Creusen, Epitome, tom. I, Nr. 133). — «Ex sola potestate fori interni praecepta dari non posse videntur, quia potestas haec non est ad ligandum sed ad solvendum tantum, obligationem nempe quae coram Deo exsistit, nisi quid iniungatur accessorie ad potestatem solvendi, ut solutio vinculi a Deo obtineatur». (A. Van Hove, De Legibus Ecclesiasticis, Mechliniae 1930, Nr. 361).

na aut ecclesiastica constituta in foro interno sine dubio urgeri potest et saepe debet, sed tantum tamquam *applicatio* obligationis *communis* — per legem aut praeceptum in communi datum constitutae — ad subiectum particulare. Proinde obligatio, quae in foro interno urgenda est, e. g. occasione absolutionis a peccatis aut a censura, iam independenter ab actu iurisdictionis fori interni et antecedenter ad hunc actum habetur.

Nequidem praecepta ex potestate iurisdictionis singulis imponenda dari possunt vi potestatis iurisdictionis fori interni. Nam, etsi praeceptis singulis imponendis urgeri possunt non tantum obligationes aliunde debitae, e. g. ratione legis communis, ratione contractus, ratione voti publici obedientiae etc., tamen talia praecepta semper imponunt obligationem ratione *boni communis* Ecclesiae, e. g. ad praecavendum scandalum, ad promovendum bonum animarum; nam potestas iurisdictionis Ecclesiae ordinatur ad bonum commune Ecclesiae. Proinde talia praecepta sunt semper iuris publici. Jamvero ad effectus iuris publici obtinendos ordinatur forum externum Ecclesiae. Ergo praecepta ex potestate iurisdictionis imponenda imponenda sunt in foro externo Ecclesiae.

Verum quidem est Ecclesiam habere munus dirigendi in finem proprium supernaturalem etiam singulos fideles. Inde autem non sequitur Ecclesiam habere potestatem singulis imponendi *praecepta,* quae exclusive ordinantur in bonum personale fidelium [7]. Natura enim

---

[7] Ecclesiae competere potestatem iurisdictionis fori *interni* ligandi singulos fideles in ordine ad bonum spirituale internum singulorum fidelium affirmat G. Michiels O. F. Min. Cap. (Normae Generales Iuris Canonici, vol. I. Tornaci 1949 [2], 272 ss.). De cetero admittimus illa quae cl. auctor scribit de natura fori interni: « Iurisdictio fori interni, non secus ac jurisdictio fori externi, est jurisdictio proprie dicta et ratione originis suae vere socialis, quippe quae Ecclesiae non competit ex speciali quadam Dei commissione, Ecclesiae in suo esse sociali jam constitutae formaliter

socialis Ecclesiae exigit, ut haec singulorum fidelium ordinatio in finem proprium supernaturalem fiat modo *sociali*. Hinc Ecclesiae est creare bonum commune, cuius auxilio singuli fideles proprium finem supernaturalem attingere possunt. Consequenter hoc bonum commune Ecclesiae constat summa conditionum et mediorum, quibus singuli fideles bona supernaturalia obtinere, conservare, perficere possunt. Ad hoc bonum commune obtinendum Ecclesia fideles ligare potest normis communibus et etiam praeceptis singulis imponendis, quia potestas socialis fine societatis determinatur.

Immo, inter media, quae bonum commune constituunt, quia fideles eis indigent ad finem proprium obtinendum, haberi etiam debet potestas *liberandi* singulos fideles ab obligationibus contractis. Ob hanc rationem diximus forum internum, in quo praesertim tales absolutiones et dispensationes conceduntur, qua institutum canonicum esse iuris publici. Potestas autem *imponendi* singulis fidelibus praecepta exclusive ordinata in finem proprium personalem ad bonum commune Ecclesiae non requiritur; et ideo talia praecepta potestate iurisdictionis fori *externi* imponi non possunt. Neque requiritur talis potestas ad bonum privatum singulorum, quia legibus communibus et mediis quae bonum commune Ecclesiae constituunt, singulis sufficiens auxilium praestatur ad finem proprium supernaturalem obtinendum; et ideo talia praecepta potestate iurisdictionis fori *interni* imponi non possunt. Ergo obligatio, quae exclusive ordinatur in bonum privatum obligandi, non potest imponi praecepto ex potestate iurisdictionis Ecclesiae, nisi agatur, uti supra

---

facta, sed in ipsa societatis ecclesiasticae institutione a Christo Fundatore ei collata fuit, tamquam potestas ad finem societati ecclesiasticae praepositum attingendum prorsus necessaria et proportionata, ideoque ipsum ejus patrimonium sociale ingrediens ». (Ibidem 273).

diximus, de obligatione aliunde debita, e. g. ex voto obedientiae in religionibus.

Neque aliter res se habet ratione habita potestatis vicariae divinae Ecclesiae. Nam potestas vicaria divina, qua singulis imponerentur obligationes, quae non constituunt applicationem obligationis communis per legem constitutae ad subiectum particulare, non tantum non probatur, sed revelationem specialem supponeret pro singulis fidelibus. Jamvero Ecclesia revelationem pro singulis fidelibus non habet, sed tantum pro communitate christiana. Hinc Ecclesia singulos fideles in finem proprium eorum ultimum dirigit *legibus* communibus; infra ambitum legum communium singuli libertate propria, personali determinant media adhibenda ad finem ultimum consequendum.

Ita « nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere » [8]. Sine dubio idem dicendum est relate ad statum religiosum [9]. Hinc non posset confessarius poenitenti imponere obligationem amplectendi statum clericalem vel religiosum, etiamsi certissimum haberet electionem huius status cedere in bonum poenitentis. Ex altera parte confessarius potest stricte imponere poenitenti — cuius libertas aliunde non iam est restricta, e. g. contractu, iuramento etc. — obligationem non amplectendi statum clericalem vel religiosum tantum, si poenitens non gaudeat qualitatibus, quae lege divina et ecclesiastica ad statum clericalem vel religiosum amplectendum requirantur, aut si circa tales qualitates serium dubium habeatur; in hisce enim casibus obligatio non amplectendi statum clericalem vel religiosum, habetur *antecedenter et independenter* a confessione sacramentali,

---

[8] Can. 971.

[9] Cf. can. 2352.

etsi haec obligatio occasione absolutionis sacramentalis, immo forte sub denegata absolutione, urgenda est [10].

Observatio huius principii — in foro interno obligationes non imponuntur — multum tamen confert ad bonum commune Ecclesiae. Nam servato hoc principio fideles cum fiducia secreta personalia in foro interno communicant; ita saepissime in foro interno dari potest et debet consilium auctoritativum, quod cedit non tantum in bonum personale fidelium, sed etiam Ecclesiae, praesertim communitatum in Ecclesia. E contra non servato hoc principio communicationes secretorum personalium non fiunt nequidem in foro interno, cum detrimento non tantum boni personalis fidelium, sed etiam Ecclesiae, praesertim communitatum in Ecclesia. Ita etiam hac ratione confirmatur assertum forum internum qua institutum canonicum cedere in bonum commune Ecclesiae et inde esse iuris publici.

---

[10] Patet *Ordinarium* non obligari ullo modo omnes candidatos canonice idoneos admittere ad statum clericalem. Nemo enim habet ius ad ordinationem. Ita relinquitur discretioni Ordinarii, utrum candidatum admittere velit necne. Can. 969 § 1. Altera ex parte iudicium Ordinarii efformandum est ratione habita tantum scientiae *in foro externo cum mediis fori externi acquisitae,* quia communicationes fidelium in foro interno ordinantur ad bonum eorum personale tantum. Hinc, etiam abstrahendo a periculo violationis sigilli sacramentalis, ne scientia in foro interno acquisita influat in negotia iuridica fori externi, « quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, nunquam confessariorum votum exquiratur ». (Can. 1361 § 3). Porro, « tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt ». (Can. 890 § 2). Ob eandem rationem Ecclesia urget, ne munera, quae principaliter activitate fori interni absolvenda sunt, committantur clericis, qui habent iurisdictionis potestatem fori externi circa easdem personas. Cf. e. g. can. 367 § 3, 518 § 2, 891. Cf. etiam can. 1755 § 2, 1.

3. *Forum externum et forum internum sunt fora unius eiusdemque ordinis iuridici.*

Distinctio inter forum externum et forum internum non est concipienda ad modum distinctionis inter duos ordines iuridicos ab invicem independentes. *Unus* tantum habetur ordo iuridicus Ecclesiae, etsi hic ordo sub duplici respectu considerandus est, prouti relationes iuridicae considerantur sub respectu publico, i. e. ratione boni communis Ecclesiae, et sub respectu privato, i. e. personali.

Ita in can. 87 simpliciter est sermo de « christianorum iuribus et officiis », quin distinctio fiat inter iura et officia fori externi et fori interni; pariter « obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura » obstat iuribus in ordine iuridico Ecclesiae, qui ulterius non specificatur, quia est unus ordo iuridicus tantum. Consequenter « poena latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in *utroque* foro tenet » [11]. Itaque iura in Ecclesia per se constituuntur in ordine iuridico Ecclesiae simpliciter tali. Hinc natura ordinis iuridici in Ecclesia de se non obstat, quominus actus iurisdictionis fori externi valeat quoque pro foro interno, nec quominus actus iurisdictionis fori interni valeat quoque pro foro externo.

Revera, ad normam can. 202 § 1, actus potestatis iurisdictionis fori externi valet quoque pro foro interno. Pariter absolutio censurae datae « in foro externo, utrumque forum afficit » [12]. Ergo actus potestatis iurisdictionis fori externi, qui de se habet efficaciam iuris publici, habet etiam efficaciam iuris privati. Actus potestatis iurisdictionis fori externi natura sua ordinatur quidem ad bonum commune Ecclesiae, et non ad bonum privatum

[11] Can. 2232.
[12] Can. 2251.

fidelium. Attamen bona personalia fidelium, quatenus constituunt bona in Ecclesia, bona ordinis supernaturalis in societate supernaturali, consistunt in participatione de bono communi totius Corporis Christi Mystici, i. e. Ecclesiae [13]. Hinc actu potestatis iurisdictionis fori externi fidelibus attribui possunt bona supernaturalia, in quantum fideles participant de bono communi Ecclesiae. Actu potestatis iurisdictionis fori externi attribuuntur fidelibus *bona personalia ratione habita boni communis Ecclesiae*. Etsi igitur per actum potestatis iurisdictionis fori

[13] « Der Eigenzweck, auch der Kirche, ist nicht ein um seiner selbst willen zu erstrebender und zu verwirklichender Wert, auch die Kirche ist um der Gläubigen willen. Das Eigenziel der Kirche, ihr Gemeingut, besteht also darin, solche Bedingungen des übernatürlichen Lebens zu schaffen, die es den Menschen ermöglichen, das übernatürliche Leben der Gnade, als Voraussetzung für die jenseitige Gottschau, zu erhalten und zu vermehren ». (Ita dicitur in Litt. Enc. Mystici Corporis Christi: « Si totius et singulorum membrorum mutuam inter se rationem consideramus, in physico quolibet viventi corpore totius concretionis emolumento membra singula universa postremum unice destinantur, dum socialis quaelibet hominum compages, si modo ultimum utilitatis finem inspicimus, ad omnium et uniuscuiusque membri profectum, utpote personae sunt, postremum ordinantur ». Acta Ap. Sedis 1943, 221 s.). « Auch in der Kirche ist demnach die Rechtssphäre der kirchlichen Gemeinschaft als solcher von der Rechtssphäre der einzelnen als eigenständiger Wesen, als Personen in der übernatürlichen Ordnung zu unterscheiden ». Tamen: « auch die eigenpersönlichsten Anliegen sind in der übernatürlichen Ordnung nicht frei von Rücksichten des Gemeinwohles. Darauf beruht es, dass auch in der Kirche, vielleicht noch mehr als im Staate, die Normen des öffentlichen und des privaten Rechtes einander durchdringen und ergänzen. Letzter Grund dieser Erscheinung dürfte wohl die Natur des übernatürlichen Lebens überhaupt sein: Das persönliche übernatürliche Leben, das übernatürliche Personsein, besteht in der Gliedschaft am Leibe Christi. Deshalb ist das Gemeinwohl des Leibes Christi, der Kirche, noch unmittelbarer als in der natürlichen Ordnung auch das persönliche Eigengut der Gläubigen. Letztlich ist das Verhältnis des « Persongliedes » zur Gemeinschaft des Leibes Christi ein übernatürliches Geheimnis, ein Geheimnis freilich, das

externi ordinantur fidelium relationes iuridicae publicae, i. e. relationes ad ipsam Ecclesiam, quatenus est societas publica, tamen etiam per talem actum fidelibus iura personalia attribui possunt. In quantum actu potestatis iurisdictionis fori externi constituuntur iura personalia fidelium, in tantum actus potestatis iurisdictionis fori externi valet etiam pro foro interno seu habet efficaciam etiam *iuris privati*. Si autem actu potestatis iurisdictionis fori externi constituuntur obligationes fidelium, tales obligationes etiam in foro interno, i. e. in negotiis iuridicis iuris privati, attendendae sunt.

4. *Actus potestatis iurisdictionis fori interni de se habet efficaciam iuris privati tantum.*

Forum internum Ecclesiae ordinatur ad bonum personale fidelium. Hinc, ad normam eiusdem can. 202 § 1, actus potestatis iurisdictionis fori interni non valet pro foro externo, i. e. non habet effectus quibus tangitur bonum commune Ecclesiae, effectus quoad relationes iuridicas publicas in Ecclesia; talis actus non habet effectus *iuris publici*. Quatenus igitur fidelium iura ordinis publici constituenda sunt, actus potestatis iurisdictionis fori interni de se non sufficit ad talia iura constituenda. Efficacia enim actus potestatis iurisdictionis fori interni limitatur ad negotia iuridica, quibus iura fidelium constituenda sunt cum effectibus pro eorum statu iuridico *per-*

---

sich nicht dadurch « erklären » lässt, dass die personale Selbständigkeit der Glieder aufgegeben wird; das hiesse das Geheimnis selbst aufgeben. Die grundsätzliche Geschiedenheit von personalem Eigengut und Gemeingut bleibt auch in der Kirche gewahrt; das Geheimnis der Kirche hebt die Geschiedenheit von öffentlichem und privatem Recht nicht auf ». (Bertrams, Das Privatrecht der Kirche, l. c. 306, 311, 313, 314. Cf. etiam: De potestate iudiciali — administrativa in Ecclesia, Periodica de re morali canonica liturgica 1945, 220 s.).

*sonali* tantum; i. e. agitur de effectibus, quibus bonum commune Ecclesiae non tangitur; agitur consequenter de effectibus, quibus relationes iuridicae publicae fidelium non mutantur. Ad constituendum tale ius, limitatum de se ad perfectionem personalem fidelium, actus potestatis iurisdictionis fori interni natura sua ordinatur et restringitur. Ita e. g. absolutione a peccatis status personalis gratiae fidelium restituitur aut augetur; absolutione fori interni a censura ecclesiastica homo baptizatus personaliter reassumitur ad communionem ecclesiasticam, attamen sine praeiudicio quoad eius relationes iuridicas publicas in Ecclesia; pari modo dispensatione fori interni ab irregularitate aut ab impedimento matrimoniali status iuridicus personalis dispensati maiorem perfectionem accipit, non autem ratione relationum iuridicarum publicarum eius.

De se igitur actus potestatis iurisdictionis fori interni non habet efficaciam iuris publici, non habet efficaciam in foro externo. Hinc, etiamsi absolutio a censura in foro interno legitime concessa fuerit, nihilominus « censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit » [14]. Actus enim potestatis iurisdictionis fori interni ordinatur in bonum personale tantum. Immo pro ipso foro interno actus potestatis iurisdictionis legitime peragitur tantum, quando non obstat talis ratio boni communis, quae actum etiam pro foro interno impedit. Hinc actus potestatis iurisdictionis fori interni in tantum legitime ponitur, in quantum non obstant rationes iuris publici huic actui, i. e. in quantum effectus huius actus non

---

14 Can 2251. Cf. etiam can. 990 § 2 in fine. Ad normam can. 990 § 2 dispensatio ab irregularitate concessa in foro interno non sufficit ad suscipiendos ordines (ad quod ius privatum non habetur), sed tantum ad exercendos ordines, quando « periculum immineat gravis damni vel infamiae », i. e. ad bonum privatum tuendum.

constituant praeiudicium pro bono communi Ecclesiae. Omnes dispositiones CIC circa exercitium potestatis iurisdictionis fori interni huc tendunt: *restringere legitimum exercitium potestatis iurisdictionis fori interni ad negotia iuridica, quae bono communi Ecclesiae praeiudicium non creant.* Ita absolutiones a censuris et dispensationes ab irregularitatibus, ab impedimentis matrimonialibus, a poenis vindicativis in foro interno concedi possunt tantum in casibus occultis — occultis saltem eo loco et tempore, quo actus iurisdictionis effectus habet — et remoto scandalo. Hisce enim suppositis bonum commune Ecclesiae non tangitur; hinc actui potestatis iurisdictionis in bonum privatum nihil obstat. Itaque, si dispositiones, quae exercitium potestatis iurisdictionis fori interni ordinant, observantur, ordinarie bonum commune non tangitur.

5. *Actus potestatis iurisdictionis fori interni habet efficaciam iuris publici conditionatam.*

Non autem negatur actui potestatis iurisdictionis fori interni quaevis efficacia iuris publici. Actus potestatis iurisdictionis fori interni ordinatur quidem ad bonum privatum fidelium. Iura autem privata de se non obstant bono communi, immo bonum commune exigit protectionem et defensionem iuris privati. Neque in Ecclesia bonum personale fidelium per se obstat bono communi, immo bonum personale fidelium consistit in participatione boni communis Ecclesiae. Proinde legitime constituto bono privato fidelium in foro interno per se non habetur praeiudicium pro bono communi Ecclesiae. Hinc, ad normam can. 2251, si absolutio censurae detur in foro interno, « absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi ». Itaque non negatur actui potestatis iurisdictionis fori interni quaevis iuris publici efficacia; immo non excluditur plena iuris publi-

ci efficacia, etsi haec iuris publici efficacia est semper *conditionata.*

Actus potestatis iurisdictionis fori interni habet efficaciam iuris publici, efficaciam in foro externo, dummodo rationes iuris publici efficaciae iuris publici non obstent. Hinc eo minus ordinarie efficaciae iuris publici actus potestatis iurisdictionis fori interni aliquid obstat, quo magis ipse talis actus potestatis iurisdictionis fori interni rationem habet boni communis Ecclesiae.

Bonum commune, sicuti in quavis societate publica, ita etiam in Ecclesia, exigit ut circa relationes iuridicas publicas fidelium dubia non habeantur. Negotia autem iuridica fori interni plerumque secrete et in occulto peraguntur; hinc publice probari nequeunt; consequenter negotia iuridica fori interni *ex defectu legitimae probationis* non possunt recognosci in foro externo nec habere efficaciam iuris publici.

Si autem negotium iuridicum fori interni peragitur ita, ut etiam in foro externo probari possit, eo ipso peragitur ratione habita etiam boni communis Ecclesiae. Hinc tale negotium iuridicum fori interni plenam efficaciam iuris publici habere potest. Ita « dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto » recognoscitur etiam in foro externo, si « postea occultum impedimentum publicum evaserit », dummodo rescriptum S. Poenitentiariae aliud non ferat, et dispensatio adnotata fuerit in libro secreto Curiae, ita ut concessio dispensationis probari possit in foro externo [15]. Pariter ordinarie tunc tantum « censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit », « nisi concessio absolutionis (datae in foro interno) probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo » [16].

---

[15] Can. 1047.

[16] Can. 2251. « Bene considerandum est munus sacerdotis absolventis censuras etiam in sacramentali confessione; quod munus,

Hac dispositione tamen non tangitur principium ordinarie non sufficere actum potestatis iurisdictionis fori interni ad causam publicam componendam; requiritur potius — saltem ad causam publicam componendam *definitive* — actus potestatis iurisdictionis fori externi. Ita absolutio a censura ferendae sententiae, sive per sententiam iudicialem condemnatoriam, sive per praeceptum inflicta, requirit semper recursum ad Superiorem competentem fori externi, nec cadit facultas absolvendi a tali censura sub facultate concessa pro foro interno in casibus urgentioribus [17]. Si in periculo mortis talis absolutio conceditur, manet obligatio, postquam poenitens convaluerit, recurrendi ad Superiorem competentem fori externi, sub poena reincidentiae in censuram [18].

Immo, etiam supposito actu legitimo potestatis iurisdictionis fori interni, quo causa componitur, non excluditur interventus Superioris legitimi fori externi in casu — qui forte nullo modo praevideri potuit — quo effectus actus potestatis iurisdictionis fori interni creent praeiudicium bono communi Ecclesiae, e. g. eo, quod causa prius occulta fit publica. Ita Superior fori externi omnino legitime urgere potest observationem censurae latae sententae, etiamsi absolutio in foro interno concessa habetur; immo suppositis supponendis poena infligi posset pro de-

---

non ministri Dei sed potius *publici officialis* societatis naturam redolet. Quare nihil prohibet quominus, consentiente delinquente, confessarius etiam scriptam declarationem tradat de concessa absolutione, ut haec valorem exserat etiam in foro externo ». Possunt inducere praesumptionem absolutionis « e. g. schedula peractae confessionis, confessio vel communio coram omnibus peracta, publica satisfactio parti laesae, certa poenitentia suscepta, etc. ». (F. Roberti. De delictis et poenis, vol. I. Romae, impressio altera, 353 s.).

[17] Can. 2245 § 2, 2254 § 1.

[18] Can. 2252.

licto in foro interno iam expiato, nisi interim habeatur praescriptio actionis iudicialis [19].

Hinc censemus *restrictionem efficaciae actus potestatis iurisdictionis fori interni concipiendam esse tamquam efficaciam conditionatam quoad ordinem iuris publici* [20]. Applicatur igitur simpliciter principium limitabilitatis iuris privati rationibus iuris publici. A. v. actus potesta-

---

[19] « Thesaurus (i. e. i. Sayrus, Thesaurus casuum conscientiae) l. c. quaerit etiam, an si constet in foro externo de tali dispensatione vel absolutione concessa in foro interno et constet, utpote per schedulam confessarii, an iudex rationem habere debeat huiusmodi probationis admittens, etiam pro foro externo, effectus huius dispensationis aut absolutionis. — Et advertit, omnes D. D. in hoc convenire, nempe Ordinarium posse, si velit cum taliter absoluto benigne agere et acceptare illam absolutionem ut suffragetur etiam pro foro externo et repellere Promotorem Fiscalem. — Sed, ex legitima causa, Ordinarius posset aut deberet nihili facere absolutionem aut dispensationem concessam tantum pro foro interno. Inquam — posset —, nimirum, quando iudicet expedire, ad reparandum scandalum, exigere ut publice absolutio vel dispensatio concedatur adhibitis solemnitatibus praescriptis pro foro externo. Imo — deberet — quotiescumque quis absolutus in foro conscientiae debitam satisfactionem parti laesae non dedit et pars expostulat sibi congruam dari satisfactionem. Tunc iudex edicere debet, reum declarare censura aut quocumque alio vinculo poenali innodatum in foro externo quousque non satisfecerit et deinde absolutus vel dispensatus fuerit. Ita pluries decisum fuit a S. Rota Rom ». (Lega, l. c. Nr. 107 nota 1). Cf. etiam can. 1703, 1704.

[20] Restrictionem efficaciae actus potestatis iurisdictionis fori interni ad ordinem iuris privati tantum non obstare unitati ordinis iuridici Ecclesiae probatione non indiget. Immo in ipso foro externo interdum ponitur actus iuridicus, cuius efficacia, de se generalis, restringitur ad *unicum actum* tantum. Ita, si ante electiones canonicas electores absolvuntur a censuris in ordine tantum ad valide et licite ferendum votum in electione habenda. Quoad electionem Romani Pontificis dicitur in Const. Ap. « Vacantis Apostolicae Sedis » Pii XII. diei 8. decembris 1945 (Acta Ap. Sedis 1946, 76): « Quas quidem censuras ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus ». Cf. etiam can. 66 § 3 in fine.

tis iurisdictionis fori interni habet efficaciam iuris publici sub conditione, scl. dummodo Superior legitimus fori externi efficaciae actus potestatis iurisdictionis fori interni non obstet ob rationes boni communis Ecclesiae. Haec conditio est propria omni actui potestatis iurisdictionis fori interni natura sua, quia talis actus natura sua tantum in bonum privatum fidelium ordinatur; agitur proinde de conditione *implicita,* tacita, de qua explicite sermo esse non debet; ipso iure enim omni actui potestatis iurisdictionis fori interni adnectitur.

Hac conditione supposita bene explicatur dispositio can. 2251: Si absolutio censurae detur in foro interno, « absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit ». Absolutus potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi, quia saepe rationes iuris publici non obstant efficaciae actus potestatis iurisdictionis fori interni. Altera ex parte Superior legitimus fori externi rationem habere absolutionis in foro interno concessae non tenetur; immo, etiamsi legitime probatur concessio absolutionis in foro interno, Superior legitimus fori externi potest quidem, sed non tenetur illam ratam habere etiam in foro externo.

Similiter efficacia actus potestatis iurisdictionis fori interni concipienda est etiam in aliis casibus: in dispensatione ab irregularitatibus, a poenis vindicativis, ab observatione dierum festorum, ieiunii et abstinentiae etc. Semper actui actui potestatis iurisdictionis fori interni adnectitur conditio tacita, qua Superiori fori externi sua iura ratione boni communis, iura ordinis iuris publici reservantur. Haec conditio est *suspensiva,* relate ad rationes excludentes efficaciam iuris publici, quae momento, quo actus potestatis iurisdictionis fori interni ponitur, mani-

feste iam apparent; a. v. actus potestatis iurisdictionis fori interni ponitur cum conditione suspensiva quoad efficaciam in foro externo, quamdiu tales rationes iuris publici excludentes efficaciam iuris publici perdurant. Ita e. g. absolutus legitime in foro interno ab excommunicatione — forte in mortis periculo — non potest publice sacramenta recipere in locis, in quibus tamquam excommunicatus publice notus est.

Haec conditio est *resolutiva,* relate ad rationes excludentes efficaciam iuris publici, quae momento, quo actus potestatis iurisdictionis fori interni ponitur, nondum apparent; a. v. actus potestatis iurisdictionis fori interni ponitur cum conditione resolutiva quoad efficaciam in foro externo, si postea apparent tales rationes iuris publici, quae excludunt efficaciam in foro externo; in hoc casu Superior legitimus fori externi suo interventu aufert efficaciam iuris publici ab actu potestatis iurisdictionis fori interni. Ita e. g. absolutus legitime in foro interno a censura latae sententiae contracta per perpetrationem delicti occulti, potest cogi ad observationem censurae a Superiore legitimo fori externi, si postea delictum publicum fiat et scandalum generet.

Talis ablatio efficaciae iuris publici ab actu potestatis iurisdictionis non creat difficultatem, quando agitur de effectibus iuridicis *iuris ecclesiastici,* e. g. de absolutione a censuris, de dispensatione a poenis vindicativis et ab irregularitatibus, necnon ab observatione dierum festorum, ieiunii et abstinentiae etc. Talis absolutio vel dispensatio de se efficax est in ordine iuridico Ecclesiae simpliciter tali. Altera ex parte agitur de effectu solius iuris ecclesiastici, de effectu in ordine iuridico Ecclesiae tantum, et insuper de effectu, qui non est in indivisibili. Hinc Ecclesia id quod concessit pro proprio ordine iuridico, auferre potest sive ex toto sive ex parte. Et quia actus potestatis iurisdictionis fori interni positus fuerit, sub conditione relate ad efficaciam iuris publici, Eccle-

sia impleta conditione legitime aufert hanc iuris publici efficaciam ab actu potestatis iurisdictionis fori interni.

Quando autem non agitur de effectu solius iuris ecclesiastici, de effectu in ordine iuridico Ecclesiae tantum, quando agitur de effectu in indivisibili, Ecclesia non potest auferre efficaciam ab actu potestatis iurisdictionis, nisi in quantum haec efficacia directe spectat *ad proprium ordinem iuridicum*. Ita dispensatio concessa legitime in foro interno ab impedimento matrimoniali, potest a Superiore legitimo fori externi — saltem si concessio dispensationis legitime non probetur — tamquam non concessa haberi. In tali casu autem matrimonium — contractum post concessam dispensationem in foro interno ab impedimento — non est invalidum ratione impedimenti, et, si agitur de matrimonio rato et consummato, nequidem Ecclesia potest illud solvere; multo minus negatio recognitionis ipsius dispensationis ab impedimento sufficeret ad solvendum matrimonium. Attamen negatio recognitionis dispensationis datae efficit, ut dispensatio ab impedimento matrimoniali denuo peti debeat in foro externo, ne conflictus oriatur inter forum internum, in quo matrimonium est validum, et forum externum, in quo eius valor, qui est in indivisibili, nondum recognoscitur.

Similiter condonatione definitiva bonorum ecclesiasticorum, quae usurpata vel illegitime in proprios usus conversa fuerint, transfertur ipsum dominium horum bonorum; a. v. iura mutantur in ipso ordine iuridico *naturali*[21]. Ne talis translatio dominii haberetur, causae compositio in foro interno transcendere non deberet concessionem meae possessionis bonorum bona fide. Quoad dominium transferendum compositio causae maneret sub conditione suspensiva, usquedum dominium bonorum le-

[21] Cf. W. Bertrams S. J., De efficacia negotii iuridicii ecclesiastici extra forum canonicum, Periodica de re morali canonica liturgica 1950, 121 ss.

gitima praescriptione acquisitum esset. Si enim compositio causae in foro interno fieret per translationem dominii, cui ex natura actus potestatis iurisdictionis fori interni adnexa est conditio resolutiva, interventus Superioris legitimi fori externi, qui quacumque de causa restitutionem bonorum urgeret, revocaret translationem dominii in foro interno peractam; haec revocatio autem ad conflictum duceret inter forum internum et forum externum, praesertim, si bona condonata forte iam tertio vendita fuissent. Talis conflictus quidem non excluditur, si in foro interno conceditur tantum possessio bonorum bona fide; nam ipsa concessio possessionis bonorum bona fide data in foro interno forte non recognoscitur a Superiore fori externi. Proinde si tempore elapso ad praescriptionem requisito Superior fori externi urgeret restitutionem bonorum, conflictus inter forum externum et forum internum non excluditur.

Praesertim quoad actus iurisdictionis fori interni, qui procedunt ex *potestate vicaria divina*, Ecclesia non potest auferre efficaciam ab actu, nisi in quantum haec efficacia spectat ad proprium ordinem iuridicum. Ita absolutioni sacramentali a peccatis non potest adnecti conditio de futuro suspensiva, et multo minus resolutiva; quia absolutione a peccatis homo baptizatus debitum recuperat statum moralem-ethicum coram Deo, qui qua talis non subest directe potestati Ecclesiae. Posset quidem in tali casu Superior legitimus fori externi urgere reparationem scandali et iniustitiae commissae — quae absolutione a peccatis qua tali non necessario habetur — quia reparatio scandali et iniustitiae commissae etiam ratione boni communis Ecclesiae requiritur. Similiter dispensatione legitime concessa in foro interno a votis, Superior fori externi non posset quidem urgere obligationem voti qua talis, quae est directe coram Deo, sed posset Superior fori externi urgere obligationes voto relaxato adnexas, quatenus forte bonum commune Eccle-

siae tangunt. Haec est ratio, cur in foro interno ordinarie non dispensatur a votis publicis; si unquam talis dispensatio in foro interno valide concederetur, in foro externo — saltem deficiente legitima probatione dispensationis concessae — obligationes, quae ex votis ortae fuissent, urgeri possent, quamvis obligatio voti amplius non haberetur. Hinc actus iurisdictionis fori interni, qui ex potestate vicaria divina ponuntur, non excipiuntur proprie a principio generali actus potestatis iurisdictionis fori interni habere efficaciam iuris publici tantum conditionatam; potius effectus principalis et per se intentus talium actuum in se consideratus est directe coram Deo; qua talis autem non potest creare praeiudicium bono communi Ecclesiae et ita nec habere efficaciam conditionatam iuris publici.

Cum igitur negotium iuridicum fori interni habeat efficaciam iuris publici conditionatam, negotia iuridica fori interni de iure non valent definitive componere causas iuridicas fidelium. Si tamen in plurimis casibus habent effectum *definitivum*, hoc explicatur ex eo, quod *de facto* causae foro interno commissae saepissime bonum commune Ecclesiae non tangunt nec postea unquam tangent; hinc de facto iura privata actu potestatis iurisdictionis fori interni constituta non limitantur rationibus iuris publici. Haec insuper saepe praevideri possunt satis certo, ita ut multa negotia iuridica fori interni inde ab initio practice habeant efficaciam definitivam.

## III. Solutio difficultatum.

1. *Forum internum est forum conscientiae.*

In ipso can. 196 forum internum dicitur etiam forum conscientiae. Hinc interdum efficacia actus potestatis iurisdictionis fori interni restringitur ad efficaciam in

*ordine morali-ethico,* ad relationes conscientiae et coram Deo. Proinde denegatur foro interno natura *iuridica,* negatur actum potestatis iurisdictionis fori interni habere efficaciam in Ecclesia, quatenus est societas externa et iuridica. Forum externum habetur tamquam forum iuris ecclesiastici, forum internum habetur tamquam forum iuris divini [22].

Hanc conceptionem non esse genuinam ex illis quae supra dicta sunt elucet. Actus potestatis iurisdictionis fori interni habet efficaciam iuridicam. Haec efficacia est quidem conditionata quoad ordinem iuris publici, quoad forum externum; attamen hoc non afficit eius naturam iuridicam, sed potius illam confirmat, quia actus potestatis iurisdictionis fori interni efficaciam iuris publici habere potest et saepe etiam habet.

Immo, non raro status moralis-ethicus fidelium — relationes conscientiae, relationes ad ipsum Deum — conformis esse potest ordini obiectivo morali-ethico tantum, postquam relationes iuridicae ad Ecclesiam, quatenus est societas externa et iuridica, ordinatae fuerit. Ita e. g. homo baptizatus, qui censuram ecclesiasticam contraxit, non tantum non habet debitas relationes iuridicas ad Ecclesiam, sed nequidem est in debito statu morali-ethico coram Deo, quia secundum legem divinam communionem

---

22 « Dieses innere Gebiet bezeichnet man als das forum internum und soweit die Leitungsgewalt dieses berührt, spricht man von einer iurisdictio interna ... Da aber das Recht seiner innersten Natur nach nur das äussere Verhalten normiren kann, so fällt die iurisdictio interna nicht in seinen Bereich und die darauf bezüglichen Grundsätze gehören demnach nicht in eine Darstellung des Kirchenrechts ». (P. Hinschius, System des katholischen Kirchenrechts, Erster Band, Berlin 1869, 168). « Hic agimus de iurisdictione fori interni sive de potestate regendi fideles in eorum interna ad Deum relatione ». (C. Pesch S. J., Compendium theologiae dogmaticae, tom. IV. Friburgi Brisgoviae 1936, 211). Effectus actus potestatis fori interni « per se operatur tantum coram Deo, et non coram societate ». (Capobianchi l. c. 374).

cum Ecclesia, quatenus est societas externa et iuridica, habere debet. Absolutione a censura data in foro interno status moralis-ethicus censurati, in quantum per censuram violatus fuerit, reparatur; a. v. relationes fidelis ad Deum ordinantur, quia ad communionem cum Ecclesia, quatenus est societas externa et iuridica, reassumptus est. Hoc ultimum est effectus immediatus absolutionis a censura, etiamsi haec absolutio datur in foro interno. Similiter matrimonium invalidum propter impedimentum ecclesiasticum dirimens non est verum matrimonium, nequidem coram Deo. Si autem hoc impedimentum occultum est, sufficit — ad normam can. 1047 — dispensatio ab illo in foro interno concessa, ut matrimonium convalidari possit et tamquam validum habeatur in Ecclesia tamquam societate externa et iuridica, et consequenter etiam coram Deo. Immo interdum status moralis-ethicus fidelium non est conformis ordini obiectivo, quia ipse ordo iuridicus naturalis violatus fuerit et restitutione indiget. Ita si quis in proprios usus convertit vel usurpavit bona ecclesiastica, non tantum legem ecclesiasticam violavit, sed iniustitiam commisit. Nisi haec bona restituantur, compositio huius causae fieri posset tantum per Superiorem legitimum personae moralis ecclesiasticae, quae damnum passa est. Proinde compositio huius causae per actum potestatis iurisdictionis fori interni necessario comprehenderet translationem dominii circa haec bona a persona morali ecclesiastica in alium, aut saltem concessionem possessionis bona fide bonorum, qua possessione tandem aliquando per praescriptionem acquiri potest dominium bonorum. Hinc *consequenter* tantum ad hanc ordinationem relationum iuridicarum delinquens debitum recuperat statum moralem-ethicum coram Deo. Ergo per actum potestatis iurisdictionis fori interni modificantur ipsae relationes iuridicae fidelium; saepe consequenter tantum ad ordinationem relationum iuridicarum in Ec-

clesia ordinantur relationes conscientiae, relationes ad Deum.

Quidquid forte sit de hoc asserto, in quantum agitur de actu iurisdictionis posito ex *potestate vicaria divina*, nullum tamen videtur esse dubium, in quantum agitur de actu iurisdictionis posito ex *potestate propria Ecclesiae*. Nequaquam igitur actus potestatis iurisdictionis fori interni habent effectus pro conscientia tantum negatis omnibus effectibus iuridicis. Nequaquam forum externum est exclusive forum iuris ecclesiastici, neque forum internum dici potest forum iuris divini tantum [23].

---

[23] De cetero actus iurisdictionis fori *externi* saepe ponuntur potestate vicaria divina, e. g. in dispensatione matrimonii rati non consummati. — Secundum illa quae supra dicuntur, relationes conscientiae saepe ordinantur demum consequenter ad ordinationem relationum iuridicarum in Ecclesia *saltem*, si agitur de actu potestatis iurisdictionis *propriae* Ecclesiae posito in foro interno. Ita tamen non intendimus negare rem ita etiam esse explicandam, quando agitur de actu iurisdictionis fori interni posito ex potestate *vicaria* divina. Effectus absolutionis a peccatis datae in foro sacramentali est quidem sine dubio reconciliatio peccatoris cum Deo, et ad hunc effectum absolutio principaliter ordinatur. Sunt autem multi auctores, qui negant hunc effectum esse immediatum. Potius effectus immediatus absolutionis sacramentalis habetur reconciliatio peccatoris cum Ecclesia, quatenus est societas externa et iuridica. (Notandum etiam circa peccata interna post accusationem externam haberi sententiam iudicialem). Ecclesia autem tamquam societas externa et iuridica manifestat eius vitam internam, supernaturalem, ordinatur in vitam supernaturalem; Ecclesia « externa » et Ecclesia « interna » unitatem indissolubilem constituunt. (Cf. Bertrams, Die Eigennatur des Kirchenrechts, l. c.). Ita reconciliatio peccatoris cum Ecclesia est simul reassumptio peccatoris ad vitam Ecclesiae internam, supernaturalem et qua talis etiam reconciliatio peccatoris cum ipso Deo. Ipsa Ecclesia, ipsa activitas Ecclesiae est ad modum sacramenti, i. e. signum externum efficax gratiae.

« Scrutantes fontes sacrosanctae nostrae fidei perspeximus tum S. Scripturam, tum SS. Patres usque ad S. Augustinum maximo, qui desiderari potest, consensu docuisse communionem Corporis Christi et amicam societatem fidelium esse fructum immediatum

Iure tamen forum internum sensu proprio vocatur *forum conscientiae*. Nam relationes conscientiae sunt relationes personales. Jamvero forum internum ordinatur ad bonum personale. In quantum igitur ad ordinandas relationes iuridicas in Ecclesia sufficit actus potestatis

---

remissionis sacramentalis ... Deinde ad Scholasticos aureae aetatis conversi, easdem conclusiones a summis Doctoribus prolatas comprobavimus. Tantis freti auctoritatibus sententiam recentiorum, iuxta quos christianorum positio in Ecclesia nec peccato immutatur nec remissione sacramentali, non arbitrati sumus ita indeclinabilem, quin fas nobis esset, elementis sacramenti cautius distinctis ordinatisque commodius, fidem Ecclesiae, et veteris et hodiernae, explicare hac formula scientifica, qua diceretur: Reconciliationem cum Ecclesia esse rem et sacramentum sacramenti poenitentiae », quia « effectum immediate significatum et causatum per sacramentum externum, qui vicissim signum est et causa gratiae sanctificantis, scholastici appellare consueverunt rem et sacramentum ». (Fr. Bartholomaeus F. M. Xiberta, O. Carm. C., Clavis Ecclesiae, Romae 1922, 96 et 12).

De hac sententia (Fr. B. Xiberta) dicit B. Poschmann (Paenitentia secunda, Die kirchliche Busse im ältesten Christentum bis Cyprian und Origines, Bonn 1940, 12, Anm. 1): « Wir werden im Verlauf unserer Ausführungen immer wieder festzustellen haben, dass seine Meinung tatsächlich richtig ist und dass die altkirchliche Busslehre überhaupt nur von ihr aus verständlich wird ».

Propriam opinionem inter conclusiones huius operis cl. auctor ita proponit: « Die Heilskraft der Rekonziliation beruht also auf der Heilskraft der Kirche. Der ' Frieden mit der Kirche ' in der Aufhebung der Exkommunikation und in der damit bekundeten kirchlichen Verzeihung, in dem wir die formale Wirkung der Rekonziliation zu sehen haben, versetzt den Sünder von neuem in die Sphäre der Gnade und ermöglicht ihm damit den Frieden auch mit Gott. In diesem Sinne gilt, dass das ' Lösen auf Erden ' das ' Lösen im Himmel ' zur Folge hat. Der die irdische Kirche öffnende Schlüssel erschliesst auch den Himmel. Und eben darin, dass der Akt der Wiederaufnahme in die Kirche zusammenfällt mit der Aufnahme in die innere Gnadengemeinschaft des Hl. Geistes, liegt der Sakramentscharakter der kirchlichen Busse ». (Poschmann l. c. 486).

Neque obiici potest in concessione reconciliationis in Ecclesia antiqua agi semper de absolutione ab *excommunicatione* antea

iurisdictionis fori interni, in tantum hic actus sufficit etiam ad ordinandas relationes conscientiae. A. v. in quantum causae iuridicae fidelium habent aspectum moralem-ethicum, in tantum requiritur saltem et sufficit ordinarie actus potestatis iurisdictionis fori interni ad com-

---

pronuntiata in peccatorem. Nam, uti recte notat K. Mörsdorf (Der hoheitliche Charakter der sakramentalen Lossprechung, Trierer Theologische Zeitschrift 1948, 335 ss.), in reconciliatione concessa ab antiqua Ecclesia manifestatur natura absolutionis sacramentalis, quae proinde etiam nunc in sacramento poenitentiae habetur. « Die Lossprechung von der Sünde bedeutet daher auch heute noch, dass die durch dieSünde in irgendeinem Grade verlorene Kirchengemeinschaft wiedergewonnen wird, und zwar von dem schweren Sünder so gewonnen wird, dass er wieder lebendiges Glied der kirchlichen Gemeinschaft ist und am eucharistischen Opfermahl teilhaben kann, von dem, der keiner schweren Sünde schuldig ist, dagegen so, dass die Kirchengemeinschaft durch die Gnade des Sakramentes vertieft und befestigt wird ... Im Lichte des Glaubensbewusstseins der altchristlichen Zeit wird deutlich, was in der sakramentalen Lossprechung als sinnfälligem und wirkkräftigem Zeichen der Gnade geschieht: Der bussfertige Sünder wird aufgenommen in die lebendige Kirchengemeinschaft ». (l. c. 335, 339).

« Die Pax cum Ecclesia ist dann aber das sakramentale Zeichen und Unterpfand für seinen Frieden mit Gott. Dieser Friede mit der Kirche ist die erste Wirkung der sakramentalen Busse ... Die Wiederaufnahme in die Gemeinschaft der Kirche war für das lebendige Bewusstsein der Kirche nicht nur Aufnahme in einen blossen Rechtsverband eines forum externum juristischer Prägung. Die Kirche wusste, dass sie durch die Rekonziliation den Büssenden wieder in ihre Gnadeneinheit hereinholte, die als Seele in ihrer sichtbaren Gemeinschaft lebt ». (O. Semmelroth S. J., Theologisches zur häufigen Beichte, Theologie und Glaube 1950, 9 s.).

« Das Bussakrament bedentet also zunächst eine Wiederaufnahme in die Heilsgemeinschaft der Kirche, den mystischen Leib Christi ». (N. Krautwig OFM, Die Gefährdung und Erneuerung des Bussakramentes, Geist und Leben 1951, 24).

Si haec sunt vera, generaliter dici posset: Actum potestatis iurisdictionis fori interni tamquam effectum immediatum habere modificationem relationum iuridicarum fidelium in Ecclesia, et consequenter demum ad hanc ordinationem relationum iuridicarum haberi ordinationem relationum conscientiae, relationum ad Deum.

ponendam causam etiam coram Deo. Non autem potest esse dubium post interventum Superioris legitimi fori externi, qui urget obligationes in foro interno legitime relaxatas, has obligationes suppositis supponendis etiam in conscientia de novo obligare. Ita tamen non tangitur principium ordinatis relationibus iuridicis ordinis iuris privati fideles licite agere etiam in conscienta et coram Deo.

Porro forum internum iure dicitur forum conscientiae, quia sententiae huius fori tamquam normam interdum iure applicant principia *iuris naturalis,* abstrahendo a iure positivo praesertim civili — quia forum internum ordinatur ad bonum personale tantum — e. g. quando agitur de valore testamenti, quod caret solemnitatibus iure positivo requisitis. In quantum sententiae fori interni iure applicant principia iuris naturalis abstrahendo a iure positivo, in tantum hae sententiae sufficiunt etiam ad licite agendum in conscientia et coram Deo. Immo, si Ecclesia irritat actum iuridicum pro utroque foro, actum privat sua efficacia non tantum pro ipso ordine iuridico Ecclesiae ratione boni communis, sed eum privat sua efficacia *privata,* quam haberet in ipso ordine iuridico naturali independenter ab omni ordine iuridico societatis positivae [24]. Consequenter ex tali actu non tantum non oriuntur obligationes, quae in foro externo Ecclesiae urgeri possunt, e. g. per actionem iudicialem, sed non oriuntur nequidem obligationes iuris naturalis; hinc non oriuntur obligationes conscientiae, obligationes coram Deo. Ita, ad normam can. 1017 § 1, « matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus ». Consequenter

[24] Cf. Bertrams, De efficacia negotii iuridici ecclesiastici extra forum canonicum. (l. c. 131 ss.).

ex tali promissione informi *nequidem in conscientia* oritur obligatio celebrandi matrimonium; hoc sensu etiam pro foro interno promissio matrimonii informis irrita est.

2. *Ad forum internum spectant causae iuridicae fidelium occultae.*

Interdum dicitur criterium distinctionis inter forum externum et forum internum haberi in eo, quod ad forum internum spectant causae *occultae,* ad forum externum causae *non occultae* [25]. Videtur tamen ita causas, quae foro interno et causas, quae foro externo committendae sunt, adaequate distingui non posse. Quod attinet e. g. delicta occulta, de quibus est sermo in can. 2197, 4, extra dubium est haec non spectare exclusive ad forum internum. Ad normam can. 1933 § 1 delicta occulta non quidem sunt obiectum stricti dicti processus criminalis. Dummodo autem ipsum delictum certum sit, i. e. dummodo probari possit in foro externo, etsi divulgatum non est, propter tale delictum occultum poena canonica in foro externo per modum praecepti extra iudicium infligi potest ad normam can. 1933 § 4. Immo, quoad suspensionem ex informata conscientia infligenda ad normam can. 2193, discretioni Ordinarii relinquitur causam suspensionis clerico patefacere aut reticere. Omnia igitur procedunt quam maxime secrete et occulte. Attamen haec poena applicatur in foro externo; recursus contra suspensionem ex informata conscientia fit apud S. Romanam Congregationem competentem, non apud S. Poenitentiariam. Porro matrimonium conscientiae, de quo in can. 1104 ss., celebratur in occulto cum obligatione servandi secreti ex parte sacerdotis assistentis, testium etc. Non autem celebratur matrimonium conscientiae in foro interno, sed sine dubio in foro externo.

---

[25] Ita passim auctores.

Etsi igitur ad forum internum non spectat quaevis causa occulta, tamen *quaevis causa fori interni est causa occulta.* Hoc assertum probatur ex nota essentiali et constitutiva potestatis iurisdictionis fori interni, scl. ex eius ordinatione in bonum privatum fidelium. Nam causae personales seu privatae ex eo, quod sunt tales, publice notae non sunt. Hinc fideles habent ius exigendi, ne causae eorum privatae, cum bono communi Ecclesiae non praeiudicent, publice notae fiant. Notitia enim publica causae privatae in se constituit incommodum, immo, quando agitur de delictis aut de aliis defectibus, praesertim moralibus, detrimentum bonae famae. Talis character occultus proinde est *proprium* causae fori interni, etsi non est eius nota essentialis et constitutiva. Itaque practice plerumque verum est causam esse attribuendam foro interno, quia occulta est et occulte peragi potest et debet.

*Corollarii* instar liceat notare exsistentiam fori interni esse confirmationem asserti in introductione relati: etiam in ordinatione canonica *distinctionem inter ius privatum et publicum* applicabilem et applicandam esse.

W. BERTRAMS *S. J.*

# MONUMENTA

## 15 - SS. D. N. Pius Pp. XII

## QUAESTIONES MORALES VITAE CONIUGALIS

### I

*Riportiamo qui il Discorso che il Santo Padre si è degnato di rivolgere, nella Udienza di questa mattina lunedì 29 ottobre, alle partecipanti al Congresso della Unione Cattolica Italiana Ostetriche, che si svolge in questi giorni a Roma in collaborazione con la Federazione Nazionale dei Collegi delle Ostetriche.*

(*L'Osservatore Romano* [1951 - N. 252] pp. 3-4).

1. Vegliare con sollecitudine su quella culla silenziosa e oscura, ove Iddio al germe dato dai genitori infonde un'anima immortale, per prodigare le vostre cure alla madre e preparare al bambino, che ella porta in sè, una nascita felice, ecco, dilette figlie, l'oggetto della vostra professione, il segreto della sua grandezza e della sua bellezza.

---

1. *Obscuris et silentibus cunis, ubi Deus posito a parentibus germini immortalem animam infundit, sollicite invigilare ut mulieri pariturae omni studio adsitis felicemque ortum infanti, quem adhuc gerit in gremio, paretis, haec sunt, dilectae filiae, muneris vestri officia, haec est eius excellentiae et pulchritudinis intima ratio.*

2. Quando si pensa a questa ammirabile collaborazione dei genitori, della natura e di Dio, dalla quale viene alla luce un nuovo essere umano ad immagine e somiglianza del Creatore (cfr. *Gen.* 1, 26-27), come si potrebbe non apprezzare al suo giusto valore il concorso prezioso che voi apportate a tale opera? L'eroica madre dei Maccabei ammoniva i suoi figli: « Io non so per qual modo voi abbiate preso essere nel mio seno; non io vi ho dato lo spirito e la vita, nè io ho composto l'organismo di ognuno di voi. Dunque il Creatore dell'universo ha formato l'uomo nel suo nascere » (*2 Mac.* 7, 22).

3. Perciò chi si appressa a questa culla del divenire della vita e vi esercita la sua azione in uno o in altro modo, deve conoscere l'ordine che il Creatore vuole vi sia mantenuto e le leggi che ad esso presiedono. Poichè non si tratta qui di pure leggi fisiche, biologiche, alle quali necessariamente obbediscono agenti privi di ragio-

---

2. *Si mirabilem parentum, naturae Deique consociatam operam consideremus, ex qua novus homo ad Creatoris imaginem et similitudinem factus* (cfr. Gen. I, 26-27) *editur in lucem, potestne non recte aestimari praestans auxilium a vobis huic operi praestitum? Fortissima Machabaeorum mater his verbis filios hortabatur*: « *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem* » (2 Mach. VII, 22).

3. *Qui ergo ad hasce cunas, ubi vita oritur, accedit operam suam quoquo modo daturus, ordinem cognoscat oportet, quem iubet Creator servari; et leges quae illi moderantur. Non enim agitur hic de legibus tantum physicis et biologicis, quibus oboediant necesse est entia vires-*

ne e forze cieche, ma di leggi, la cui esecuzione e i cui effetti sono affidati alla volontaria e libera cooperazione dell'uomo.

4. Quest'ordine, fissato dalla intelligenza suprema, è diretto allo scopo voluto dal Creatore; esso abbraccia l'opera esteriore dell'uomo e la interna adesione della sua libera volontà; implica l'azione e la doverosa omissione. La natura mette a disposizione dell'uomo tutta la concatenazione delle cause, dalle quali sorgerà una nuova vita umana; all'uomo spetta di sprigionarne la forza viva, alla natura di svilupparne il corso e di condurla a compimento. Dopo che l'uomo ha compiuto la sua parte e ha messo in movimento la maravigliosa evoluzione della vita, il suo dovere è di rispettarne religiosamente il progresso, dovere che gli vieta di arrestare l'opera della natura o d'impedirne il naturale sviluppo.

---

*que rationis expertia, at vero de legibus, quarum executio effectusque pendent a voluntaria et libera hominis cooperatione.*

4. *Hic autem ordo, divina mente constitutus, id spectat quod Creator ipse voluit, atque utrumque complectitur: hominis operam liberumque assensum; quid nempe agere quidque omittere debeat. Natura totam arbitrio hominis permittit causarum connexionem, ex quibus novus orietur homo; vitalem ergo vim quasi vinculis exsolvere hominis est; naturae vero eam in suo cursu augere atque ad exitum adducere. Postquam autem homo quod debebat ipse, praestitit, effecitque ut novus homo mire inciperet formari, debet illius progressum tam religiose tueri, ut neque operantem naturam possit cohibere, neque corporis impedire incrementum.*

5. In tal guisa la parte della natura e la parte dell'uomo sono nettamente determinate. La vostra formazione profesionale e la vostra esperienza vi mettono in grado di conoscere l'azione della natura e quella dell'uomo, non meno che le norme e le leggi, a cui ambedue sono soggette; la vostra coscienza, illuminata dalla ragione e dalla fede, sotto la guida dell'Autorità stabilita da Dio, v'insegna fin dove si estende l'azione lecita, e dove invece strettamente s'impone l'obbligo della omissione.

6. Alla luce di questi principî Noi Ci proponiamo ora di esporvi alcune considerazioni sull'*apostolato*, a cui la vostra professione v'impegna. Infatti ogni professione voluta da Dio importa una *missione*, quella cioè di attuare, nel campo della professione stessa, i pensieri e le intenzioni del Creatore, e di aiutare gli uomini a comprendere la giustizia e la santità del disegno divino e il bene che ne deriva per loro stessi dal suo adempimento.

---

5. *Tali modo quid praestet homo quidque natura, est clare praefinitum. Vos obstetricia arte institutae in eaque expertae, iam probe dignoscere potestis quid debeat homo quidve natura agere, eaedemque perspectas habere normas legesque, quibus est ab utroque parendum; vestra autem conscientia, ratione fideque illustrata et auctoritati supremi Pastoris a Deo constituti obtemperans, vos edocet quousque liceat vobis agendo procedere, et, e contrario, quid prorsus omittere debeatis.*

6. *Quibus praelucentibus principiis, adducimur ut, explicandi causa, quaedam de* apostolatu *proponamus, ad quem ars ipsa vos adstringit adigitque. Etenim quaevis ars a Deo volita,* mandatum *fert, exequendi videlicet in ipsa profitenda, quae Creator ipse vult, iuvandique homines ut iustum et sanctum Dei consilium intelligant bonumque illis ipsis obventurum, si ei consilio opera obsequantur.*

## I.

### Il vostro apostolato professionale si esercita in primo luogo per mezzo della vostra persona.

Perchè vi si chiama? Perchè si è convinti che voi conoscete la vostra arte; che voi sapete di che cosa la madre e il bambino hanno bisogno; a quali pericoli ambedue sono esposti; come questi pericoli possono essere evitati o superati. Si attende da voi consiglio e aiuto, naturalmente non in modo assoluto, ma nei limiti del sapere e del potere umano, secondo il progresso e lo stato presente della scienza e della pratica nella vostra specialità.

8. Se tutto ciò si attende da voi, è perchè si ha fiducia in voi, e questa fiducia è, innanzi tutto, cosa personale. La vostra persona deve ispirarla. Che tale fidu-

---

## I.

### Professionis vestrae apostolatus exercetur in primis vestra ipsarum persona.

7. *Cur vos advocant? Quia profecto persuasum habent vos artem vestram pernoscere, quibus nempe rebus cum mater tum infans indigeant; quibus periculis uterque sit obnoxius, qua ratione possint haec pericula vitari, vinci. Consilium auxiliumque a vobis sperant, non tamen certe quacumque ratione, at quantum homines scire et facere possunt, et congruenter praesenti scientiarum progressui peritiaeque artis vestrae.*

8. *Si haec omnia a vobis exspectantur, ideo est, quia vobis confidunt; et haec fiducia nititur potissimum vestra persona, quae ipsa debet fiduciam illis afferre. Ne*

cia non rimanga delusa, è non soltanto vostro vivo desiderio, ma anche una esigenza del vostro ufficio e della vostra professione, e quindi un dovere della vostra coscienza. Perciò voi dovete tendere ad elevarvi fino all'apice delle vostre cognizioni specifiche.

9. Ma la vostra abilità professionale è anche una esigenza e una forma del vostro apostolato. Quale credito infatti troverebbe la vostra parola nelle questioni morali e religiose connesse col vostro ufficio, se voi appariste deficienti nelle vostre cognizioni professionali? Al contrario, il vostro intervento nel campo morale e religioso sarà di tutt'altro peso, se voi saprete incutere rispetto con la vostra superiore capacità professionale. Al favorevole giudizio, che vi sarete guadagnate col vostro merito, si aggiungerà nello spirito di coloro, che ricorrono a voi, la ben fondata persuasione che il Cristianesimo con-

---

*autem hac sua fiducia decipiantur, non vos unae exoptatis, sed etiam officium munusque vestrum postulat, atque ideo ipsa conscientia. Quare vobis est enitendum ut artem vestram quam perfectissime teneatis.*

9. *Atqui haec artis vestrae peritia, necessaria est ad vestrum apostolatum eiusque forma quaedam est. Quam enim fidem haberent verba consiliaque in rebus ad mores religionemque pertinentibus cum vestra professione connexis, si non ita artis vestrae peritas esse vos praebeatis? Contra, maiori certe pondere auctoritatem in rebus ad mores fidemque spectantibus interponetis, si excellentiori vestra obstetriciae artis peritia, aliis reverentiam vestri incutietis. Qui autem vos adhibent obstetrices, non tantum pro vestris meritis bonum de vobis facient iudicium, at recte etiam persuasum habebunt christianam fidem, si ex firma animi sententia teneatur, et habeatur constanter*

vinto e fedelmente praticato, lungi dall'essere un ostacolo al valore professionale, ne è uno stimolo e una garanzia. Essi vedranno chiaramente che nell'esercizio della vostra professione voi avete coscienza della vostra responsabilità dinanzi a Dio; che nella vostra fede in Dio voi trovate il più forte motivo di assistere con tanto maggior dedizione, quanto più grande è il bisogno; che nel solido fondamento religioso voi attingete la fermezza di opporre a irragionevoli e immorali pretese (da qualsiasi parte esse vengano) un calmo, ma impavido e irremovibile No.

10. Stimate e apprezzate, come siete, per la vostra condotta personale, non meno che per la vostra scienza ed esperienza, voi vedrete affidarvi di buon cuore la cura della madre e del bambino e, forse senza che voi stesse ve ne accorgiate, eserciterete un profondo, spesso silenzioso, ma assai efficace apostolato di cristianesimo vissuto. Per

---

*ac diligenter in usu, non modo nihil impedimenti vestrae artis peritiae afferre, immo etiam ei esse incitamento atque testimonio. Clare videbunt vos in arte vestra exercenda conscias esse gravis oneris erga Deum suscepti; vos ex fide in Deum, qua innixae estis, validissimam habere rationem eo generosius operam vestram praestandi, quo maior est necessitas; vos denique in solidissimo religionis fundamento firmitatem animi habere, qua possitis iniustis, absurdis, dissolutisque petitionibus, (ex qualibet parte veniant), tranquille quidem, at impavide et constanter occurrere atque obsistere.*

10. *Vobis, ut estis vestris ipsarum moribus non minus quam scientia peritiaque vestra, spectatae probataeque, mater infansque libenti animo committentur curandi, ac, ipsae forte inopinantes, gravem efficacissimamque, etiamsi plerumque sine strepitu, christianae vitae professionem*

quanto grande, infatti, possa essere l'autorità morale dovuta alle qualità propriamente professionali, l'azione dell'uomo sull'uomo si compie soprattutto nel duplice suggello della vera umanità e del vero cristianesimo.

## II.

### Il secondo aspetto del vostro apostolato è lo zelo nel sostenere il valore e la inviolabilità della vita umana.

11. Il mondo presente ha urgente bisogno di esserne convinto col triplice attestato della intelligenza, del cuore e dei fatti. La vostra professione vi offre la possibilità di dare un tale attestato e ve ne fa un dovere.

---

*hortationemque ad illam vivendam habebitis. Quantacumque enim est auctoritas dotibus ad ipsum ministerium pertinentibus debita, tunc potissimum homo apud hominem valet eiusque movet animum, cum vitam copulet vero homine sinceroque christiano ex omni parte dignam.*

## II.

### Altera vestri apostolatus ratio diligentia est in defendenda vitae humanae tum praestantia dignitateque tum integritate.

11. *Hoc necesse est nostrae aetatis homines persuasum habeant triplici testimonio, intelligentiae nimirum, caritatis, operum. Hoc autem testificandi, ars vestra et potestatem vobis facit et imponit officium. Sufficiet in-*

Talvolta è una semplice parola opportunamente e con tatto detta alla madre o al padre; più sovente ancora tutta la vostra condotta e la vostra maniera cosciente di agire influiscono discretamente, silenziosamente, su di loro. Voi siete più che altri in grado di conoscere e di apprezzare quel che la vita umana è in sè stessa, e ciò che essa vale dinanzi alla sana ragione, alla vostra coscienza morale, alla società civile, alla Chiesa, e sopra tutto allo sguardo di Dio. Il Signore ha fatto tutte le altre cose sulla terra per l'uomo; e l'uomo stesso, per ciò che riguarda il suo essere e la sua essenza, è stato creato per Iddio, e non per alcuna creatura, sebbene, quanto al suo operare, è obbligato anche verso la comunità. Ora « uomo » è il bambino, anche non ancora nato, allo stesso grado e per lo stesso titolo che la madre.

12. Inoltre ogni essere umano, anche il bambino nel seno materno, ha il diritto alla vita *immediatamente* da

---

*terdum verbo opportuno prudentique matrem patremve alloqui; at tota saepius vestra agendi ratio religioque officii, eorum animos sensim prudenterque pellicit atque movet. Melius quam alii vos cognoscere et aestimare potestis, quid sit ipsa hominum vita quantique fiat a sanae mentis homine, a vestra conscientia, a civium societate, a Christi Ecclesia, ac denique praecipue ab ipso Deo. Omnia Dominus his in terris pro homine creavit, atque ipse homo, quod attinet ad eius esse et naturam, ad Deum creatus est, non vero ad aliquam ex rebus creatis, etsi, quoad suum operari, societati etiam sit obligatus. Atqui infans, etsi nondum editus in lucem, « homo » est aequo iure ac nomine ac mater.*

12. *Praeterea, omnis homo, ideoque etiam infans in utero matris, ius ad vitam* immediate *a Deo habet, non*

Dio, non dai genitori, nè da qualsiasi società o autorità umana. Quindi non vi è nessun uomo, nessuna autorità umana, nessuna scienza, nessuna « indicazione » medica, eugenica, sociale, economica, morale, che possa esibire o dare un valido titolo giuridico per una *diretta* deliberata disposizione sopra una vita umana innocente, vale a dire una disposizione, che miri alla sua distruzione, sia come a scopo, sia come a mezzo per un altro scopo, per sè forse in nessun modo illecito. Così, per esempio, salvare la vita della madre è un nobilissimo fine; ma l'uccisione diretta del bambino come mezzo a tal fine, non è lecita. La diretta distruzione della cosiddetta « vita senza valore », nata o non ancora nata, praticata pochi anni or sono in gran numero, non si può in alcun modo giustificare. Perciò, quando questa pratica ebbe principio, la Chiesa dichiarò formalmente essere contrario al diritto naturale e divino positivo, e quindi ille-

---

*a parentibus aut a qualibet hominum societate vel auctoritate. Nullus ergo datur homo, nulla humana auctoritas, nulla scientia, nulla medica, eugenetica, socialis, oeconomica, moralis « indicatio », quam vocant, quae exhibere conferreque possit validum titulum iuridicum ad* directe *deliberateque pro arbitrio decernendum de insonte homine, ita nempe, ut eius extinctionem spectet, sive ut finem in se, sive ut medium ad alium finem, per se forte nullo modo illicitum. Itaque, verbi gratia, servare matrem ex periculo vitae, res est nobilissima; sed directe prolem occidere ad matris vitam servandam, minime licet. Directa igitur occisio illius « vitae sine valore » quam vocitant, sive natae sive necdum natae, magno numero ante paucos annos adhibita, nequit ullo modo defendi. Propterea, vixdum hoc fieri coepit, Catholica Ecclesia sollemniter edixit* « contrarium esse iuri naturae ac divino positivo, ideoque illicitum, etiam ex mandato publicae auc-

cità; l'uccidere, anche se per ordine della pubblica autorità, coloro che, sebbene innocenti, tuttavia per tare fisiche o psichiche non sono utili alla nazione, ma piuttosto ne divengono un aggravio (*Decr. S. Off.* 2 Dec. 1940 - *Acta Ap. Sedis* vol. 32, 1940, pag. 553-554). La vita di un innocente è intangibile, e qualunque diretto attentato o aggressione contro di essa è violazione di una delle leggi fondamentali, senza le quali non è possibile una sicura convivenza umana. — Non abbiamo bisogno d'insegnare a voi nei particolari il significato e la portata, nella vostra professione, di questa legge fondamentale. Ma non dimenticate: al di sopra di qualsiasi legge umana, al di sopra di qualsiasi « indicazione », si leva, indefettibile, la legge di Dio.

13. L'apostolato della vostra professione v'impone il dovere di comunicare anche ad altri la conoscenza, la stima e il rispetto della vita umana, che voi nutrite nel

---

toritatis, directe occidere eos qui, quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent, eamque potius gravare censentur » (Decr. S. Off. 2 Dec. 1940 - Acta Ap. Sedis vol. 32, 1940, pag. 553-554).

*Insontis vita inviolabilis est, eamque quomodocumque agrediendo appetendoque, violatur una ex primariis legibus, sine quibus tuta hominum consuetudo dari nequit. — Non est profecto necesse ut Nos, singula perpendendo, doceamus vos quae sint huius primariae legis in arte vestra significatio et momentum. At numquam de vestra memoria excidat, supra quamlibet legem humanam « indicationemque » stare legem Dei aeternam.*

13. *Vestrae ergo artis apostolatus imponit vobis officium communicandi etiam cum aliis vitae humanae scientiam illam, aestimationem, venerationem, quam animo*

vostro cuore per convinzione cristiana; di prenderne, al bisogno, arditamente la difesa, e di proteggere, quando è necessario ed è in vostro potere, la indifesa, ancora nascosta vita del bambino, appoggiandovi sulla forza del precetto divino: *Non occides*: non uccidere (*Es.* 20, 13). Tale funzione difensiva si presenta talvolta come la più necessaria ed urgente; tuttavia essa non è la più nobile e la più importante parte della vostra missione; questa infatti non è puramente negativa, ma soprattutto costruttrice, e tende a promuovere, edificare, rafforzare.

14. Infondete nello spirito e nel cuore della madre e del padre la stima, il desiderio, la gioia, l'amoroso accoglimento del nuovo nato fin dal suo primo vagito. Il bambino, formato nel seno materno, è un dono di Dio (*Ps. 127*, 3), che ne affida la cura ai genitori. Con quale delicatezza, con quale incanto, la Sacra Scrittura mostra la graziosa corona dei figli riuniti intorno alla men-

---

*colitis ex christianae doctrinae persuasione; eam, si oporteat, fortiter defendendi, et infantis indefensam vitam atque adhuc abditam protegendi si necesse et integrum vobis sit, vi innixis divini mandati*: « Non occides » (Ex. 20, 13). *Quod defendendi munus apparet quidem interdum omnium maxime necessarium et instans: attamen non est nobilissima pars maximaque vestri ministerii. Hoc enim non tantum negat ac prohibet, sed praecipue construit et studet ut promoveat, aedificet, confirmet.*

14. *Matris igitur patrisque mentes et corda imbuite aestimatione, desiderio, gaudio novae prolis, ut eam iam a prima vagitu dulci expectatione, excipiant. Infans in matris utero formatus, donum est Dei* (Ps. 127, 3), *qui eius curam parentibus committit. Quanta suavitate et animi admiratione sacra Scriptura nostris exhibet oculis,*

sa del padre! Essi sono la ricompensa del giusto, come la sterilità è ben spesso il castigo del peccatore. Ascoltate la parola divina espressa con la insuperabile poesia del Salmo: « La tua sposa sarà come vite rigogliosa nell'intimo della tua casa, i tuoi figli come rampolli di ulivo intorno alla tua mensa. Ecco in qual modo è benedetto l'uomo timorato di Dio! » (*Ps. 128*, 3-4), mentre del malvagio è scritto: « La tua posterità sia dannata allo sterminio, alla prossima generazione ne sia estinto perfino il nome » (*Ps. 109*, 13).

15. Fin dalla sua nascita, affrettatevi — come facevano già gli antichi romani — a deporre il bambino nelle braccia del padre, ma con uno spirito incomparabilmente più elevato. In quelli era l'affermazione della paternità e dell'autorità che ne deriva; qui è l'omaggio di riconoscenza verso il Creatore, l'invocazione della bene-

---

*gratam filiorum coronam paternae mensae assidentium! Sunt ii merces hominis iusti, sicuti sterilitas saepissime poena est peccatoris. Audite verbum Dei incomparabili Psalmi venustate enuntiatum*: « Uxor tua sicut vitis fructifera in penetralibus domus tuae: filii tui ut surculi olivarum circa mensam tuam. Ecce sic benedicitur viro, qui timet Dominum! » (Ps. 128, 3-4). *De homine vero iniquo scriptum legimus*: « Posteritas eius tradatur excidio; in generatione altera deleatur nomen eorum » (Ps. 109, 13).

15. *Vix natum infantem amplectendum confestim date patri, ut mos erat Romanis, at spiritu sine comparatione elatiori. Ibi enim patriam dignitatem asserebant et auctoritatem quae inde oritur; hic autem significatur obsequium et gratia Creatori debita, divinorum beneficiorum imploratio, promissio exequendi studioso animo mu-*

dizione divina, l'impegno di adempire con devoto affetto l'ufficio che Dio gli ha commesso. Se il Signore loda e premia il servitore fedele per aver fatto fruttificare cinque talenti (cfr. *Matth.* 25, 21), quale elogio, quale ricompensa riserverà al padre, che ha custodito e allevato per Lui la vita umana affidatagli, superiore a tutto l'oro e a tutto l'argento del mondo?

16. Il vostro apostolato però si dirige soprattutto alla madre. Senza dubbio la voce della natura parla in lei e le mette nel cuore il desiderio, la gioia, il coraggio, l'amore, la volontà di aver cura del fanciullo, ma, per vincere le suggestioni della pusillanimità in tutte le sue forme, quella voce ha bisogno di essere rafforzata e di prendere, per così dire, un accento soprannaturale. Tocca a voi di far gustare alla giovane madre, meno con le parole che con tutta la vostra maniera di essere e di agire, la grandezza, la bellezza, la nobiltà di quella vita, che

---

*nus sibi a Deo commissum. Si Dominus servum laudat donatque praemio, quod quinque talenta fenore sit lucratus* (cfr. Math. 25, 21) *quam laudem atque mercedem tribuet patri, qui commissam prolem, omni auro et argento excellentiorem, custodierit et educaverit Deo?*

16. *Vestrum tamen apostolicum opus matrem potissimum spectat. Naturae arcana vox haud dubie in ea loquitur in eiusque pectus iniicit desiderium, gaudium, virtutem, amorem, voluntatem gerendi curam infantis: sed, ut cuiusvis timiditatis suasiones valeat superare, vox illa firmetur necesse est ac veluti supernaturalem vim sonumque accipiat. Vestrum est efficere, vestro potius habitu agendique modo, quam verbis, ut nova mater sentiat dignitatem, pulchritudinem, excellentiam prolis, quae in eius sinu suscitatur, formatur, vivit, quae ex illa nascitur,*

si desta, si forma e vive nel suo seno, che da lei nasce, che ella porta nelle sue braccia e nutrisce al suo petto; di far risplendere ai suoi occhi e nel suo cuore il gran dono dell'amore di Dio per lei e per il suo bambino. La Sacra Scrittura vi fa intendere con molteplici esempi l'eco delle preghiere supplichevoli, e poi dei canti di riconoscente allegrezza di tante madri, finalmente esaudite, dopo aver lungamente implorato con le lacrime la grazia della maternità. Anche i dolori che, dopo la colpa originale, la madre deve soffrire per dare alla luce il suo bambino, non fanno che stringere maggiormente il vincolo che li unisce; ella lo ama tanto più, quanto più le è costato dolore. Ciò ha espresso con commovente e profonda semplicità Colui che ha plasmato il cuore delle madri: « La donna, quando partorisce, è in doglia, perchè è giunta l'ora sua; ma, quando ha dato alla luce il bambino, non si ricorda più dell'angoscia per la gioia che è nato un uomo al mondo » (*Io.* 16, 21). Inoltre lo Spirito San-

---

*quam gestit brachiis, cui ubera praebet; vestrum est efficere ut eius oculis et in animo refulgeat, magnum donum, Dei caritas erga illam eiusque natum. Multis in locis Sacrae Scripturae percipitis quasi resonare tot matrum supplices preces ac dein ipsarum gratum carmen laetitiae, quod tandem, post longas fusas cum lacrimis preces ad partus implorandos, fuerint exauditae. Dolores etiam, quos, post peccatum originis, pariens perpeti debet ut filium edat in lucem, eo arctius iungunt eos charitate, atque mater eo magis illum amat, quo maioribus, pariendo, doloribus est excruciata. Quod commota sinceraque orationis simplicitate Ille expressit, qui corda ipsa matrum finxit*: « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit puerum, iam non meminit praessurae propter gaudium, quia natus est ho-

to, per la penna dell'Apostolo S. Paolo, mostra ancora la grandezza e la letizia della maternità: Dio dona alla madre il bambino, ma, pur nel donarlo, la fa cooperare effettivamente allo schiudersi del fiore, di cui aveva deposto il germe nelle sue viscere, e questa cooperazione divine una via che la conduce alla sua eterna salvezza: « si salverà la donna per la generazione dei figli » (*1 Tim.* 2, 15).

17. Questo perfetto accordo della ragione e della fede vi dà la garanzia che voi siete nella piena verità e che potete proseguire con incondizionata sicurezza il vostro apostolato di stima e di amore per la vita nascente. Se voi riuscirete ad esercitare questo apostolato presso la culla ove vagisce il neonato, non vi sarà troppo difficile di ottenere ciò che la vostra coscienza professionale, in armonia con la legge di Dio e della natura, vi impone di prescrivere per il bene della madre e del bambino.

---

mo in mundum » (Jo. 16, 21). *Praeterea, etiam Spiritus Sanctus per Apostolum Paulum ostendit matris dignitatem et gaudia; donat nempe Deus filium matri, sed, etiam donando, eius operam efficaciter suae consociat in explicatione floris, cuius semen ipse in eius gremio deposuerat; et haec cooperatio fit mulieri instrumentum ac via salutis aeternae*: « salvabitur autem (mulier) per filiorum generationem » (1 Tim. 2, 15).

17. *Summa haec rationis fideique concordia, fiduciam vobis affert tenere vos rectam viam et posse fidentissimo animo vestrum apostolatum aestimationis et amoris in nascentem vitam prosequi. Si huiusmodi apostolatum ad cunas vagientis pueri peragetis, non nimia cum difficultate id consequemini, quod officii vestri conscientia, concorditer cum lege divina et naturae, in bonum matris et prolis vos iubet praescribere.*

18. Non abbiamo del resto bisogno di dimostrare a voi, che ne avete l'esperienza, quanto sia oggi necessario questo apostolato della stima e dell'amore per la nuova vita. Pur troppo non sono rari i casi, in cui il parlare, anche soltanto con un cauto accenno, dei figliuoli come di una « benedizione », basta per provocare contraddizione o forse anche derisione. Molto più spesso domina la idea e la parola del grave « peso » dei figli. Come questa mentalità è opposta al pensiero di Dio e al linguaggio della Sacra Scrittura, e anche alla sana ragione e al sentimento della natura! Se vi sono condizioni e circostanze, in cui i genitori, senza violare la legge di Dio, possono evitare la « benedizione » dei figli, tuttavia questi casi di forza maggiore non autorizzano a pervertire le idee, a deprezzare i valori e a vilipendere la madre, che ha avuto il coraggio e l'onore di dare la vita.

---

18. *Ceterum a Nobis demonstrandum non est vobis, iam experientia et usu rerum exercitatis, quam sit necessarium his temporibus adlaborare, ut nova proles magni fiat et ametur. Non enim raro, proh dolor! sufficit vel cautam mentionem facere de filiis ut de* « benedictione » *Dei, ut nobis aliquis adversetur et forte etiam irrideat. Multo frequentius opinio viget appellatioque, filios magnum esse* « onus ». *Qui modus concipiendi iudicandique res, quam repugnat Dei consiliis, rationi loquendi Sacrae Scripturae, et etiam sanae menti sensibusque naturae! Si dantur rerum condiciones et adiuncta, in quibus parentes, sine divinae legis violatione, possunt Dei* « benedictionem » *id est filios vitare, hi tamen ineluctabiles casus minime permittunt mentes depravare, viliores facere virtutes, matrem despicere, quae generare et ausa est et sibi honori duxit.*

19. Se ciò che abbiamo detto finora riguarda la protezione e la cura della vita naturale, a ben più forte ragione deve valere per la vita soprannaturale, che il neonato riceve col battesimo. Nella presente economia non vi è altro mezzo per comunicare questa vita al bambino, che non ha ancora l'uso della ragione. E tuttavia lo stato di grazia nel momento della morte è assolutamente necessario per la salvezza; senza di esso non è possibile di giungere alla felicità soprannaturale, alla visione beatifica di Dio. Un atto di amore può bastare all'adulto per conseguire la grazia santificante e supplire al difetto del battesimo: al non ancora nato o al neonato bambino questa via non è aperta. Se dunque si considera che la carità verso il prossimo impone di assisterlo in caso di necessità; che questo obbligo è tanto più grave ed urgente, quanto più grande è il bene da procurare o il male da evitare, e quanto meno il bisognoso è capace di aiutarsi e salvarsi da sè; allora è facile di comprendere la grande importanza di provvedere al battesimo di un bambino,

---

19. *Si quod hucusque diximus, defensionem et curam vitae naturalis respicit, tanto magis valere debet de supernaturali vita, quam modo natus infans baptismate accipit. In praesenti enim rerum oeconomia, nulla alia via infans, adhuc rationis expers, huius vitae particeps fit. Et tamen status gratiae in morte prorsus requiritur ad aeternam salutem; si autem desit, nemo potest supernaturalem assequi felicitatem seu Dei beantem visionem. Actus quidem amoris sufficere potest adulto ad gratiam sanctificantem consequendam et baptismum supplere; at necdum genitae proli vel modo natae haec via non patet. Si igitur attendimus charitatem erga proximum iubere nos ut ei, si res cogat, simus auxilio; et hoc officium eo gravius et instantius esse, quo maius est bonum afferendum vel malum vitandum et quo minus egens per se*

privo di qualsiasi uso di ragione e che si trova in grave pericolo o dinanzi a morte sicura. Senza dubbio questo dovere lega in primo luogo i genitori; ma in casi di urgenza, quando non vi è tempo da perdere o non è possibile di chiamare un sacerdote, spetta a voi il sublime ufficio di conferire il battesimo. Non mancate dunque di prestare questo servigio caritatevole e di esercitare questo attivo apostolato della vostra professione. Possa essere per voi di conforto e d'incoraggiamento la parola di Gesù: « Beati i misericordiosi, perchè troveranno misericordia » (*Matth.* 5, 7). E quale misericordia più grande e più bella che di assicurare all'anima del bambino — tra la soglia della vita che ha appena varcata, e la soglia della morte che si accinge a passare — l'entrata nella gloriosa e beatificante eternità!

---

*potens est se ipsum iuvandi et salvandi: iam facile erit intelligere maximi momenti rem esse baptismati consulere infantis, rationis usu prorsus carentis, cum vel in gravi vitae periculo versatur vel mox certam mortem oppetiet. Huic officio in primis profecto parentes ipsi tenentur; at, si res cogat neque habeat moram vel sacerdos arcessiri nequeat, vestrum erit excelsum officium conferendi baptismum. Ne igitur praetermittatis hoc charitatis officium praestare, et efficacem hunc artis vestrae apostolatum explere. Utinam vobis solacio incitamentoque sint Christi verba*: « Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur » (Matth. 5. 7). *Quae enim misericordia maior atque nobilior, quam animae infantis — modo geniti et iamiam morituri — ingressum in gloriam beantem aeternitatis in tuto collocare!*

## III.

UN TERZO ASPETTO DEL VOSTRO APOSTOLATO PROFESSIONALE SI POTREBBE DENOMINARE QUELLO DELL'ASSISTENZA DELLA MADRE NEL COMPIMENTO PRONTO E GENEROSO DELLA SUA FUNZIONE MATERNA.

20. Appena ebbe inteso il messaggio dell'Angelo, Maria Santissima rispose: « Ecco l'ancella del Signore! Si faccia in me secondo la tua parola » (*Luc.* 1, 38). Un « fiat », un « sì » ardente alla vocazione di madre! Maternità verginale, incomparabilmente superiore a ogni altra; però maternità reale, nel vero e proprio senso della parola (cfr. *Gal.* 4, 4). Perciò, nella recita dell'*Angelus Domini*, dopo aver ricordato l'accettazione di Maria, il fedele conclude immantinente: « E il Verbo si è fatto carne » (*Io*, 1, 14).

---

## III.

TERTIA RATIO APOSTOLATUS IN VESTRO MINISTERIO EST: MATRI AUXILIO ESSE, UT SUUM MUNUS PROMPTO GENEROSOQUE ANIMO IMPLEAT.

20. *Vix angeli nuncium audivit Sanctissima Virgo, respondit*: « Ecce ancilla Domini! Fiat mihi secundum verbum tuum » (Luc. 1. 38), *ac per illud « fiat » ardenti animo matris munus suscepit. Virginea mater, cunctis sine comparatione superior; vera tamen mater, quae proprie vereque dicitur* (cfr. Gal. 4. 4). *Itaque christifidelis postquam, in recitanda prece « Angelus Domini », memoravit Mariam matris munus acceptasse, continuo concludit*: « Et Verbum caro factum est » (Jo. 1. 14).

21. E' una delle esigenze fondamentali del retto ordine morale che all'uso dei diritti coniugali corrisponda la sincera accettazione interna dell'ufficio e dei doveri della maternità. A questa condizione la donna cammina nella via tracciata dal Creatore verso il fine che Egli ha assegnato alla sua creatura, rendendola, con l'esercizio di quella funzione, partecipe della sua bontà, della sua sapienza e della sua onnipotenza, secondo l'annunzio dell'Angelo: « *Concipies in utero et paries* - concepirai nel tuo seno e partorirai » (cfr. *Luc.* 1, 31).

22. Se tale è dunque il fondamento biologico della vostra attività professionale, l'oggetto urgente del vostro apostolato sarà: agire per mantenere, risvegliare, stimolare il senso e l'amore dell'ufficio della maternità.

23. Quando i coniugi stimano ed apprezzano l'onore di suscitare una nuova vita, di cui attendono con santa impazienza lo sbocciare, ben facile è la vostra parte:

---

21. *Postulatum est recti ordinis moralis primarium, ut congruenter usui iurium coniugalium, sincero animo munus et iura matris acceptentur. Hac condicione mulier viam illam tenet, quam Creator aperuit ad finem, homini ab Ipso praestitutum, consequendum, atque, hoc munere suo fungens, particeps fit bonitatis, sapientiae, omnipotentiae Dei, iuxta illud Angeli*: « Concipies in utero et paries » (cfr. Luc. 1. 31).

22. *Si huiusmodi igitur est ministerii vestri biologicum fundamentum, eo spectat vester apostolatus, ut mature enitamini ad aestimationem amoremque materni officii tuendum, excitandum, augendum.*

23. *Tum quando coniuges magno sibi ducunt honore novam vitam suscitare, pioque desiderio exspectant ut haec sese efferat in lucem, iam quod vestrum erit, facile*

basta coltivare in loro questo interno sentimento: la disposizione ad accogliere e a curare quella vita nascente segue allora come da sè. Pur troppo però non è sempre così; spesso il bambino non è desiderato; peggio, è temuto; come potrebbe in tale condizione esistere ancora la prontezza al dovere? Qui il vostro apostolato deve esercitarsi in una maniera effettiva ed efficace: innanzi tutto, negativamente, rifiutando ogni cooperazione immorale; quindi anche positivamente, rivolgendo le vostre cure delicate a dissipare i preconcetti, le varie apprensioni o i pretesti pusillanimi, ad allontanare, per quanto vi è posibile, gli ostacoli anche esteriori, che possono rendere penosa l'accettazione della maternità. Se non si ricorre ai vostri consigli e al vostro aiuto che per facilitare la procreazione della nuova vita, per proteggerla e incamminarla verso il suo pieno sviluppo, voi potete senz'altro prestare la vostra cooperazione; ma in quanti altri casi

---

*praestabitis; satis erit vobis hanc eorum bonam mentem excolere: inclinatio enim ad excipiendam curandamque prolem nascituram sua sponte sequitur. At vero non semper res ita se habet, nam saepe proles non optata venit; immo vero eam timent. Itaque, quomodo hoc animo ab ea alieno, prompti paratique erunt ad munus suum exequendum? Hic industriam vestram apostolicam praestabitis modo quam poteritis efficacissimo: primum, denegando vos turpem operam quomodocumque daturas esse; dein etiam efficienter, sedulas curas ponentes cum in excutiendis praeiudicatis opinionibus, timoribus vel ignaviae speciebus, tum in removendis, quantum potestis, difficultatibus etiam extrinsecus positis, quae matris munus reddant molestum. Si a vobis consilia auxiliumque petunt, ut facilius efficiatur novae prolis generatio, ut defendatur et perducatur ad maturitatem, haud cunctanter potestis vestram operam navare. At quam saepe accidit,*

si fa invece ricorso a voi per impedire la procreazione e la conservazione di questa vita, senza alcun riguardo ai precetti dell'ordine morale? Ottemperare a tali richieste, sarebbe un abbassare il vostro sapere e la vostra abilità, facendovi complici di un'azione immorale; sarebbe un pervertire il vostro apostolato. Questo esige un calmo, ma categorico « no », che non lascia trasgredire la legge di Dio e il dettame della coscienza. Perciò la vostra professione vi astringe ad avere una chiara cognizione di quella legge divina, in guisa da farla rispettare, senza rimanere al di qua, nè andare al di là dei suoi precetti.

24. Il Nostro Predecessore Pio XI di f. m. nella sua Enciclica *Casti connubii* del 31 dicembre 1930 proclamò di nuovo solennemente la legge fondamentale dell'atto e dei rapporti coniugali: che ogni attentato dei coniugi nel compimento dell'atto coniugale o nello sviluppo delle

---

*ut opem vestram implorent ad prohibendam prolis generationem et conservationem, nulla eorum habita ratione, quae de moribus praecipiuntur? His autem petitionibus obtemperare, idem est ac scientiam peritiamque vestram deprimere, vos flagitii conscias reddendo, et apostolatum vestrum corrumpere, qui exigit ut tranquille quidem, at non dubitanter nec ambigue recusetis legem Dei perfringere et a conscientia discedere. Quare munus vestrum cogit ut legem divinam perspectam habeatis, ita ut ad eius observantiam alios inducatis, et nec citra eius praecepta maneatis, nec ulterius quam licet, progrediamini.*

24. *Decessor Noster Pius XI f. r. in Encyclica* « Casti Connubii » *die 31 Decembris anno 1930 data, rursus ac sollemniter promulgavit primariam legem de actu et intima consuetudine coniugum: quamlibet matrimonii abusionem in exercendo actu coniugali et in eius consequentiis,*

sue conseguenze naturali, attentato avente per scopo di privarlo della forza ad esso inerente e di impedire la procreazione di una nuova vita, è immorale; e che nessuna « indicazione » o necessità può mutare un'azione intrinsecamente immorale in un atto morale e lecito (cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. 22, pag. 559 e segg. ).

25. Questa prescrizione è in pieno vigore oggi come ieri, e tale sarà anche domani e sempre, perchè non è un semplice precetto di diritto umano, ma l'espressione di una legge naturale e divina.

26. Siano le Nostre parole una norma sicura per tutti i casi in cui la vostra professione e il vostro apostolato esigono da voi una determinazione chiara e ferma.

27. Sarebbe assai più di una semplice mancanza di prontezza nel servizio della vita, se l'attentato dell'uomo

---

*eo spectantem ut actus ipse naturali sua vi de industria destituatur et arceatur novae vitae generatio, turpem esse et inhonestam; pariter, nullam* « indicationem » *vel necessitatem efficere posse, ut actus natura sua inhonestus turpisque, fiat licitus et honestus* (cfr. Acta Ap. Sedis, vol. 22, pag. 559 et seqq.).

25. *Hoc praescriptum hodie plene viget, sicuti antea, idemque et in posterum semper vigebit, cum sit praeceptum non tantum iuris humani, sed etiam deducatur ex lege naturali et divina.*

26. *Sint haec Nostra verba instar certae normae pro omnibus rerum adiunctis, in quibus professio vestra munusque apostolicum expostulant, ut sententiam feratis certam et firmam.*

27. *Si vero hominis flagitium non ad singulos actus coniugii referatur, at ipsa corporis membra pertingat ut,*

non riguardasse soltanto un singolo atto, ma toccasse l'organismo stesso allo scopo di privarlo per mezzo della sterilizzazione della facoltà di procreare una nuova vita. Anche qui voi avete per la vostra condotta interna ed esterna una chiara norma nell'insegnamento della Chiesa. La sterilizzazione diretta — cioè quella che mira, come mezzo o come scopo, a rendere impossibile la procreazione — è una grave violazione della legge morale, ed è quindi illecita. Anche l'Autorità pubblica non ha alcun diritto, sotto pretesto di qualsiasi « indicazione », di permetterla, e molto meno di prescriverla o di farla eseguire a danno di innocenti. Questo principio si trova già enunciato nella Enciclica summenzionata di Pio XI sul matrimonio (*l. c.* pag. 564-565). Perciò quando, or è un decennio, la sterilizzazione venne ad essere sempre più largamente applicata, la S. Sede si vide nella necessità di dichiarare espressamente e pubblicamente che la ste-

---

*affecta sterilitate, iam non valeant novam prolem generare, hoc profecto simplicem ignaviam in suscipiendis generationis oneribus longe excedit. Hac etiam in re, Ecclesiae doctrina certam vobis normam suppeditabit, qua vestram et vivendi et agendi rationem dirigatis. Sterilizatio directa — quae nempe vult, sive ut instrumentum quo, sive ut finem ad quem, impedire quominus generatio sequatur, — graviter infringit legem moralem, ideoque illicita est. Publicis quoque magistratibus minime fas est, cuiusvis « indicationis » titulo, eam permittere et multo etiam minus praescribere vel in innocentes exequendam curare. Quod principium iam in Litteris Encyclicis Pii XI de Matrimonio, quas supra memoravimus, enuntiatum legimus* (l. c. *pag. 564-565*). *Cum ergo, abhinc decem annos, sterilizatione largius uti coeperunt, Apostolica Sedes coacta est aperte profiteri* « directam sterilizationem, sive perpetuam sive temporaneam, sive viri sive mulie-

rilizzazione diretta, sia perpetua che temporanea, sia dell'uomo che della donna, è illecita, in virtù della legge naturale, dalla quale la Chiesa stessa, come sapete, non ha la potestà di dispensare (*Decr. S. Off.* 22 Febr. 1940 - *Acta Ap. Sedis,* 1940, pag. 73).

28. Opponetevi dunque, per quanto è da voi, nel vostro apostolato a queste tendenze perverse e negate ad esse la vostra cooperazione.

29. Si presenta inoltre oggigiorno il grave problema, se ed in quanto l'obbligo della pronta disposizione al servizio della maternità sia conciliabile col sempre più diffuso ricorso ai tempi della sterilità naturale (cosidetti periodi agenesici nella donna), il che sembra una chiara espressione della volontà contraria a quella disposizione.

30. Si attende giustamente da voi che siate bene informate, dal lato medico, di questa nota teoria e dei pro-

---

ris, illicitam esse et prohiberi lege naturae »; *ex qua, ut probe scitis, nec ipsi Ecclesiae est facultas eximendi* (Decr. S. Off., 22 febr. 1940, Acta Ap. Sedis, 1940 pag. 73).

28. *In vestro igitur apostolatu obsistetis, quantum in vobis est, his pravis opinionibus et nullo modo illis cooperemini.*

29. *Magna praeterea quaestio nostro tempore movetur, utrum et qua ratione officium acceptandi prompto animo onera matris congruere possit cum usu matrimonii quo tempore in muliere sterilitas naturalis habetur* (« periodi agenesici mulieris » *vocantur*): *id quod clare voluntatem prodere videtur illi officio contrariam.*

30. *Iure sperant vos, quod attinet ad medicinam, edoctas esse de hac nota doctrina et de progressibus, qui*

gressi che in questa materia si possono ancora prevedere, e altresì che i vostri consigli e la vostra assistenza non si appoggino su semplici pubblicazioni popolari, ma siano fondati sulla oggettività scientifica e sull'autorevole giudizio di coscienziosi specialisti in medicina e in biologia. E' ufficio non del sacerdote, ma vostro, d'istruire i coniugi, sia in consultazioni private, sia mediante serie pubblicazioni, sull'aspetto biologico e tecnico della teoria, senza però lasciarvi trascinare ad una propaganda nè giusta nè conveniente. Ma anche in questo campo il vostro apostolato richiede da voi, come donne e come cristiane, di conoscere e di difendere le norme morali, a cui è sottoposta l'applicazione di quella teoria. E qui è competente la Chiesa.

31. Occorre innanzi tutto considerare due ipotesi. Se l'attuazione di quella teoria non vuol significare altro se non che i coniugi possono far uso del loro diritto matrimoniale anche nei giorni di sterilità naturale, non vi

---

*hac in re adhuc possunt exspectari: confidunt etiam consilia vestra vestrumque auxilium niti non libellis vulgo destinatis, at scientifica veritate et auctoritate integrorum medicorum medicinae et biologiae peritorum. Non sacerdotis, sed vestrum est, sive in privatis consultationibus, sive gravibus libris, coniuges edocere rationem biologicam et technicam theoriae, ita tamen ut non delabamini ad illam nec recte nec convenienter propagandam. At hic etiam, vestri apostolatus causa, debetis, qua mulieres et qua christianae, cognoscere et defendere leges morales, quibus regitur theoriae illius usus, quaeque sunt iuris ac potestatis Ecclesiae.*

31. *Considerandae sunt in primis duae hypotheses. Si executio illius doctrinae seu theoriae, hoc tantum dicit: posse coniuges iure suo coniugali uti etiam diebus*

è nulla da opporre: con ciò, infatti, essi non impediscono nè pregiudicano in alcun modo la consumazione dell'atto naturale e le sue ulteriori naturali conseguenze. Proprio in ciò l'applicazione della teoria, di cui parliamo, si distingue essenzialmente dall'abuso già segnalato, che consiste nella perversione dell'atto stesso. Se invece si va più oltre, permettendo cioè l'atto coniugale esclusivamente in quei giorni, allora la condotta degli sposi deve essere esaminata più attentamente.

32. E qui di nuovo due ipotesi si presentano alla nostra riflessione. Se già nella conclusione del matrimonio almeno uno dei coniugi avesse avuto l'intenzione di restringere ai tempi di sterilità lo stesso *diritto* matrimoniale, e non soltanto il *uso*, in modo che negli altri giorni l'altro coniuge non avrebbe neppure il diritto di richiedere l'atto, ciò implicherebbe un difetto essenziale del consenso matrimoniale, che porterebbe con sè la invalidità del matrimonio stesso, perchè il diritto derivante dal

---

*naturalis sterilitatis, nihil est obiiciendum; per hoc enim nullum impedimentum vel damnum afferunt usui actus naturalis eiusque naturalibus consequentiis. In hoc ipso executio novae doctrinae, de qua loquimur, distinguitur re ipsa a malo usu quem memoravimus quique consistit in actu ipso depravando. Quod si ulterius proceditur, permittendo videlicet coniugalem actum illis unice diebus, tunc coniugum agendi ratio attentius perpendi debet.*

32. *Ac denuo hic duae coniecturae occurrunt animo. Si enim iam in contrahendo matrimonio unus saltem ex coniugibus voluntatem habuerit ad sterilitatis tempora coarctandi non modo* usum, *sed ipsum* ius *coniugale, ita ut ceteris diebus alter coniux ne ius quidem habeat petendi debitum, hoc includeret essentialem defectum consensus matrimonialis, qui matrimonium ipsum irritum*

contratto matrimoniale è un diritto permanente, ininterrotto, e non intermittente, di ciascuno dei coniugi di fronte all'altro.

33. Se invece quella limitazione dell'atto ai giorni di naturale sterilità si riferisce non al diritto stesso, ma solo all'uso del diritto, la validità del matrimonio resta fuori di discussione; tuttavia la liceità morale di una tale condotta dei coniugi sarebbe da affermare o da negare, secondo che l'intenzione di osservare costantemente quei tempi è basata, oppure no, su motivi morali sufficienti e sicuri. Il solo fatto che i coniugi non offendono la natura dell'atto e sono anche pronti ad accettare ed educare il figlio, che, nonostante le loro precauzioni, venisse alla luce, non basterebbe per sè solo a garantire la rettitudine della intenzione e la moralità ineccepibile dei motivi medesimi.

---

*faceret, cum ius quod uterque coniux in alterum habet quodque ex contractu coniugali profluit, sit permanens, continuum, non vero periodicum.*

33. *Si, contra, limitatio illa actus coniugalis intra dies infecunditatis naturalis, non ad ipsum ius, at ad iuris usum referatur, tunc matrimonium haud dubie ratum est; tamen, quoad morum doctrinam, honeste vel inhoneste coniuges hoc modo agunt, prout voluntas observandi constanter illas periodos, nititur necne moralibus rationibus idoneis atque certis. Quod coniuges naturam actus non depravant, paratique sunt ad excipiendum et educandum filium, qui, contra adhibitam prudentiam, in lucem edatur, non sufficit ipsum ad asseveranda eorum recta consilia atque summam causarum ipsarum honestatem.*

34. La ragione è perchè il matrimonio obbliga ad uno stato di vita, il quale, come conferisce certi diritti, così impone anche il compimento di un'opera positiva riguardante lo stato stesso. In tal caso si può applicare il principio generale che una prestazione positiva può essere omessa, se gravi motivi, indipendenti dalla buona volontà di coloro che ne sono obbligati, mostrano che quella prestazione è inopportuna, o provano che non si può dal richiedente — in questo caso il genere umano — equamente pretendere.

35. Il contratto matrimoniale, che conferisce agli sposi il diritto di soddisfare l'inclinazione della natura, li costituisce in uno stato di vita, lo stato matrimoniale. Ora ai coniugi, che ne fanno uso con l'atto specifico del loro stato, la natura e il Creatore impongono la funzione di provvedere alla conservazione del genere umano. E' questa la prestazione caratteristica, che fa il valore pro-

---

34. *Causa posita est in hoc, quod matrimonium vitae rationi obligat, quae, ut quaedam iura confert, ita etiam iubet coniuges quaedam efficere, ad statum ipsum coniugalem pertinentia. Transferri potest generale principium, ex quo omitti licet « positivam » operam praestare, si iustae causae, seiunctae a bona voluntate eorum, qui illa obligatione tenentur, ostendant illam operis positionem non esse opportunam, vel probent non posse a petente — idest, in hac re, ab hominum genere, — iuste exigi.*

35. *Contractus matrimonialis, qui ius coniugibus confert obsequendi propensioni naturae, eos in genere quodam vitae collocat, quod est coniugium. Atqui natura Creatorque ipse iubent coniuges, qui matrimonio utuntur per actum status illius proprium, humani generis conservationi prospicere. Hoc est ministerium proprium,*

prio del loro stato, il *bonum prolis*. L'individuo e la società, il popolo e lo Stato, la Chiesa stessa, dipendono per la loro esistenza nell'ordine da Dio stabilito, dal matrimonio fecondo. Quindi abbracciare lo stato matrimoniale, usare continuamente la facoltà ad esso propria e in esso solo lecita, e, d'altra parte, sottrarsi sempre e deliberatamente, senza un grave motivo, al suo primario dovere, sarebbe un peccare contro il senso stesso della vita coniugale.

36. Da quella prestazione positiva obbligatoria possono esimere, anche per lungo tempo, anzi per l'intera durata del matrimonio, seri motivi, come quelli che si hanno non di rado nella cosiddetta « indicazione » medica, eugenica, economica e sociale. Da ciò consegue che l'osservanza dei tempi infecondi può essere *lecita* sotto l'aspetto morale; e nelle condizioni menzionate è realmente tale. Se però non vi sono, secondo un giudizio ragionevo-

---

*in quo coniugii praestantia, id est* « bonum prolis », *ponitur. Singuli homines et societas, populus et respublica, Ecclesia denique ipsa, ex divino consilio, tantum ex fecundo matrimonio quoad suam existentiam pendent. Contrahere igitur matrimonium, constanter uti facultate illius propria in eoque tantum licita, et tamen semper et consulto, nullaque causa gravi, primarium suum officium defugere, idem est atque peccare contra coniugalis vitae naturam.*

36. *Ex hac coniugalis muneris functione eximere possunt, etiam diu, imo in perpetuum, graves causae, ut quae dantur non raro in* « indicatione », *quam dicunt, medica, eugenetica, oeconomica, sociali. Ex quo sequitur observantiam temporum infecundorum, quoad honestatem,* licitam *esse posse, atque, in adiunctis quae memoravimus, talem revera esse. Si tamen, ex iudicio prudenti*

le ed equo, simili gravi ragioni personali o derivanti dalle circostanze esteriori, la volontà di evitare abitualmente la fecondità della loro unione, pur continuando a soddisfare pienamente la loro sensualità, non può derivare che da un falso apprezzamento della vita e da motivi estranei alle rette norme etiche.

37. Ora però voi insisterete forse osservando che nell'esercizio della vostra professione vi trovate talvolta dinanzi a casi assai delicati, in cui, cioè, non si può esigere di correre il rischio della maternità, la quale anzi deve essere assolutamente evitata, ed in cui, d'altra parte, l'osservanza dei periodi agenesici, o non dà sufficiente sicurezza, ovvero deve essere scartata per altri motivi. E allora domandate come si possa ancora parlare di un apostolato al servizio della maternità.

---

*iustoque, non dentur huiusmodi magnae causae vel privatae vel profluentes ex adiunctis extrinsecus allatis, voluntas vitandi de more foecunditatem coniugii, pergentes tamen libidinibus plene indulgere, nasci non potest nisi ex falsa vitae aestimatione et ex causis quae rectis morum normis repugnant.*

37. *At hic instabitis forte significantes incurrere vos interdum, in vestri muneris perfunctione, in res multae prudentiae et consilii, in quibus nempe non tantum exigi nequit ut periculum vitae per generationem obeatur, imo vero generatio omnino vitari debet; et in quibus, ceterum, periodorum sterilitatis observatio vel non satis fiduciae affert, vel est aliis de causis repudianda. Quare scire cupitis qua ratione et dari possit et per vos exerceri apostolatus circa munera matris.*

38. Se, a vostro sicuro e sperimentato giudizio, le condizioni richiedono assolutamente un « no », cioè la esclusione della maternità, sarebbe un errore e un torto d'imporre o di consigliare un « sì ». Si tratta qui, invero, di fatti concreti, e quindi di una questione non teologica, ma medica; essa è dunque di vostra competenza. Però in tali casi i coniugi non domandano da voi una risposta medica, necessariamente negativa, ma l'approvazione di una « tecnica » dell'attività coniugale assicurata contro il rischio della maternità. Ed ecco che siete così di nuovo chiamate ad esercitare il vostro apostolato, in quanto non lasciate alcun dubbio che anche in questi casi estremi ogni manovra preventiva e ogni diretto attentato alla vita e allo sviluppo del germe è in coscienza proibito ed escluso, e che una sola via rimane aperta, vale a dire quella dell'astinenza da ogni attuazione completa della facoltà naturale. Qui il vostro apostolato vi obbliga ad avere un giudizio chiaro e sicuro e una calma fermezza.

---

38. *Si, ex vestro iudicio certo expertoque, mulieris condiciones postulant prorsus ut excludatur generatio, hanc iubere vel suadere error est et iniuria. Agitur hic revera de factis ipsis, ideoque de quaestione non theologica, sed medica, quae proinde vestrae est facultatis. In his tamen rebus coniuges a vobis non petunt medicum responsum, quod necessario negans erit, sed ut approbetis* « technicam » *seu rationem, qua usus coniugii tutus efficiatur a generandi periculo. Atque ita rursus occurrit vobis occasio exercendi vestrum apostolatum, nullum dubium relinquentes, quin, in his etiam extremis rebus, actio omnis generationem praevertens omneque facinus in ipsam vitam vel explicationem germinis, conscientia prohibeatur et excludatur, unaque via pateat, abstinentia nimirum ab omni usu perfecto facultatis generandi. Hac in re apostolicum munus iubet vos habere definitum ac certum iudicium firmamque animi constantiam.*

39. Ma si obietterà che una simile astinenza è impossibile, che un tale eroismo è inattuabile. Questa obiezione voi oggi la sentirete, voi la leggerete dappertutto, anche da parte di chi, per dovere e per competenza, dovrebbe essere in grado di giudicare ben diversamente. E si adduce a prova il seguente argomento: — Niuno è obbligato all'impossibile, e nessun legislatore ragionevole si presume che voglia obbligare con la sua legge anche all'impossibile. Ma per i coniugi l'astinenza a lunga durata è impossibile. Dunque non sono obbligati all'astinenza; la legge divina non può avere questo senso ». —

40. In tal guisa da premesse parzialmente vere si deduce una conseguenza falsa. Per convincersene basta invertire i termini dell'argomento: — Iddio non obbliga all'impossibile. Ma Iddio obbliga i coniugi all'astinenza, se lo loro unione non può essere compiuta secondo le norme della natura. Dunque in questi casi l'astinenza è pos-

---

39. *Dicet aliquis huiusmodi abstinentiam haberi, aut vitam tanta fortitudine agi non posse. Quam obiectionem hoc tempore ubique legetis et audietis, ex illis etiam quibus, pro officio et rei cognitione, longe aliter iudicandum est. Atque rem hac argumentatione suffulciunt: « Nemo ad impossibilia tenetur, et nullus prudens legislator, ut suspicari licet, sua lege vult etiam ad impossibilia obligare. Atqui coniuges diu se abstinere non possunt. Non ergo abstinentia tenentur, et divina lex nequit hoc significare ».*

40. *Hoc modo ex praemissis partim veris, falsum quid infertur. Ut hoc persuasum habeamus, satis est invertere argumentationis terminos: — Deus ad impossibilia non cogit. Atqui Deus ad abstinentiam coniuges cogit, si ad naturae normas nequeant coire. Ergo in his*

sibile. — Abbiamo a conferma di tale argomento la dottrina del Concilio di Trento, il quale, nel capitolo sulla osservanza necessaria e possibile, dei comandamenti, insegna, riferendosi a un passo di S. Agostino: « Iddio non comanda cose impossibili, ma mentre comanda, ammonisce, a di fare quel che puoi, e di domandare quel che non puoi, e aiuta affinchè tu possa » (*Conc. Trid.* Sess. 6 cap. 11. *Denzinger* n. 804 - *S. August. De natura et gratia* cap. 43 n. 50. *Migne P. L.* vol. 44 col. 271).

41. Perciò non lasciatevi confondere nella pratica della vostra professione e nel vostro apostolato da questo gran parlare d'impossibilità, nè per ciò che riguarda il vostro giudizio interno, nè per ciò che si riferisce alla vostra condotta esterna. Non prestatevi mai a qualsiasi cosa contraria alla legge di Dio e alla vostra coscienza cristiana! E' fare un torto agli uomini e alle donne del nostro tempo lo stimarli incapaci di un continuato eroi-

---

*adiunctis se abstinere possunt. — Confirmat hanc argumentationem doctrina Concilii Tridentini quod capite « De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate », mentionem iniiciens de loco S. Augustini, hoc docet*: « Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis » (Conc. Trid. Sess. VI, cap. 11. Denzinger n. 804 - S. Aug. De natura et gratia cap. 43, n. 50. Migne P. L. vol. 44, col. 271).

41. *Quare in vestro munere et apostolatu explendo ne moveamini multo hoc impossibilitatis sermone, neque quoad vestrum ipsum iudicium, neque quoad vestram agendi rationem. Nihil unquam operemini contra legem divinam vestramque conscientiam christianam! Iniuriam inferremus hominibus et mulieribus nostrae aetatis, si eos ineptos putaremus ad vitam forti constantique ani-*

smo. Oggi per tanti motivi — forse sotto la morsa della dura necessità, od anche talvolta al servizio della ingiustizia — si esercita l'eroismo in un grado e con una estensione che in tempi passati si sarebbe creduto impossibile. Perchè dunque questo eroismo, se veramente le circostanze lo esigono, dovrebbe arrestarsi ai confini segnati dalle passioni e dalle inclinazioni della natura? E' chiaro: chi non vuole dominare sè stesso, nemmeno lo potrà; e chi crede di dominarsi, contando solamente sulle proprie forze, senza cercare sinceramente e con perseveranza l'aiuto divino, rimarrà miserevolmente deluso.

42. Ecco quel che concerne il vostro apostolato per guadagnare i coniugi al servizio della maternità, non nel senso di una cieca schiavitù sotto gl'impulsi della natura, ma di un esercizio dei diritti e dei doveri coniugali, regolato dai principii della ragione e della fede.

---

*mo gerendam. Hodie multis de causis — fortasse necessitatis stimulo, vel interdum ut serviatur iniquitati — tanta fortitudine tantaque constantia geritur vita, quanta praeteritis temporibus vix fieri posse putavissent. Cur igitur haec strenua virtus animi, si revera vitae condiciones eam exigant, detineri debet intra fines a libidinibus propensionibusque naturae constitutos? Patet: qui enim suas non vult coërcere cupiditates, ne poterit quidem; et qui credit posse sibi imperare suis tantum viribus nixis, et divinum auxilium sincere et perseveranter non petit, in spe miserandum in modum decipietur.*

42. *Haec sunt vobis apostolice praestanda ad coniugum animos alliciendos ut proprium coniugii munus expleant, non sane quasi iubeantur serviliter naturae stimulis obtemperare, at, contra, coniugii iuribus et officiis ea ratione obsequi, quam postulant rationis et fidei principia.*

L'ULTIMO ASPETTO DEL VOSTRO APOSTOLATO RIGUARDA LA DIFESA COSÌ DEL RETTO ORDINE DEI VALORI COME DELLA DIGNITÀ DELLA PERSONA UMANA.

43. I « valori della persona » e la necessità di rispettarli è un tema che da due decenni occupa sempre più gli scrittori. In molte loro elucubrazioni anche l'atto specificamente sessuale ha il suo posto assegnato per farlo servire alla persona dei coniugi. Il senso proprio e più profondo dell'esercizio del diritto coniugale dovrebbe consistere in ciò che l'unione dei corpi è l'espressione e l'attuazione dell'unione personale ed affettiva.

44. Articoli, capitoli, interi libri, conferenze, specialmente anche sulla « tecnica dell'amore », sono volti a dif-

---

## IV.

ULTIMA RATIO APOSTOLATUS VESTRI DEFENSIONEM RESPICIT RECTUM ORDINEM TUM DIGNITATIS PERSONAE HUMANAE TUM BONORUM INDE PROFLUENTIUM.

43 « *Dignitas personae* » *eiusque defendendae necessitas scriptores a viginti annis tenent magis in dies occupatos. In multis eorum lucubrationibus etiam actus proprie sexualis certum suum locum habet ut serviat coniugum personis. Propria nempe veriorque natura et significatio exercitii iuris coniugalis in hoc ponenda est* (*dictitant*), *quod coniunctio corporum exprimit et efficit unionem personarum et affectuum.*

44. *Commentationes in ephemeridibus, integra librorum capita, integrique libri, publicae acroases, prae-*

fondere queste idee, a illustrarle con avvertimenti agli sposi novelli come guida nel matrimonio, affinchè essi non trascurino, per stoltezza o per malinteso pudore o per infondato scrupolo, ciò che Dio, il quale ha creato anche le inclinazioni naturali, loro offre. Se da questo completo dono reciproco dei coniugi sorge una vita nuova, essa è un risultato che resta al di fuori o al massimo come alla periferia dei « valori della persona »; risultato che non si nega, ma non si vuole che sia come al centro dei rapporti coniugali.

45. Secondo queste teorie, la vostra dedizione per il bene della vita ancora nascosta nel grembo materno e per favorirne la nascita felice, non avrebbe più che una importanza minore e passerebbe in seconda linea.

46. Ora, se questo apprezzamento relativo non facesse che mettere l'accento sul valore della persona degli sposi

---

*sertim de sic dicta* « technica amoris », *has opiniones propagare volunt, eas novis coniugibus ut matrimonii normam illustrare animadversionibus, ne illi insipienter vel falso pudore vanaque religione, id neglegant quod Deus, qui ipsas naturales propensiones creavit, eis offert. Si ex hac perfecta et mutua coniugum donatione, nova vita oriatur, est illa effectus qui exterior manet « dignitati bonisque personae », vel ad summum in eius veluti extremis finibus; qui quidem effectus non recusatur, at primum locum in consuetudinibus coniugii occupare non debet.*

45. *Vestra autem laborum perfunctio pro salute prolis adhuc in gremio matris abditae et pro eius felici ortu, ex hisce doctrinis minoris aestimatur, atque secundo loco postponitur.*

46. *Atqui, si haec minor vestri aestimatio, nihil aliud faceret, nisi extolleret dignitatem personarum coniugum*

piuttosto che su quello della prole, si potrebbe a rigore lasciar da parte tale problema; ma qui si tratta invece di una grave inversione dell'ordine dei valori e dei fini posti dallo stesso Creatore. Ci troviamo dinanzi alla propagazione di un complesso d'idee e di affetti, direttamente opposti alla chiarezza, alla profondità e alla serietà del pensiero cristiano. Ed ecco che qui deve di nuovo intervenire il vostro apostolato. Vi potrà infatti accadere di divenire le confidenti della madre e sposa, e di essere interrogate sui più segreti desideri e sulle intimità della vita coniugale. Come potreste però allora, consapevoli della vostra missione, far valere la verità e il retto ordine negli apprezzamenti e nell'azione dei coniugi, se non ne aveste voi stesse una esatta cognizione e non foste munite della fermezza di carattere necessaria per sostenere ciò che voi conoscete essere vero e giusto?

---

*prae dignitate prolis, haec res per se negligi posset; at vero agitur hic de gravi perturbatione in ordine dignitatis et finium ab ipso Creatore praestitutorum. Propagatur enim summa quaedam sententiarum et opinionum prorsus repugnantium clarae, firmae gravique doctrinae christianae. Rursus hic munus vestrum apostolicum debet expleri. Namque continget forte vobis fieri intimas consiliis matris et coniugis, ab eaque rogari de occultissimis desideriis et consiliis deque intima vitae coniugalis consuetudine. Quomodo tunc efficere poteritis, vobis muneris vestri consciae, ut coniuges secundum veritatem rectumque ordinem sentiant et agant, si ipsae haec non habeatis perspecta, nec praeditae sitis ea animi firmitate, quae prorsus necessaria est ad defendendum quod verum et rectum esse scitis?*

47. Ora la verità è che il matrimonio, come istituzione naturale, in virtù della volontà del Creatore non ha come fine primario e intimo il perfezionamento personale degli sposi, ma la procreazione e la educazione della nuova vita. Gli altri fini, per quanto anch'essi intesi dalla natura, non si trovano nello stesso grado del primo, e ancor meno gli sono superiori, ma sono ad esso essenzialmente subordinati. Ciò vale per ogni matrimonio, anche se infecondo; come di ogni occhio si può dire che è destinato e formato per vedere, anche se in casi anormali, per speciali condizioni interne ed esterne, non sarà mai in grado di condurre alla percezione visiva.

48. Precisamente per tagliar corto a tutte le incertezze e le deviazioni, che minacciavano di diffondere errori intorno alla scala dei fini del matrimonio e ai loro reciproci rapporti redigemmo Noi stessi alcuni anni or sono (10 marzo 1944) una dichiarazione sull'ordine di

---

47. *Atqui hoc est verum, matrimonium, ut institutum naturale, ex voluntate Creatoris non habere, ut finem suum primarium et proprium, perfectionem coniugum ipsorum, sed novae prolis procreationem et educationem. Ceteri vero fines, quos tamen ipsos natura spectat, non eiusdem gradus ac primus sunt, et eo minus superiores, sed ei ex natura subiiciuntur. Hoc de quocumque matrimonio valet, etiam infecundo; sicuti quivis oculus destinatus et factus dici potest ad videndum, etsi interdum accidat, ob peculiares condiciones internas vel externas, ut numquam reapse valeat videre.*

48. *Ex hoc ipso, ut brevi praecideremus dubitationes omnes errationesque quae propagationem erroris circa matrimonii fines in gradus divisos et circa mutuas eorum relationes, minitabantur, Nos ipsi, ante aliquot annos (die 10 Martii 1944) scripto illustravimus ordinem*

quei fini, indicando quel che la stessa struttura interna della disposizione naturale rivela, quel che è patrimonio della tradizione cristiana, quel che i Sommi Pontefici hanno ripetutamente insegnato, quel che poi nelle debite forme è stato fissato dal Codice di diritto canonico (can. 1013 § 1). Che anzi poco dopo, per correggere le contrastanti opinioni, la Santa Sede con un pubblico Decreto pronunziò non potersi ammettere la sentenza di alcuni autori recenti, i quali negano che il fine primario del matrimonio sia la procreazione e la educazione della prole, o insegnano che i fini secondari non sono essenzialmente subordinati al fine primario, ma equipollenti e da esso indipendenti (*S. C. S. Officii*, 1° Aprile 1944 - *Acta Ap. Sedis*, vol. 36, a. 1944, pag. 103).

49. Si vuole forse con ciò negare o diminuire quanto vi è di buono e di giusto nei valori personali risultanti dal matrimonio e dalla sua attuazione? No certamente,

---

*eorum finium, indicantes id quod ipsa ordinis naturalis structura aperit, quod est patrimonium christianae traditionis, quod Summi Pontifices saepius docuerunt, quod denique, debita forma sanxit Codex iuris canonici (can. 1013, § 1). Quin immo, paulo post, ut repugnantes opiniones corrigeret, Sancta Sedes publico decreto edixit* « admitti non posse quorundam recentiorum sententiam, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes » (S. C. S. Officii 1° Aprilis 1944 - Acta Ap. Sedis, vol. 36, 1944, pag. 103).

49. *Num ideo volumus negare vel minuere quod bonum et rectum est in personae dignitate et bonis, quae matrimomnium eiusque usum consequuntur? Minime sane,*

poichè alla procreazione della nuova vita il Creatore ha destinato nel matrimonio esseri umani fatti di carne e di sangue, dotati di spirito e di cuore, ed essi sono chiamati in quanto uomini, e non come animali irragionevoli, ad essere gli autori della loro discendenza. A questo fine il Signore vuole l'unione degli sposi. Infatti di Dio la Sacra Scrittura dice che creò l'uomo a sua immagine e lo creò maschio e femmina (*Gen.* 1, 27), ed ha voluto — come si trova ripetutamente affermato nei Libri sacri — che l'uomo abbandoni il padre e la madre, e si unisca alla sua donna, e formino una carne sola » (*Gen.* 2, 24; *Math.* 19, 5; *Eph.* 5, 31).

50. Tutto questo è dunque vero e voluto da Dio; ma non deve essere disgiunto dalla funzione primaria del matrimonio, cioè dal servizio per la vita nuova. Non soltanto l'opera comune della vita esterna, ma anche tutto l'arricchimento personale, lo stesso arricchimento intel-

---

*cum Creator ad novae vitae generationem in matrimonio destinaverit homines et carne et sanguine concretos, mente sensuque humanitatis praeditos, et ipsi qua homines, non ut animalia ratione carentia, vocentur ut sint suae prolis auctores. Hoc consilio Deus coniungi vult coniuges. De Deo enim Sacra Scriptura dicit*: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam ... masculum et feminam creavit eos » (Gen. 1, 27) *et voluisse Deum — quod saepius Libri sacri affirmant — ut* « relinqueret homo patrem suum, et matrem, et adhaereret uxori suae, et essent duo in carne una » (Gen. 2, 24; Mattb. 19, 5; Eph. 5, 11).

50. *Haec omnia igitur vera sunt et a Deo volita, at non sunt disiungenda a primario fine matrimonii, qui est ut serviat novae generandae vitae. Non solum communis opera vitae exterioris, sed omnes etiam faculta-*

lettuale e spirituale, perfino tutto ciò che vi è di più spirituale e profondo nell'amore coniugale come tale, è stato messo per volontà della natura e del Creatore, al servizio della discendenza. Per sua natura, la vita coniugale perfetta significa anche la dedizione totale dei genitori a beneficio dei figli, e l'amore coniugale nella sua forza e nella sua tenerezza è esso stato un postulato della più sincera cura della prole e la garanzia della sua attuazione (cfr. *S. Th.* 3 p. q. 29 a. 2 in c.; *Suppl.* q. 49 a. 2 ad 1).

51. Ridurre la coabitazione dei coniugi e l'atto coniugale ad una pura funzione organica per la trasmissione dei germi sarebbe come convertire il focolare domestico, santuario della famiglia, in un semplice laboratorio biologico. Perciò nella Nostra allocuzione del 29 settembre 1949 al Congresso internazionane dei medici cattolici abbiano formalmente esclusa dal matrimonio la fecondazione artificiale. L'atto coniugale, nella sua struttura naturale,

---

*tes personales, dotes ingenii, virtutes, immo id etiam totum quod in amore ipso coniugali est maxime spirituale et reconditum, naturae et Creatoris iussu ad natorum utilitatem relatum est. Ex natura sua, coniugalis vita perfecta secum fert etiam ut parentes totos se filiis dedant; coniugum amor, dulcis ac fortis, est summae filiorum curae requisitum, fiduciamque affert eam adhibitum iri.* (Cfr. S. Th. 3 p. q. 29, ad 2, inc.; Suppl. q. 49, a 2, ad 1).

51. *Coniugum autem cohabitationem et actum coniugalem tantum in corporea actione pro transmissione germinum ponere, idem est ac larem, familiae sacrarium, in biologicam officinam convertere. Qua de causa die 29 Septembris anni 1949 alloquentes medicos catholicos, qui ex omnibus Nationibus ad Congressum Romae convenerant, artificialem fecundationem a matrimonio aperte*

è un'azoine personale, una cooperazione simultanea e immediata dei coniugi, la quale, per la stessa natura degli agenti e la proprietà dell'atto, è la espressione del dono reciproco, che secondo la parola della Scrittura, effettua l'unione « in una carne sola ».

52. Ciò è molto più della unione di due germi, la quale si può effettuare anche artificialmente, vale a dire senza l'azione naturale dei coniugi. L'atto coniugale, ordinato e voluto dalla natura, è una cooperazione personale, alla quale gli sposi, nel contrarre il matrimonio, si scambiano il diritto.

53. Quando perciò questa prestazione nella sua forma naturale è dall'inizio e durevolmente impossibile, l'oggetto del contratto matrimoniale si trova affetto da un vizio essenziale. E' quel che allora abbiamo detto: « Non si dimentichi: solo la procreazione di una nuova vita secondo la volontà e il disegno del Creatore porta con sè,

---

*exclusimus. Actus coniugalis est, ex sua natura, actio personalis et cooperatio ab ipsis coniugibus simul ponenda, quae, ob ipsam eorum naturam actusque proprietatem, significat mutuam donationem quae, ut habet Sacra Scriptura, unionem efficit « in carne una ».*

52. *Hoc multo plus dicit quam solam seminum coniunctionem, quae artificiose quoque effici potest, idest sine naturali coniugum actione. Actus naturalis, a natura iussus ac dispositus, personalis coniugum cooperatio est, cuius ius alter alteri, in contrahendo matrimonio, tradit.*

53. *Quando igitur haec muneris praestatio iam ab initio et perpetuo fieri nequit naturali modo, obiectum contractus matrimonialis vitio essentiali afficitur. Quod iam tunc his verbis asserebamus: « Ne obliviscamur: tan-*

in un grado stupendo di perfezione, l'attuazione dei fini intesi. Essa è al tempo stesso conforme alla natura corporale e spirituale e alla dignità degli sposi, allo sviluppo normale e felice del bambino » (*Acta Ap. Sedis* vol. 41, 1949, pag 560).

54. Dite dunque alla fidanzata o alla giovane sposa, che venisse a parlarvi dei valori della vita matrimoniale, che questi valori personali, sia nella sfera del corpo o dei sensi, sia in quella spirituale, sono realmente genuini, ma che dal Creatore nella scala dei valori sono stati messi non al primo, ma al secondo grado.

55. Aggiungete un'altra considerazione, che rischia di cadere nell'oblio. Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'ufficio specifico dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita. Alto e nobile ufficio! il quale però non appartiene all'essenza di un essere umano

---

*tum novae vitae generationem ex voluntate consilioque Creatoris, matrimonii fines mirabili perfectione assequi. Congruit haec eadem cum natura corporea et spirituali dignitateque coniugum, et cum aequali felicique infantis progressu* » (Acta Ap. Sedis, vol. 41, 1949, pag. 560).

54. *Dicite igitur sponsae vel recenti coniugi, quae vobiscum sermonem de matrimonialis vitae bonis inferant, vera illa quidem bona esse, sive ad corpus sensusque, sive ad animam spectent, at, Creatoris voluntate, secundum tantum locum inter bona coniugii tenere.*

55. *Hoc etiam, quod fere negligitur, illis declaretis: bona haec omnia secundaria actionis generativae, ad proprium coniugum munus pertinere, quod in eo consistit, ut sint novae prolis auctores educatoresque. Magnum plane ac nobile munus! quod tamen hominem non*

completo, come se, non venendo la naturale tendenza generativa alla sua attuazione, si avesse in qualche modo o grado una diminuzione della persona umana. La rinunzia a quell'attuazione non è — specialmente se fatta per i più nobili motivi — una mutilazione dei valori personali e spirituali. Di tale libera rinunzia per amore del Regno di Dio il Signore ha detto: « *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* - Non tutti comprendono questa dottrina, ma coloro soltanto ai quali è dato » (*Matth.* 19, 11).

56. Esaltare oltre misura, come oggi si fa non di rado, la funzione generativa, anche nella forma giusta e morale della vita coniugale, è perciò non soltanto un errore e una aberrazione; essa porta anche con sè il pericolo di una deviazione intellettuale ed affettiva, atta ad impedire e soffocare buoni ed elevati sentimenti, specialmente nella gioventù ancora sprovvista di esperienza e ignara dei disinganni della vita. Poichè infine quale uomo normale,

---

*ita perficit, ut, si usus naturalis facultatis generandi non habeatur, persona humana aliquo modo aut gradu quasi minuatur. Missum enim facere coniugii usum, — praesertim si hoc altioribus de causis fiat — non est personam sua dignitate animique bonis mutilare. De hac libera abdicatione ex amore Regni Dei facta, dixit Dominus*: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est » (Matth. 19, 11).

56. *Quare, plus nimio iactare, ut fit hodie frequenter, generandi functionem etiam in iusto et licito ordine vitae coniugalis, non solum error deliratioque est, sed periculum quoque secum fert errandi mente et voluntate, ita ut recti altioresque animi sensus prohibeantur, in iuvenibus praecipue inexpertis atque fallacis vitae ignaris. Quis enim iustae probitatis homo, mente et corpore vi-*

sano di corpo e di anima, vorrebbe appartenere al numero dei deficienti di carattere e di spirito?

57. Possa il vostro apostolato, là ove voi esercitate la vostra professione, illuminare le menti e inculcare questo giusto ordine dei valori, affinchè gli uomini ad esso conformino i loro giudizi e la loro condotta!

58. Questa Nostra esposizione sulla funzione del vostro apostolato professionale sarebbe tuttavia incompleta, se Noi non aggiungessimo ancora una breve parola intorno alla difesa della dignità umana nell'uso della inclinazione generativa.

59. Quello stesso Creatore, che nella sua bontà e sapienza ha voluto per la conservazione e la propagazione del genere umano servirsi dell'opera dell'uomo e della donna, unendoli nel matrimonio, ha disposto anche che in quella funzione i coniugi provino un piacere e una fe-

---

*gens, ex illorum numero esse vult, qui constantiae spiritusque defectu laborant?*

57. *Possit vester apostolatus, ubi munus vestrum expletis, mentes illustrare, rectum hunc bonorum coniugii ordinem inculcare, ut homines ad eum conforment suam iudicandi agendique rationem.*

58. *Nostra haec explanatio rationis ac finis muneris vestri apostolici, manca profecto esset, si pauca non adderemus de dignitatis humanae defensione in usu inclinationis ad generandum.*

59. *Creator, qui bonitate et sapientia sua voluit, ad humanum genus conservandum propagandumque, viro et muliere uti, eos iungens in matrimonium, constituit idem ut coniuges in eius usu voluptatem et gaudium corpo-*

licità nel corpo e nello spirito. I coniugi dunque nel cercare e nel godere questo piacere, non fanno nulla di male. Essi accettano quel che il Creatore ha loro destinato.

60. Nondimeno anche qui i coniugi debbono sapersi mantenere nei limiti di una giusta moderazione. Come nel gusto dei cibi e delle bevande, così in quello sessuale, essi non debbono abbandonarsi senza freno all'impulso dei sensi. La retta norma è dunque questa: L'uso della naturale disposizione generativa è moralmente lecito soltanto nel matrimonio, nel servizio e secondo l'ordine dei fini del matrimonio medesimo. Da ciò consegue che anche soltanto nel matrimonio e osservando questa regola il desiderio e la fruizione di quel piacere e di quella soddisfazione sono leciti. Poichè il godimento sottostà alle legge dell'azione, dalla quale esso deriva, e non viceversa, l'azione alla legge del godimento. E questa legge, così ragionevole, riguarda non solo la sostanza, ma anche le circo-

---

*ris et animi perciperent. Coniuges igitur hanc voluptatem quaerentes haurientesque, nihil peccant, cum id sumant, quod Creator eis destinavit.*

60. *Attamen hic quoque non debent coniuges temperantiae fines transire. Sicuti in victu, ita etiam in sexuali voluptate non debent sine freno sensibus indulgere. Haec est igitur recta regula: Usus naturalis facultatis generandi legitime licitus erit in solo matrimonio, ad eiusdem matrimonii bonum, et secundum ordinem finium illi propositorum. Inde consequitur ut, pariter in solo matrimonio ac tenendo hanc regulam, licita sint desiderium fruitioque illius voluptatis ac delectationis. Oblectatio enim legi agendi paret, ex qua oritur, non vero actio paret legi fruendae voluptatis. Quae lex tam rationi consentanea, non ipsam tantum actionem respicit,*

stanze dell'azione, di guisa che, pur restando salva la sostanza dell'atto, si può peccare nel modo di compierlo.

61. La trasgressione di questa norma è tanto antica quanto il peccato originale. Però al tempo nostro si corre pericolo di perdere di vista lo stesso principio fondamentale. Al presente, infatti, si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici), la necessaria autonomia, il proprio fine e il proprio valore della sessualità e della sua attuazione, indipendentemente dallo scopo della procreazione di una nuova vita. Si vorrebbe sottoporre ad un nuovo esame e ad una nuova norma l'ordine stesso stabilito da Dio. Non si vorrebbe ammettere altro freno nel modo di soddisfare l'istinto che l'osservare l'essenza dell'atto istintivo. Con ciò alla obbligazione morale del dominio delle passioni si sostituirebbe la licenza di servire ciecamente e senza freno i capricci e gl'impulsi della natura; il che non potrà, presto o tardi,

---

*verum etiam eius adiuncta, ita ut, salva actus substantia, in modo eum exequendi possit delinqui.*

61. *Huius legis violatio aeque antiqua est ac peccatum originis. At nostro tempore periculum est ne ipsum principium ac fundamentum neglegatur; nam et verbis et scriptis libris (etiam a quibusdam catholicis) defendi solet necessaria autonomia, proprius finis propriaque praestantia appetitus sexualis eiusque expletionis, praetermisso fine generandi novam vitam. Ordo ipse a Deo praestitutus, — dictitant isti — est novo examini subiiciendus novaeque normae; nullum aliud frenum in modo explendi naturalem appetitum admittendum est, nisi natura ipsius actus naturalis observanda. Atque ita pro morali obligatione coërcendi cupiditates, substituitur facultas indulgendi, caeco impetu nulloque freno, libidinibus impulsibusque naturae; id quod, serius ocius, in*

che ridondare a danno della morale, della coscienza e della dignità umana.

62. Se la natura avesse mirato esclusivamente, o almeno in primo luogo, ad un reciproco dono e possesso dei coniugi nella gioia e nel diletto, e se avesse disposto quell'atto soltanto per rendere felice nel più alto grado possibile la loro esperienza personale, e non per stimolarli al servizio della vita, allora il Creatore avrebbe adottato un altro disegno nella formazione e costituzione dell'atto naturale. Ora invece questo è insomma tutto subordinato e ordinato a quell'unica grande legge della « generatio et educatio prolis », vale a dire al compimento del fine primario del matrimonio come origine e sorgente della vita.

63. Pur troppo ondate incessanti di edonismo invadono il mondo e minacciano di sommergere nella marea crescente dei pensieri, dei desideri e degli atti tutta

---

*damnum morum, conscientiae dignitatisque humanae vertet.*

62. *Si natura unice vel saltem praecipue spectasset mutuam coniugum donationem possessionemque cum gaudio et oblectatione coniunctam, et si actum illum instituisset hac una ratione, ut ipsorum experientiam quam maxime redderet felicem, non vero ut eos ad vitae ministerium stimularet, tunc Creator alio usus esset consilio in actus naturalis forma atque constitutione. At, contra, actus oboedit ac servit unicae illi magnae legi « generationis et educationis prolis », spectat nempe ad assequendum primarium coniugii finem, vitae originem ac fontem.*

63. *Voluptatis consectatio, dolendum est, quasi fluctus continenter orbem terrarum invadit minaturque totam vitam coniugii obruere aestu flagitiosarum cogitatio-*

la vita matrimoniale, non senza seri pericoli e grave pregiudizio dell'ufficio primario dei coniugi.

64. Questo edonismo anticristiano troppo spesso non si arrossisce di erigerlo a dottrina, inculcando la brama di rendere sempre più intenso il godimento nella preparazione e nella attuazione della unione coniugale; come se nei rapporti matrimoniali tutta la legge morale si riducesse al regolare compimento dell'atto stesso, e come se tutto il resto, in qualunque modo fatto, rimanga giustificato dalla effusione del reciproco affetto, santificato dal sacramento del matrimonio, meritevole di lode e di mercede dinanzi a Dio e alla coscienza. Della dignità dell'uomo e della dignità del cristiano, che mettono un freno agli eccessi della sensualità, non si ha cura.

65. Ebbene, no. La gravità e la santità della legge morale cristiana non ammettono una sfrenata soddisfazione dell'istinto sessuale e di tendere così soltanto al

---

*num, cupiditatum, actionum, non sine gravi periculo et magno detrimento praecipui coniugum muneris.*

64. *Qui hedonismus christianae vitae repugnans, saepius ut doctrina impudenter constituitur, et cupiditas inculcatur intendendi magis magisque voluptatem in coniugali copula paranda et habenda, ac si, in coniugali consuetudine, tota lex moralis in legitima actus ipsius peractione consistat, et cetera omnia, quocumque modo peracta, purgentur excusatione expromendi mutuum amorem, sancta reddantur matrimonii sacramento, dignaque sint quae Deus et conscientia laudent atque remunerentur. Hominis autem et christiana dignitas, quae libidinem temperat, negligitur.*

65. *Atqui non ita est. Namque pondus ac sanctitas christianae legis moralis prohibent quominus libido ef-*

piacere e al godimento, essa non permette all'uomo ragionevole di lasciarsi dominare sino a tal punto, nè quanto alla sostanza, nè quanto alle circostanze dell'atto.

66. Si vorrebbe da alcuni addurre che la felicità nel matrimonio è in ragione diretta del reciproco godimento nei rapporti coniugali. No: la felicità nel matrimonio è invece in ragione diretta del vicendevole rispetto fra i coniugi, anche nelle loro intime relazioni; non già quasi che essi giudichino immorale e rifiutino quel che la natura offre e il Creatore ha donato, ma perchè questo rispetto, e la mutua stima che esso ingenera, è uno dei più validi elementi di un amore puro, e per ciò stesso tanto più tenero.

67. Nella vostra attività professionale opponetevi, per quanto vi è possibile, all'impeto di questo raffinato edonismo, vuoto di valori spirituali, e quindi indegno di

---

*frenate expleatur unaque expetatur voluptas; nec patiuntur hominem, ratione praeditum, tantopere servire libidini, sive quoad ipsum actum, sive quoad eius adiuncta.*

66. *Aliqui hanc causam afferunt: matrimonii felicitatem exaequari mutuae voluptatis ex actu coniugii habitae. Quod est omnino negandum, cum ea potius mutuae reverentiae aequalis et congruens sit, quae coniugibus habenda est in ipso actu exequendo; non quod inhonestum putent atque denegent id quod natura offert et Creator donavit; sed quia huiusmodi reverentia mutuaque inde oriens aestimatio, validissima causa sunt amoris casti, ideoque multo tenerioris.*

67. *In muneris igitur vestri perfunctione obsistite, quantum potestis, molli huic hedonismo invadenti, bonis animi vacuo et proinde indigno christianis coniugibus.*

sposi cristiani. Mostrate come la natura ha dato, è vero, il desiderio istintivo del godimento e lo approva nelle legittime nozze, ma non come fine a sè stesso, bensì insomma per il servizio della vita. Bandite dal vostro spirito quel culto del piacere, e fate del vostro meglio per impedire la diffusione di una letteratura che si crede in dovere di descrivere in ogni particolare le intimità della vita coniugale col pretesto di istruire, di dirigere e di rassicurare. Per tranquillizzare le coscienze timorate degli sposi bastano in generale il buon senso, l'istinto naturale e una breve istruzione sulle chiare e semplici massime della legge morale cristiana. Se, in alcune speciali circostanze, una fidanzata o una giovane sposa avessero bisogno di più ampi schiarimenti su qualche punto particolare, toccherà a voi di dar loro delicatamente una spiegazione conforme alla legge naturale e alla sana coscienza cristiana.

---

*Ostendite naturam indidisse quidem naturale desiderium voluptatis, idque in legitimo connubio approbare, non vero ut finem in se, sed ut instrumentum ad vitam generandam. Voluptatis cultum abiiciatis ipsae ex animo et enitamini impedire quominus libri propagentur qui munus sibi sumunt vel minima coniugalis consuetudinis scrutandi describendique, interposita causa quod dubios doceant, dirigant, confirment. Ad pias rectasque coniugum conscientias tranquillandas, sufficiunt plerumque sana mens, naturalis sensus, et brevis institutio de claris et intellectu facilibus principiis ethicae christianae. Si autem in peculiaribus adiunctis, sponsa aliqua aut recens coniux fusiore alicuius capitis doctrinae explanatione indigeant, vestrum erit eis caste rem explicare ex lege naturae sanaque conscientia christiana.*

68. Questo Nostro insegnamento non ha niente da fare col manicheismo o col giansenismo, come alcuni vogliono far credere per giustificare sè stessi. Esso è soltanto una difesa dell'onore del matrimonio cristiano e della dignità personale dei coniugi.

69. Servire a tale scopo è, soprattutto ai giorni nostri, un urgente dovere della vostra missione professionale.

70. Con questo siamo giunti alla conclusione di quanto intendevamo di esporvi.

71. La vostra professione vi apre un vasto campo di apostolato dai molteplici aspetti; apostolato non tanto di parola, quanto di azione e di guida; apostolato che potrete utilmente esercitare soltanto se sarete ben consapevoli del fine della vostra missione e dei mezzi per conseguirlo, e se sarete dotate di una volontà ferma e risoluta, fondata in una profonda convinzione religiosa, ispirata e avvalorata dalla fede e dall'amore cristiano.

---

68. *Huic Nostrae doctrinae nihil est cum manichaeismo vel ianscnismo, ut volunt quidam persuadere, ut se ipsi de re purgent. Volumus tantum christiani matrimonii ipsorumque coniugum dignitatem defendere.*

69. *Hoc idem spectare et quaerere, est, nostris praesertim diebus, necessitas apostolici muneris vestri.*

70. *Et iam concludimus quae volebamus vobis declarare.*

71. *Ars vestra immensum vobis aperit campum varii apostolatus: adhortando verbis, agendo, regendo consiliis; apostolatus, quem utiliter explebitis tantum si probe noveritis quid spectet munus vestrum et quibus rebus id consequatur, et si firma ac prompta voluntate praeditae eritis, quae religionis confirmata opinione nitatur, incitetur autem ac roboretur christiana fide et charitate.*

72. Invocando su di voi il potente aiuto del lume divino e del divino conforto, vi impartiamo di cuore, pegno ed auspicio delle più abbondanti grazie celesti, la Nostra Apostolica Benedizione.

---

72. *Efficax divini luminis solaciique auxilium implorantes Nostram Apostolicam Benedictionem, pignus et auspicium copiosissimarum caelestium gratiarum, amantissima voluntate impertimus.*

(Ex Actis Diurnis « *L'Osservatore Romano* », 29-30 Octob. 1951).

---

*N.B.* - Totam allocutionem numeris distinximus hac una ratione, ut eius usus facilior ad inveniendos, comparandos, citandos locos esset.

Italicam Romani Pontificis allocutionem comiter vertit, R. P. Aemilius Springhetti S. I. huius Universitatis Gregorianae Professor.

## II.

### Discorso che il Santo Padre si è degnato di rivolgere nella audienza del 26 novembre ai partecipanti al Convegno del « Fronte della Famiglia » e della Federazione delle Associazioni delle famiglie numerose.

(L'Osservatore Romano [1951, N. 277] p. 1)

1. Nell'ordine della natura, fra le istituzioni sociali non ve n'è alcuna che stia alla Chiesa più a cuore della famiglia. Cristo ha elevato alla dignità di Sacramento il matrimonio, che ne è come la radice. La famiglia stessa ha sempre trovato e troverà nella Chiesa difesa, protezione, appoggio, in tutto ciò che riguarda i suoi inviolabili diritti, la sua libertà, l'esercizio della sua alta funzione.

2. Perciò Noi proviamo, diletti figli e figlie, una particolare gioia nel dare il benvenuto nella Nostra dimora al Congresso nazionale del « Fronte della famiglia » e delle famiglie numerose, e nell'esprimere la Nostra soddisfazione per i vostri sforzi verso i fini che avete in mira e i Nostri voti paterni per il loro felice conseguimènto.

3. Un movimento familiare, come il vostro, il quale si adopera ad attuare pienamente nel popolo l'idea della famiglia cristiana, non può mancare, sotto l'impulso della forza interiore, che lo anima, e delle necessità del popolo stesso, in mezzo al quale vive e cresce, di mettersi al servigio di quel triplice scopo, che forma l'oggetto delle vostre cure: l'influsso da esercitarsi sulla legislazione nel vasto campo, che mediatamente o immediatamente tocca la famiglia; la solidarietà fra le famiglie cristiane; la coltura cristiana della famiglia. Questo terzo oggetto è il fondamentale; i due primi debbono concorrere a secondarlo e promuoverlo.

4.Noi abbiamo spesso e nelle più varie occasioni parlato in favore della famiglia cristiana, e nella maggior parte dei casi per venire o chiamare altri in suo aiuto, per salvarla dalle più gravi angustie. Innanzi tutto per soccorrerla nelle calamità della guerra. I danni cagionati dal primo conflitto mondiale erano ben lungi dall'essere pienamente riparati, quando la seconda anche più terribile conflagrazione venne a mettervi il colmo. Occorreranno an-

cora molto tempo e molte fatiche da parte degli uomini, ed anche maggiore assistenza divina, prima che comincino a cicatrizzarsi convenientemente le profonde ferite, che quelle due guerre hanno inflitte alla famiglia. Altro male, dovuto in parte anch'esso alle guerre devastatrici, ma conseguenza inoltre della superpopolazione e di singole tendenze inette o interessate, è la crisi delle abitazioni; tutti coloro, legislatori, uomini di Stato, membri di Opere sociali, che si studiano di portarvi rimedio, compiono, sia pure soltanto indirettamente, un apostolato di eminente valore. Lo stesso vale per la lotta contro il flagello della disoccupazione, per il regolamento di un sufficiente salario familiare, affinchè la madre non sia costretta, come troppo spesso avviene, a cercare un lavoro fuori di casa, ma possa dedicarsi maggiormente al marito ed ai figli. Lavorare in favore della scuola e della educazione religiosa: ecco altresì un prezioso contributo al bene della famiglia, come anche favorire in essa una sana naturalezza e semplicità di costumi, rafforzare le convinzioni religiose, sviluppare intorno ad essa un'aura di purezza cristiana, atta a liberarla dai deleteri influssi esteriori e da tutte quelle morbose eccitazioni che destano disordinate passioni nell'animo dell'adolescente.

5. Ma vi è una miseria anche più profonda, dalla quale occorre preservare la famiglia, vale a dire l'avviliente servaggio, a cui la riduce una mentalità, che tende a farne un puro organismo al servizio della comunità sociale, per procreare ad essa una massa sufficiente di « materiale umano ».

6. Se non che un altro pericolo minaccia la famiglia, non già da ieri, ma da molto tempo, il quale però al presente crescendo a vista d'occhio, può divenirle funesto, perchè l'attacca fin nel suo germe; vogliamo dire, lo sconvolgimento della morale coniugale in tutta la sua estensione.

7. Noi abbiamo, nel corso degli ultimi anni, colto tutte le occasioni, per esporre l'uno o l'altro punto essenziale di quella morale, e più recentemente per indicarla nel suo insieme, non solo confutando gli errori che la corrompono, ma anche mostrandone positivamente il senso, l'ufficio, l'importanza, il valore per la felicità degli sposi, dei figli e di tutta la famiglia, per la stabilità e il maggior bene sociale dal focolare domestico fino allo Stato e alla stessa Chiesa.

8. Al centro di questa dottrina il matrimonio è apparso come un istintuto al servizio della vita. In stretto legame con questo principio, Noi, secondo l'insegnamento costante della Chiesa, abbiamo illustrato una tesi che è uno dei fondamenti essenziali non solo della morale coniugale, ma anche della morale sociale in ge-

nere: cioè che il diretto attentato alla vita umana innocente, come mezzo al fine, — nel caso presente al fine di salvare un'altra vita, — è illecito.

9. La vita umana innocente, in qualsiasi condizione si trovi, è sottratta, dal primo istante della sua esistenza, a qualunque diretto attacco volontario. È questo un fondamentale diritto della persona umana, di valore generale nella concezione cristiana della vita; valido così per la vita ancora nascosta nel seno della madre, come per la vita già sbocciata fuori di lei; così contro l'aborto diretto, come contro la diretta occisione del bambino prima, durante e dopo il parto. Per quanto fondata possa essere la distinzione fra quei diversi momenti dello sviluppo della vita nata o non ancora nata per il diritto profano ed ecclesiastico e per alcune conseguenze civili e penali, — secondo la legge morale, si tratta in tutti quei casi di un grave e illecito attentato alla inviolabile vita umana.

10. Questo principio vale per la vita del bambino, come per quella della madre. Mai e in nessun caso la Chiesa ha insegnato che la vita del bambino deve essere preferita a quella della madre. È erroneo impostare la questione con questa alternativa: o la vita del bambino o quella della madre. No; nè la vita della madre, nè quella del bambino, possono essere sottoposte a un atto di diretta soppressione. Per l'una parte e per l'altra la esigenza non può essere che una sola: fare ogni sforzo per salvare la vita di ambedue, della madre e del bambino (cfr. Pii XI Encycl. « Casti Connubii », 31 dec. 1930 - Acta Ap. Sedis vol. 22, pag. 562-563).

11. È una delle più belle e nobili aspirazioni della medicina il cercare sempre nuove vie per assicurare la vita di entrambi. Che se, nonostante tutti i progressi della scienza, rimangono ancora, e rimarranno in futuro, casi in cui si debba contare con la morte della madre, quando questa vuol condurre fino alla nascita la vita che porta in sè, e non distruggerla in violazione del comandamento di Dio: non uccidere! — altro non resta all'uomo, che fino all'ultimo momento si sforzerà di aiutare e di salvare, se non d'inchinarsi con rispetto dinanzi alle leggi della natura e alle disposizioni della divina Provvidenza.

12. Ma — si obietta — la vita della madre, principalmente di una madre di numerosa famiglia, è di un pregio incomparabilmente superiore a quello di un bambino non ancora nato. L'applicazione della teoria della bilancia dei valori al caso che ora ci occupa ha già trovato accoglimento nelle discussioni giuridiche. - La risposta a questa tormentosa obiezione non è difficile. L'inviolabilità della vita di un innocente non dipende dal suo maggiore

o minor valore. Già da oltre dieci anni la Chiesa ha formalmente condannato l'uccisione della vita stimata « senza valore »; e chi conosce i tristi antecedenti che provocarono tale condanna, chi sa ponderare le funeste conseguenze a cui si giungerebbe, se si volesse misurare l'intangibilità della vita innocente secondo il suo valore, ben sa apprezzare i motivi che hanno condotto a quella disposizione.

13. Del resto, chi può giudicare con certezza quale delle due vite è in realtà più preziosa? Chi può sapere quale sentiero seguirà quel bambino e a quale altezza di opere e di perfezione esso potrà giungere? Si paragonano qui due grandezze, di una delle quali nulla si conosce.

14. Noi vorremmo a questo proposito citare un esempio, che forse è già noto ad alcuni di voi, ma che non perde perciò il suo suggestivo valore. Esso risale al 1905. Viveva allora una giovane donna, di nobile famiglia e di anche più nobili sensi, ma gracile e delicata di salute. Adolescente, era stata malata di una piccola pleurite apicale, che sembrava guarita; allorchè, però, dopo aver contratto un felice matrimonio, ella sentì una nuova vita sbocciare nel suo seno, avvertì ben presto uno speciale malessere fisico, che costernò i due valenti sanitari, i quali vegliavano con amorosa sollecitudine su di lei. Quel vecchio processo apicale, quel focolaio già cicatrizzato si era ridestato; a loro giudizio, non vi era tempo da perdere; se si voleva salvare la soave signora, occorreva provocare senza il minimo indugio l'aborto terapeutico. Anche lo sposo comprese la gravità del caso e si dichiarò consenziente all'atto doloroso. Ma quando l'ostetrico curante le annunziò con ogni riguardo la deliberazione dei medici, scongiurandola di arrendersi al loro parere, ella con accento fermo rispose: « La ringrazio dei suoi pietosi consigli; ma io non posso troncare la vita della mia creatura! Non posso, non posso! Io la sento già palpitare nel mio seno; essa ha diritto di vivere; essa viene da Dio e deve conoscere Dio per amarlo e goderlo ». Anche il marito pregò, supplicò, implorò; ella rimase inflessibile e attese serenamente l'evento. Una bambina nacque regolarmente; ma subito dopo la salute della madre andò peggiorando. Il focolaio polmonare si estese; il deperimento divenne progressivo. Due mesi dopo ella era agli estremi; ella rivide la sua piccina, che cresceva sana presso una robusta nutrice; le sue labbra si atteggiarono a un dolce sorriso, e placidamente spirò. Trascorsero vari anni. In un Istituto religioso si poteva particolarmente notare una giovane Suora, tutta dedita alla cura e alla educazione della infanzia abbandonata, che con occhi spiranti amore materno si chinava sui piccoli infermi, quasi

per dar loro la vita. Era lei, la figlia del sacrificio, che ora col suo gran cuore diffondeva tanto bene fra i bambini derelitti. L'eroismo della intrepida madre non era stato vano! (cfr. Andre Majocchi, Tra bistori e forbici, 1940, pag. 21 e segg.). Ma Noi domandiamo: E forse il senso cristiano, anzi anche puramente umano, dileguato a tal punto, da non saper più comprendere il sublime olocausto della madre e la visibile azione della Provvidenza divina, che da quell'olocausto fece nascere un così splendido frutto?

15. Noi abbiamo di proposito usato sempre l'espressione « attentato *diretto* alla vita dell'innocente », « uccisione *diretta* ». Poichè se, per esempio, la salvezza della vita della futura madre, indipendentemente dal suo stato di gravidanza, richiedesse urgentemente un atto chirurgico, o altra applicazione terapeutica, che avrebbe come conseguenza accessoria, in nessun modo voluta nè intesa, ma inevitabile, la morte del feto, un tale atto non potrebbe più dirsi un *diretto* attentato alla vita innocente. In queste condizioni l'operazione può essere lecita, come altri simili interventi medici, sempre che si tratti di un bene di alto valore, qual è la vita, e non sia possibile di rimandarla dopo la nascita del bambino, nè di ricorrere ad altro efficace rimedio.

16. Poichè dunque l'ufficio primario del matrimonio è di essere al servizio della vita, il Nostro principale compiacimento e la Nostra paterna gratitudine vanno a quegli sposi generosi, che per amore di Dio, e fidando in Lui, allevano coraggiosamente una famiglia numerosa.

17. D'altra parte, la Chiesa sa considerare con simpatia e comprensione le reali difficoltà della vita matrimoniale ai nostri giorni. Perciò nell'ultima Nostra allocuzione sulla morale coniugale abbiamo affermato la legittimità e al tempo stessi i limiti — in verità ben larghi — di una regolazione della prole, la quale, contrariamente al cosidetto « controllo delle nascite », è compatibile con la legge di Dio. Si può anzi sperare (ma in tale materia la Chiesa lascia naturalmente il giudizio alla scienza medica) che questa riesca a dare a quel metodo lecito una base sufficientemente sicura, e le più recenti informazioni sembrano confermare una tale speranza.

18. Del resto, a vincere le molteplici prove della vita coniugale valgono soprattutto la fede viva e la frequenza dei Sacramenti, donde scaturiscono torrenti di forza, della cui efficacia coloro che vivono fuori della Chiesa difficilmente possono farsi una chiara idea. E con questo richiamo ai superiori ausili desideriamo di concludere il Nostro dire. Potrebbe anche a voi, diletti figlie e figlie, un giorno o l'altro accadere di sentire il vostro coraggio vacillare

sotto la violenza della bufera scatenata intorno a voi, e anche più pericolosamente nell'interno della famiglia, dalle dottrine sovvertitrici della sana e normale concezione delle nozze cristiane. Abbiate fiducia! Le energie della natura e soprattutto quelle della grazia con cui il Signore ha arricchito le vostre anime nel Sacramento del matrimonio, sono come una rocca ferma, contro cui si frangono impotenti le onde di un mare in tempesta. E se i drammi della guerra e del dopoguerra hanno colpito il matrimonio e la famiglia con ferite ancora sanguinanti, tuttavia in quegli anni anche la costante fedeltà e la salda perseveranza degli sposi, e l'amore materno pronto a indicibili sacrifici, hanno riportato in innumerevoli casi veri e splendidi trionfi.

19. Proseguite dunque strenuamente il vostro lavoro, fiduciosi nell'aiuto divino, in auspicio del quale impartiamo con effusione di cuore a voi e alle vostre famiglie la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

## ANIMADVERSIONES

**1.** Thema Allocutionis est « Apostolatus specificus obstetricum catholicarum »; dispositio materiae, in ipso tenore Allocutionis clare significata, est haec:

A *Introductio*: Normae a Deo circa originem novae vitae stabilitae, secundum quas specificus apostolatus exerceri debet (n. 1-6).

B *Corpus*: Apostolatus specificus obstetricum catholicarum (n. 7-10):

I. Apostolatus apostolae persona et vita praestandus;

II. Apostolatus defendendae vitae noviter ortae (n. 11-19);

III. Apostolatus subeundae maternitatis (n. 20-42);

IV. Apostolatus servandi valores valorumque in matrimonio ordinem (n. 43-69).

C *Conclusio*: Brevissima synopsis, exhortatio, benedictio (n. 70-72).

**2.** In INTRODUCTIONE memoratur: ipsum Deum modum et viam constituisse, qua nova vita humana oriatur, cooperantibus scl. homine, natura, Creatore. Creaturarum cooperationem regi legibus ab Auctore naturae stabilitis, tum biologicis et physiologicis, tum, quod ad liberam hominis activitatem spectat, moralibus, tam negativis quam positivis. Ad specificum obstetricum catholicarum apostolatum et missionem spectare, ut has leges et ipsae sciant ac revereantur, dein eas parentes, inprimis matrem, edoceant eosque pro posse inducant, ut Dei legem assumant suam in matrimonio agendi normam.

## I.

**3.** Prima apostolatus forma (n. 7-10) dicitur *apostolatus personae,* qui scl. exerceatur ipsius obstetricis apostolae indole et charactere personali. Amplectitur duo: 1) debitam efformationem professionalem tamquam indispensabiliter praerequisitam condicionem, 2) characteris religionem atque pietatem. Obstetrix non vocabitur ad munus exercendum, si suae professionis scientia et arte non fuerit bene instructa; iam vero si non vocatur, apostolatum suae professionis exercere non valebit. Ut autem (vocata) apostolatum efficaciter peragat, ad scientiam et artem accedat oportet genuina pietas, religione christiana innitens, atque indeclinabilis in ordine morum servando voluntatis firmitas. Hoc enim fundamento posito, obstetrix apostola, Dei legi quasi affixa neque a suae conscientiae rite efformato dictamine deflectens, numquam in suo officio gerendo sive matri sive proli deerit; ei utriusque cura, immo et vita tuto concredi potest; praestabit enim, et quidem propter Deum et conscientiam sibi non parcens, quae a scientia et arte obstetricia praestari possunt. Ita agendo obstetrix profundum atque fructuosum exercebit apostolatum, non sermone et copia verborum, sed vita et actione, sui characteris splendore et luce.

## II.

**4.** Secunda apostolatus specifici obstetricum functio (n. 11-19) objectum habet vitae innocentis inviolabilitatem atque valorem *.

---

* Hoc secundum Allocutionis caput complementum quoddam accepit ex nova Summi Pontificis Allocutione, habita die 26 Novembris 1951 ad membra Congressus « Fronte della Famiglia ». Textus supra est exhibitus. Hac Allocutione Summus Pontifex pri-

Fundamentum argumentationis est, quod quilibet homo a primo momento unionis animae suae rationalis cum substrato corporali immediate a Creatore, non autem ab ullo homine vel ab ulla hominum collectivitate habet *jus vitae,* omni directae laesioni subtractum, (quamdiu ab homine actio morte digna non fuerit posita). Primam huius veritatis rationem Allocutio sumit ex rei natura. Homo, quod attinet ad suae naturae et personae ESSE, exclusive et immediate Deum habet finem, nullam autem creaturam vel creaturarum collectivitatem. Omnia, quae hac in terra in ordine sive naturali sive supernaturali praeter ipsum hominem inveniuntur, propter hominem a Deo sunt facta. « Omnia vestra sunt, dicit Scriptura, vos autem Christi, Christus autem Dei »; cf. 1 Cor. III, 22-23. De hac veritate fundamentali juvat legere quae habentur in Litt. Encycl. Pii XI, « De Communismo atheo », d. d. 19 martii 1937 [A.A.S., 29 (1937) p. 79, n. 29-30] et Pii XII, « De Mystico Jesu Christi Corpore », d. d. 29 junii 1943 [A.A.S., 35 (1943) p. 221-222, n. 59].

Ex hac quoque intrinseca, essentiali, exclusiva, immediata hominis in ipsum Deum tamquam in suum finem ordinatione deducitur, quod Deus de omni homine liberrime disponere valet; quod vero nullus homo nullaque hominum collectivitas alium hominem secundum ipsum eius ESSE naturae et personae sibi in suos fines vindicare, ideoque nunquam directe de eius vita disponere potest; (cf. *Fam.,* n. 8-16).

**5.** Hoc hominis innocentis inviolabile in vitam jus Allocutio dicit necessarium et indispensabile pacificae

---

stinae Allocutionis ad obstetrices habitae duo puncta dilucidat et dilucidando ostendit: sine ratione, non diligenter lecta et multo minus perspecta prioris Allocutionis argumentatione, in nonnullis « foliis diurnis » intra et extra Italiam propositas atque acriter defensas esse difficultates et oblocutiones. — Hoc complementum prioris Allocutionis in hoc commentario significatur: « Fam. ».

inter homines convictionis et societatis fundamentum; quod ius urgeatur et defendatur etiam divino praecepto: « NON OCCIDES »*, cui praecepto contraria sit omnis vitae innocentis directa destructio. Directa autem occisio describitur in Allocutione actio, quae in occisionem tendat, sive ut in finem sive ut in medium. Quae post Allocutionem publicatam variis in ephemeridibus variarum nationum de notione et applicatione « *occisionis directae* » scripta sunt, manifestant: neque hanc occisionis directae notionem neque hujus notionis applicationem ad casus concretos recte esse intellecta, neque correspondere sensui et usui quem supponit Allocutio; (cf. *Fam.*, n. 8 sqq.).

Quaelibet actio (occisio) « *directa* » dicitur ex tendentia in terminum cui destinatur. Destinatur autem primo modo per voluntatem agentis; qui suam actionem dirigit in certum terminum (sive ut in finem, sive ut in medium). Sed alio quoque modo actio agentis dirigi potest in certum terminum, scil. ex sua interna structura. Actio enim, in quantum est « motus », determinatur ex termino suo immediato; qui, si est unicus, univoce determinat et designat directionem quam motus habet. Si autem alicuius « motus » sunt termini aeque immediati *plures*, hi ex sese actionis tendentiam et directionem *univoce* determinare

---

* Hoc V. mandatum decalogi minime est solummodo norma positiva *Veteris Legis*, quae in Novo Testamento cessaverit; etiam in « Regno Christi » est observandum a quocumque, qui ad vitam velit ingredi. Quod facile deducitur ex ipsius Christi verbis (cf. e. gr. Mat., XIX, 18; XV, 19): item ex non paucis Novi Testamenti textibus, in quibus inter gravia crimina enumeratur « homicidium », et aliquoties explicite « homicidae » a Regno Dei exclusi dicuntur (cf. e. gr. Rom., I, 32, 29; Ap., XXI, 8; Gal., V, 21). Si enim ullum homicidium in Nova Lege est prohibitum, prohibita esse debet directa *insontis* occisio; quia, si ne haec quidem illicita est, nullum iam directum homicidium dici potest interdictum, cum (quod ad directi homicidii liceitatem ethicam attinet) contra nullum aliud homicidium directum tot tantaque argumenta pugnant.

nequeunt respectu *unius* ex illis pluribus. Talis univoca determinatio in tali casu aliunde peti debet.

Quae si applicantur ad « *actionem occisivam* », haec actio, si in linea causalitatis non unum tantum habet effectum immediatum, idest destructionem vitae, sed plures, ex ipsa actione occisiva in linea causalitatis aeque immediate resultantes, (idest : non tandem ex obtenta destructione vitae), non determinatur ad unum ex effectu occisionis. Hinc talis actio non est *occisio directa* ex natura rei; et, si non accedit intentio agentis qui tendat in occisionem, neque ex hoc alio fonte constituitur « directa ». Affinis notioni « *actionis directe occisivae* » est notio « *actionis per se occisivae* » quae intellegitur actio quae necessario (sive semper sive saltem in concretis casus circumstantiis) tamquam effectum habet etiam destructionem vitae, ita ut (saltem hic et nunc) poni nequeat, quin mors efficiatur. Talis actio, per se occisiva, non obstante hoc effectu inevitabili, *potest* esse occisio tantum indirecta.

**6.** Haec sufficiant de notione « occisionis directae », quae in pluribus articulis falsae vel ambiguae interpretationi fuit obnoxia. Quod si quaeritur, utrum necne determinatae quaedam operationes chirurgicae gynaecologicae sint « per se et directe occisivae » aut « per se quidem, sed non directe occisivae » : quaedam actiones evidenter sunt et « per se » et « directe » occisivae, aliae evidenter sunt quidem « per se », sed non « directe » occisivae, de aliis tandem non nisi post accuratam et diligentem inquisitionem decidi potest, utrum necne agatur de occisione directa. Theologus de liceitate vel illiceitate talium operationum chirurgicarum iudicium ferre non debet, nisi clare perspexerit, quid in concreto medicus agat, et quomodo varii actionis suae effectus in linea causalitatis inter se nectantur; (cf. *Fam.*, n. 15).

**7.** Occasione Allocutionis Pontificiae in foliis diurnis mota est etiam quaestio, quaenam vita in casu conflictus insolubilis, in quo non utraque, sed alterutra solummodo vita (matris scl. aut prolis), servari potest, sit praeferenda. Responderunt: regulariter vitam matris plus valere vita infantis, ideoque matrem praeferri posse et debere. In allegatis his discussionibus tacite supponebatur: in huiusmodi conflictibus semper esse facultatem eligendi, et absonum esse ipsam hanc eligendi facultatem negare. At de facultate eligendi sermo esse non potest, si obiecta, inter quae electio peragi debet, voluntati eligentis nullo modo sunt submissa. Ita otiosum est quaerere, quamnam ex duabus rebus pretiosis, quas fur ambas auferre non valet, fur praeferre debeat; nam furis electioni et una et altera res est subtracta. Eodem modo otiosum est inquirere, utrum praeferenda sit directa occisio infantis aut directa occisio matris; cum nec infantem nec matrem umquam liceat directe occidere. Iam ante plura decennia conati sunt, quaestionem de licita prolis directa occisione in casu conflictus insolubilis solvere secundum celebrem illam « theoriam praevalentiae valorum » (« Güterabwägungstheorie »). At huius theoriae applicatio ad dictam materiam processit ex modo nominato falso supposito. Si vero agitur de actione non directe, sed indirecte tantum occisiva, dicta theoria iusto iure invocatur, et mater proli regulariter praeferri potest vel etiam debet *, salva semper obligatione providendi pro posse baptismo infantis, [cf. Stimmen der Zeit, 116 (1928) p. 128-140: « Güterabwägungstheorie »; (cf. *Fam.*, n. 10, 12).

---

* Summus Pontifex in secunda Allocutione hanc regulam non ponit, sed urget: 1) quidquid sit de « praevalente valore » vitae matris, numquam ex hac ratione licitam dici posse et esse directam infantis occisionem; 2) nos homines generatim latere, quaenam vita (« matris » aut « infantis ») revera maiorem valorem habeat; quod exemplo illustratur; (*Fam.*, n. 13-14).

**8.** Ex multis Documentis ecclesiasticis quae sunt de directa innocentis occisione, Allocutio non facit mentionem nisi unius, scl. Decreti d. d. 2 Dec. 1940, quo prohibetur directa insontium occisio ex praecepto auctoritatis publicae peragendae. Decretum hoc agit indiscriminatim de *omnibus* insontibus, non explicite et immediate de matre et prole; sed quia est de omnibus, ideo etiam his applicatur. Insuper duae sunt rationes speciales, cur in contextu Allocutionis praecise hoc Decretum allegetur: 1) quia agit de insontibus *ex mandato auctoritatis publicae* directe occidendis; 2) quia agit de insontibus, quorum « *vita non valeat vitam* » (« lebensunwertes Leben »). Nam si ne hos quidem insontes directe occidere licet, multo minus hoc licitum esse potest quoad matrem eiusque prolem, idque ex auctoritate *privata* sive matris, sive medici. (Cf. *Fam.*, n. 12).

Decretum sic sonat: « Quaesitum est: Num licitum sit, ex mandato auctoritatis publicae, directe occidere eos qui, quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent, eamque potius gravare eiusque vigori ac robori obstare censentur. Feria IV, die 27 nov. 1940, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales ... respondendum mandarunt: NEGATIVE, cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium » (AAS, 32 (1940) p. 553-554).

Alia Documenta S. Sedis, quae de directa occisione sive matris sive fetus sive infantis agunt et communiter afferri solent, sunt haec:

1) 28. Nov. 1872, S. Poenit.: de liceitate craniotomiae. Orator consulat probatos auctores et prudenter agat.

2) 28. Maii 1884, S. Officium: liceitas craniotomiae tuto doceri non potest; ASS, 17 (1884) 556.

3) 19. Aug. 1889, S. Officium: de liceitate aliarum operationum chirurgicarum, quae sint directe occisivae sive matris sive fetus inspiciatur Resp. d. d. 28 Maii 1884: tuto doceri non potest; ASS, 22 (1889-90) 748.

4) 24. Julii 1895, S. Officium: operationes procurationis directae abortus, matre et foetu secus pereuntibus, tuto instaurari non possunt. ASS, 28 (1895-1896) 383.

5) 4 Maii 1898, S. Officium: a) partus acceleratio ex iustis causis et salva vita licita est; b) matre secus pereunte, partus ac-

celeratio est licita; provocatio abortus non ita; c) dummodo vitae utriusque provideatur, laparatomia ad fetus ectopicos extrahendos licita est. - ASS, 30 (1897-1898) 703.

6) 5. Martii 1902, S. Officium: extractio fetus ectopici immaturi licita non est. - ASS, 35 (1902-03) 162.

7) 31 Dec. 1930, Pius XI, Litt. Enc. « Casti connubii »: directa procuratio abortus nulla umquam ex « indicatione », nulla ex lege humana licita est; neque liceitas evincitur ex allegato iure « cruentae defensionis » aut « extremae necessitatis. AAS, 22 (1930) 562-563, n. 63-67.

**9.** Adducere iuvat etiam principalia argumenta, quae ex rationibus intrinsecis petuntur et pro liceitate directae occisionis in casu conflictus aliter insolubilis in decursu temporis allata sunt et (paululum modificata forma loquendi) usque in hunc diem afferuntur:

a) Infans est injustus aggressor, contra quem valet jus cruentae defensonis.

b) Ex duobus malis minus malum est eligendum; minus autem malum est unum (infantem), quam duos homines (matrem et infantem) perire.

c) Infans in casu insolubilis conflictus censetur in favorem matris renuntiare juri in vitam.

d) Agitur de mera acceleratione mortis certo secuturae; at in tali casu parvum temporis intervallum pro nihilo computari potest.

e) Matri competit sic dictum « *jus necessitatis* », quod in eo est, quod quis in extremis positus, jura aequalia aliena invadere possit, ut jura propria meliora defendat. Vita autem matris est, omnibus concedentibus, regulariter bonum praevalens, et gratis asseritur infanti competere aequale jus in vitam atque matri.

f) Deus, qui supremum tenet vitae et mortis dominatum et jus, facultatem directae occisionis innocentis dare potest (cf. I Regum XV, 3) et in casu conflictus aliter insolubilis de facto dare censendus est.

Quid ad singula haec argumenta respondendum sit, aliunde notum supponere licet, cum hae rationes passim apud probatos auctores longe lateque discussae inveniantur. De his argumentis breviter agunt Litt. Encycl. « Casti connubii » in n. 64, AAS. 22 (1930) p. 563. - Cf. etiam

articulum supra allegatum de « theoria praevalentiae valorum » (« Güterabwegungstheorie »); insuper etiam in eodem volumine articulum « Zum Eingriffsrecht in das keimende Leben » (Stimmen der Zeit, 116 [1928] p. 33-47, in specie p. 44-47).

**10.** Neque *auctoritas publica* sive ex allatis sive ex aliis rationibus directam foetus occisionem vel expulsionem permittere, et multo minus praecipere valet. Auctoritatis publicae obligationem positive tuendi vitam in utero inclusam gravissimis verbis urget Pius XI in Litt. Encycl. « Casti connubii », d. d. 31. Decembris 1930 (AAS. 22 (1933) pag. 564 n. 67). De affini quaestione, an et quandonam auctoritas publica abstinere possit a directa abortus procuratione *punienda,* hic non est agendum; cf. de hac quaestione duos supra allegatos articulos in « Stimmen der Zeit » vol. 116 pag. 33 sqq. et 128 sqq. In Summi Pontificis Allocutione ad obstetrices nulla huius quaestionis, quae legislatores et deputatos tangit, fit mentio. De cetero evidens est: aliam esse quaestionem, an auctoritas publica in omni casu directam abortus procurationem possit vel debeat *punire,* et aliam esse quaestionem, num legislator sua lege umquam in ullo casu talem directam occisionem valeat facere vel saltem declarare *moraliter licitam.* Ad quam quaestionem non potest responderi nisi negative, quamvis non pauci sint qui impunibilitatem procurati abortus (vel infantis in partu directae occisionis) a lege Status pro certis casibus concessam, erronee habeant signum et titulum liceitatis in conscientia et impunibilitatis etiam coram Deo.

Quod si dicunt: hac in re medicum sibi suam debere efformare et sequi conscientiam: conscientia quidem, omnibus concedentibus, est proxima agendi norma, at uniuscuiusque conscientia subiectiva normam et mensuram assumere debet *legem,* idest ordinem morum obiectivum, de

quo singuli edocentur tum lumine rationis tum lumine fidei sub directione Ecclesiae.

**11.** Minime autem ex eo, quod Allocutione severe inculcetur prohibitio directae occisionis sive infantis sive matris, deduci potest: medicos et obstetrices in his periculis vitae, matri vel proli imminentibus, laxas manus et se resignationi dare posse. E contra: obstetrices et medici non solum possunt, sed debent omnem serium conatum adhibere, ut pericula removeant vincantque; et si nequeunt omne, quod intendunt et attentant, obtinere, obtinere contendere debent quod eis est possibile. Accidere etiam potest, ut certis suis actionibus et mediis — quae nihil omnino habent occisionis directae — vitam matris servare queant, iis autem non positis, de vita matris actum est; sed ut eaedem actiones in concretis casus circumstantiis mortem infantis habeant adnexam. In tali casu locus est ordinariis principiis de actione duplicis effectus, in linea causalitatis aeque immediati.

Praeterea scientiae et arti medicae nobile incumbit officium et munus inquirendi in novas methodos et vias, quibus matris et infantis vitae in iis quoque circumstantiis providere valeat in quibus secundum hodiernum scientiae statum utriusque vitae cum sufficienti effectu succurri non potest. Pius XI in Litt. Encycl. « Casti connubii » de medici munere haec habet: « In utraque igitur et matris et prolis vita tuenda ac servanda probi expertique medici cum laude enituntur; — contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti ad mortem insidiarentur » (AAS. 1930 pp. 563 n. 64). Insuper vide: *Fam.*, n. 11.

**12.** De hac directae occisionis quaestione plura dicenda videbantur, tum quia haec quaestio principaliter, immo fere unice in horum dierum foliis diurnis proposita et discussa est (modo tamen, quo non clara et certa veritatis

in lectoribus cognitio creata sit, sed potius confusio et erroneum conscientiae dictamen); tum quia praxis directae procurationis abortus in dies crescit, non solum abortus qui lege quoque civili est *prohibitus,* sed alius quoque, quam haec lex sive solummodo *impunitam* relinquit sive explicite dicit « *civiliter licitam* », sive denique *praescribit* ita ut medicus, qui eam non peregerit, in judicium vocari et propter artis medicae regulas non servatas puniri queat vel etiam debeat. Contra hujusmodi « legitimatam vitae insontis directam occisionem » Allocutio urget: supra omnem legem humanam omnemque « indicationem » stare indefectibilem legem divinam: « NON OCCIDES ».

**13.** Exposita hac specifici obstetricum apostolatus circa vitae valorem defendendum functione negativa, Allocutio transit ad positivam eius functionem exponendam (n. 13-18). Influere studeant obstetrices catholicae in mentem et in cor parentum, patris sed multo magis matris, ut vitae novae, iis concreditae, valorem cognoscant, agnoscant, curent foveantque, memores, quid sana ratio, quid Deus in Sacris Litteris de filiis a Deo datis (aut etiam denegatis) parentibus edicat: filii sunt Dei donum et praemium justi, eorum denegatio est Dei vindicta et poena. — Juvat idem argumentum videre expositum in Litt. Encycl. « Casti connubii » nn. 12-18 (AAS. 1930, pg. 543-546).

**14.** Obstetricum catholicarum secundum monita Allocutionis est curam habere non solum vitae naturalis, sed etiam et multo magis supernaturalis, quae proli ante usum rationis conferri nequit nisi per baptismi administrationem. Hinc oritur obligatio succurrendi per baptismum extremae huic necessitati spirituali prolis; et cum accidere possit, ut nullus alius praesto sit, qui baptismum conferre sciat et velit, in obstetricem cadit haec succurrendi obligatio. Obstetrix igitur tum de modo tum de

obligatione baptizandi bene debet esse instructa, ut possit debito modo succurrere succurratque revera. — Ulterior expositio (casuistica) de hac baptizandi obligatione habetur in tractatibus Theologiae moralis; Allocutio ad haec particularia non descendit.

Si aliquando in casu particulari ex baptismo proli perituraе collato magnum et commune religionis christianae malum certo oriturum timeri debet, ita ut ob unius baptismum collatum multo plurium aliorum, qui in eadem extrema necessitate versantur, baptisma, impeditum iri certo praevidetur: adhiberi potest principium: in eodem ordine (bonorum) bonum plurium praeferri potest et regulariter debet bono unius. Tale notabile religionis damnum in eo esse potest ut ex .gr. universalis christianorum persecutio oriatur; vel ut omnes catholicae obstetrices a cura matrum praegnantium et parturientium exclusum iri constet. In hujusmodi casu particulari obstetrix catholica iuxta allegatum principium a baptismate conferendo abstinere potest. At talis casus particularis non est fingendus, ut quis se ab onere baptismatis conferendi liberet.

## II

**15.** Tertia functio apostolatus obstetricum assignatur defensio et promotio spiritus atque servitii maternitatis (n. 20-42).

Ut nova vita oriatur, Deus coniuges non solum admittit, sed vocat in adiutorium, ut vir et femina ex suis conferant, quae ex parte actionis hominum (« opus hominis ») sunt necessaria, dante creatore et natura ea, quae ad hoc hominis opus complendum requiruntur. Hominibus ordine morum imponitur, ne suum opus corrumpant neve opus naturae impediant vel destruant. Apostolatus functio in eo est, ut obstetrices primo in coniugibus excitent foveantque animum praestandi servitium vitae quod a Creatore ipsis concreditur, deinde ut ipsae

respondeant ad eorum obiectiones eosque arceant ab actu coniugali corrumpendo (« abusus matrimonii »), neve umquam ipsae ad coniugalem coniugum onanismum suo consilio suaque actione cooperentur, plene consciae, quae sit hac in re Dei lex, et firmiter ei stantes sua voluntate (n. 20-23).

**16.** Quae vero sit haec lex divina, exponitur in Allocutione remittendo ad Litteras Encyclicas « Casti connubii » Pii XI et urgendo: eiusdem solemnia verba esse adhuc in pleno vigore in eoque permansura, quia exhibeant praeceptum non legis humanae, sed legis naturalis et divinae positivae.

Memorata Pii XI verba sunt haec:

« Nulla profecto ratio, ne gravissima quidem, efficere potest, ut quod intrinsece est contra naturam, id cum natura congruens et honestum fiat. Cum autem actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus, qui in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur » (*AAS.* 1930, pg. 559, n. 55).

« Cum igitur quidam *, a christiana doctrina iam inde ab initio

* His verbis significatur conferentia episcoporum Anglicanorum mense Augusto 1930 in Lambeth-palatio habita; hi die 14 augusti eiusdem anni ediderunt Litteras encyclicas, additis *Resolutionibus*, in quibus Onanismus coniugalis intra certos limites ob graves causas licitus declaratur. Iuvat notare ipsum textum anglicum: « Where there is a clearly felt moral obligation to limit or avoid parenthood the method must be decided on Christian principles. The primary and obvious method is complete abstinence from intercourse (as far as may be necessary) in a life of discipline and self-control lived in the power of the Holy Spirit. Nevertheless in those cases where there is such a clearly felt moral obligation to limit or avoid parenthood, and where there is a morally sound reason for avoiding complete abstinence, the Conference agreed that other methods may be used, provided that this is done in the light of the same Christian principles. The Conference records its strong condemnation of the use of any methods of conception-control from motives of selfishnes, luxury or mere convenience » (Carried by 193 votes to 67).

tradita, neque umquam intermissa manifesto recedentes, alia nuper de hoc agendi modo doctrinam solemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica, cui Ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint, gravis noxae labe commaculari ». (l. c. pg. 560, n. 57).

**17.** Officio admittendae maternitatis magis quam Onanismus coniugalis, contraria est directe procurata ineptitudo totius organismi ad conceptionem, mediante sterilizatione (nn. 26-27). Per Onanismum enim solus particularis actus vi procreandae novam vitam privatur, sterilizatione autem totus apparatus generativus ad dictum finem generationis ineptus redditur. De variis modis sterilizationem peragendi Allocutio silet; hae vero hodie aliunde (praesertim obstetricibus) notae supponi possunt. Sterilizatio peragi potest tum in viro tum in muliere; quod effectum spectat, potest esse vel temporaria vel perpetua, reparabilis aut irreparabilis. Occurrit hoc loco iterum distinctio in actionem *directam* et *indirectam;* qui termini supra n. **5** expositi iam sunt. At hoc loco prae oculis haberi debet: sterilizationem non dici « *directam* » ratione impeditae functionis germinativae aut impeditae functionis transmissivae, sed ratione intentae *impeditionis novae vitae,* oriturae ex functione sive germinativa sive transmissiva. Impeditio functionis germinativae — (praesertim in muliere, idest ovulationis) — hinc inde a medico intenditur et peragitur, non ut proles arceatur, sed ut alii effectus nocivi impediantur (ex. gr. excessivus fluxus sanguinis durante menstruatione). Talis impeditio ovulationis non esset « *sterilizatio directa* ».

**18.** Directa sterilizatio cognoscitur illicita tum ex natura rei tum ex explicita declaratione S. Sedis.

Allocutio hoc loco denuo remittit ad Litt. Encycl. Pii XI « Casti Connubii », in quibus norma ethica statuitur quoad directam sterilizationem, factam sive auctoritate publica sive auctoritate privata, simulque afferuntur summatim argumenta ex natura rei petenda.

Textus dictarum Litterarum Encycl. sic sonat: « Publici magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa, nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec eugenicis nec ullis aliis de causis possunt umquam ... ».

« Ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habent quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possunt ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales fines se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id Christiana doctrina statuit, atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat ». (Casti Connubii, *AAS.* 1930, pg. 565, n. 70-71).

Allocutio insuper tandem allegat Decretum S. Sedis decem annis post Litt. Encycl. « Casti Connubii » editum, tempore quo directa sterilizatio multis in regionibus grassare coepta est; etiam huius Decreti expedit hic ponere textum:

« Proposito Supremae Sacrae Congregationi S. Officii Dubio: « *An licita sit directa sterilizatio sive perpetua sive temporanea, sive viri, sive mulieris* », E.mi ac Rev.mi Patres DD. Cardinales ..., Fer. IV, die 21 februarii 1940, respondendum decreverunt: « negative » et quidem prohiberi lege naturae, eamque, quod sterilizationem eugenicam attinet, Decreto hujus S. Congregationis, die 21 Martii 1931 reprobatam iam esse » (*AAS.* 32 [1940] pg. 73).

**19.** Reprobatis hoc modo methodis intrinsece illicitis (scl. Onanismo coniugali et directa sterilizatione), Allocutio quaedam proponit de usu « temporum agennesecos » seu de diebus sterilitatis naturalis, qua via idem effectus evitatae prolis secundum nonnullos medicos et biologos obtineri potest (n. 29-36; cf. *Fam.*, n. 17).

In omni de theoria « Ogino-Knaus » discussione, distingui debet quaestio theologica-moralis a quaestione bio-

logica-medica; a quaestione biologica tractanda Allocutio omnino abstinet; eam nec dicit veram nec falsam, nec certam nec dubiam, nec probabilem nec improbabilem Bene notentur verba in secunda Allocutione persapienter posita: « In tale materia la Chiesa lascia naturalmente il giudizio alla scienza medica »; (*Fam.*, n. 17).

Insuper monet: non esse Theologorum, tractare quaestiones biologicas. Dicit tamen Summus Pontifex: obstetricis catholicae esse, has theorias bene cognoscere, hauriendo tamen earum notitiam non ex libris qui valore scientifico careant, sed ex tractatibus solidis et ex institutione a peritis obtinenda, tum quod attinet ad ea quae ex diuturno tempore iam fuerint nota, tum ad ea quae recenter addita sunt.

Forte his Allocutionis verbis alluditur ad observationes recenter a quibusdam medicis Americanis, M. Barten et P. Wiesner factas, qui constans temperaturae augmentum (5-6 decimas partes unius gradus) detexerunt brevi post ovulationem sub influxu corporis lutei oriturum et usque ad 36 fere horas ante novam menstruationem permansurum. Quo temperaturae augmento certe observato, constat: ovulationem accidisse; neque ab hoc momento ullae calculationes de facta vel nondum facta ovulatione sunt necessariae. De methodo mensurani temperaturae peragendi, adhibito thermometro specialiter adaptato (ZYKLOTEST) agunt relationes medicorum.

**20.** Apostolatus obstetricum non respicit quaestionem biologicam, sed ethicam; haec autem est de competentia Ecclesiae. Ratio autem, cur de hac quaestione ethica in Allocutione fuse agatur, facile intelligit qui hodiernam rerum conditionem cognoscit. De facto enim hodie non sunt pauci, qui ut ipsi evitent prolem, tempora sterilitatis eligant et scire desiderent, utrum id tuta conscientia facere possint; praeterea sunt confessarii et conscientiae directores, qui sibi judicium efformare debent, quid fidelibus de hac re interrogantibus respondere possint vel debeant. His omnibus Allocutio responsum dare intendit,

responsum independens a valore et certitudine biologica, cum non respiciat nisi dictae praxis principia ethica.

**21.** Breve responsum de eadem materia antea bis fuit datum a S. Poenitentiaria, et quidem annis 1880 et 1932.

*a*) Sacra Poenitentiaria die 16 junii 1880 ad propositum Dubium: « *An licitus sit usus matrimonii illis tantum diebus, quibus difficilior est conceptio?* », respondit: « Coniuges praedicto modo utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam de qua agitur illis coniugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverint ».

*b*) Sacra Poenitentiaria, die 20 julii 1932, ad novum Dubium — (magis adaptatum ad theoriam Ogino-Knaus, tunc temporis divulgari coeptam) —: « *An licita in se sit praxis coniugum qui, cum ob justas et graves causas prolem honesto modo evitare malint, ex mutuo consensu et motivo honesto a matrimonio utendo abstinent praeterquam diebus quibus secundum quorundam recentiorum theoremata ob rationes naturales conceptio haberi non potest?* », respondit: « Provisum est per responsionem S. Poenitentiariae d. d. 16 iunii 1880 datam ».

**22.** Allocutio, ut respondeat ad eandem quaestionem de liceitate observationis temporum, varios distinguit casus:

*a*) Coniuges in sui iuris usu non distinguunt varios dies; eo utuntur *etiam* diebus sterilitatis (n. 31). Qui ita agunt, dicuntur non inquietandi. De his enim valet quae Pius XI dicit in Litt. Encycl. « Casti connubii »:

« Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive *temporis* sive quorundam defectuum causas, nova inde vita oriri non possit. Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium, mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio ». (*AAS.* 22 [1930] pg. 561 n. 60).

*b*) Secunda suppositio est haec: coniuges iure suo de industria utuntur *solum* diebus sterilitatis (n. 32). Al-

locutio respondet distinguendo. Si una pars diebus fertilitatis alteri parti denegat debitum, id iuste, serio et rationabiliter petenti, prout notum est, peccat, quia agit contra *ius* comparti in contractu matrimoniali datum. Si autem partes (aut alterutra pars) in ipso actu contrahendi eousque procedunt, ut restringant *ipsum ius matrimoniale* ad tempora sterilitatis, illudque denegent quoad dies fertilitatis: invalide contrahunt. Substantialiter enim corrumpunt principale et proprium obiectum contractus, quod est ius in corpus permanens, non intermissum vel interruptum.

Si autem in contrahendo matrimonio coniuges non ipsum ius, sed tantummodo eius *usum* ad dies sterilitatis coarctant, valor matrimonii non tangitur. Neque tamen coniugum hic agendi modus dici potest *semper licitus*. Eius liceitas pendet a fundamento et a motivorum pondere, quo eorum praxis innititur. Si motiva sunt proportionate gravia, coniuges non peccant; si desunt talia motiva, coniuges non vacant culpa (n. 33).

**23.** In Allocutione dein ponitur — (et nunc prima vice in aliquo Documento Pontificio) — argumentatio atque consideratio *de principio quodam fundamentali*, ex quo haec norma deducatur (n. 34-36).

Per contractum matrimonialem coniuges ponuntur in novo et specifico « *statu vitae* », qui a Creatore et natura stabilitus et circumscriptus est. Et eo ipso, quod eum intrant, iuribus status ornantur et devinciuntur eius functionibus atque obligationibus, quae intime cum his iuribus iunguntur.

Allocutio primo agit de iure et obligatione ipsius *status*, deinde de inde resultante condicione ethica-iuridica *personarum* (« coniugum »), quae sunt in hoc statu.

Deus statuit, ut genus humanum hac in terra conservaretur et propagaretur per ipsorum hominum activitatem generativam, ad quam nullus habet ius, nisi illud

matrimonio acquisierit, idest nisi eo quod intret in statum matrimonialem. Periculum sane non est, ne coniuges, ingressi in hunc statum suum, passim et perpetuo ab usu iuris statui proprii, abstineant. Hinc ut principalis finis status in tuto collocetur, sufficit impedire, ne homines, utentes suo iure, talis usus effectum naturalem hoc vel illo modo *habitualiter et semper* arceant. Nam, si solummodo plures vel pauciores particulares actus ob observationem temporum agenneseos hoc effectu carent, finis primarius status non in discrimen vocatur. Nec valet obiectio: si effectus naturalis per observationem temporum in casibus particularibus impeditio activitatem coniugum non reddit illicitam, neque *onanismum coniugalem* ob prolem impeditam prohiberi posse. Est essentialis differentia inter actum onanisticum et observationem temporum, quamvis effectus « prolis impeditae » in utroque casu sit idem. Illiceitas actus onanistici non petitur ex impedito *effectu,* sed ex corrupto *actu.* In Onanismo enim ipse actus coeundi in se vitiatur, in observatione autem temporum his actus manet naturaliter integer. Unde est, quod quilibet actus onanisticus sit intrinsece inhonestus ideoque semper illicitus, (sicuti quilibet actus loquelae per mendacium corruptus); non autem quilibet actus sterilis ex electo die, (sicuti non quilibet usus loquelae, ex electo medio licitae restrictionis inefficax ad mentis manifestationem, cui tamen loquela naturaliter destinatur).

**24.** Ex dictis elucet: obligationem « *status coniugalis* », de qua agitur, ob rationem assignatam afficere: *a*) non omnes coniuges, sed solummodo eos, qui suo iure plene utuntur; *b*) non omnes et singulos horum coniugum actus completos, sed habitualem iuris matrimonialis completum usum; *c*) hanc obligationem esse obligationem alicuius legis *positivae,* quia est de *ponendo,* non de omittendo actu, et de circumstantia temporis.

Cum hac *status* obligatione eiusque proprietatibus

concordat obligatio *personarum*, (idest « coniugum ») qui sunt in hac statu.

His positis, Allocutio ad dictam obligationem positivam applicat commune de lege positiva principium, scil. quod lex positiva non obliget cum incommodo proportionate gravi, legi extrinseco. Cum vero obiectum huius legis positivae sit aliquod bonum notabile (idest: debita generis humani conservatio et propagatio), non quodlibet incommodum, legi et statui matrimoniali extrinsecum, sufficere potest ad exemptionem stabiliendam, sed requiritur incommodum *grave*, scil. tale quod vir sani iudicii et timoratae conscientiae dicit notabile. Ipsa Allocutio innuit ex quo fonte hae rationes graves exsurgere possint, scil. ex « indicatione » medica, eugenica, oeconomica et sociali (n. 36). Haec exemptio a dicta lege perdurat tamdiu, quamdiu perdurat ratio, ex qua deducitur: per plures annos, vel etiam per totum alicuius matrimonii tempus. Si vero desunt huiusmodi motiva proportionate gravia, tunc continuata temporum agenneseos observatio culpa non vacat quae aliquando evadere *potest* gravis. Nam qui ita agit, libere et deliberate specificae sui status obligationi se subtrahit, licet simul conditionem continuo libere ponat, qua posita, haec obligatio urget. Sic convincitur evitare prolem aut ex vilipensione vitae dandae, aut ex aliis motivis, quae cum ordine recto non concordant (n. 36).

**25.** Ultimo loco (n. 37-42) inter difficultates, quae apostolatui maternitatis promovendae obstant, in Allocutione memoratur necessitas, vera et absoluta, evitandi omnem graviditatem; quae necessitas non tam frequenter accidit, quam a nonnullis hodie asseritur, sed accidit. Allocutio quoad hanc rerum conditionem, statuit duo:

*a*) Si de hac absoluta necessitate revera per peritorum iudicium constat, obstetrices in responsis et consiliis dandis huic necessitati stare, minime vero eam negare

vel attenuare debent; modus contrarius agendi offenderet contra prudentiam, immo non raro etiam contra iustitiam.

*b*) Si nulla praesto sunt media licita, quibus in tali casu graviditas, absolute arcenda, arceri queat, proponi non possunt media immoralia, neque ad eorum usum ulla praestari potest ab obstetricibus cooperatio; sed nihil restat nisi proponenda et urgenda plena ab omni iuris coniugalis perfecto inter coniuges usu abstinentia. Huic solutioni hodie passim obiicitur: talem abstinentiam inter coniuges diu noctuque cohabitantes esse simpliciter impossibilem. Allocutio hanc « impossibilitatis » instantiam simpliciter reiicit; simul tamen assignatis duabus conditionibus, quibus non servatis, abstinentia revera iustoque iure dicatur impossibilis: (1) sincera firmaque voluntate abstinentiae servandae, cum, qui continens esse non vult, continens esse non possit; (2) constans usus mediorum, quibus auxilium Dei imploretur et obtineatur, sine cuius auxilio homo non valeat fortem naturae impulsum et fragilitatis humanae insufficientiam vincere (n. 39-42; *Fam.*, n. 18).

**26.** Ponderosis his Allocutionis verbis de praetensa abstinentiae impossibilitate clarum et sufficiens datum est etiam responsum ad sententiam, in quodam libello recenter propositam, de practica impossibilitate evitandi Onanismum coniugalem, attentis coniugum ordinariis conditionibus difficillimis, tum personalibus tum realibus. Censet hic auctor: copulam onanisticam, abstracte et in se sumptam, constituere quidem culpam gravem, (prout dicitur in Litt. Encycl. « Casti connubii »), sed in circumstantiis concretis generatim aut omni aut saltem gravi culpa vacare, cum coniuges, in occasione « proximissima » et necessaria positi, concupiscentiae irresistibili vi vincantur, ablata per eam ea libertate quae ad gravem culpam necessario requiratur. At dicit Tridentinum et urget Allocutio: « Monet Deus petere quod non possis, et adiuvat ut possis » (n. 40).

## IV.

**27.** Ultima functio specifici obstetricum apostolatus, quam Allocutio memorat, in eo est, ut obstetrices catholicae profiteantur et defendant: *a*) rectum finium matrimonii ordinem, et *b*) semper servandam inter coniuges eam activitatis sexualis reservationem et temperiem, quam exigit hominis rationalis, multoque magis hominis christiani, *dignitas* (n. 42-69).

**28.** In iis quae spectant « ordinem valorum » in matrimonio (n. 42-57) fuse discutitur relatio quae intercedit inter finem matrimonii primarium (generationis et educationis prolis) et fines secundarios (remedium concupiscentiae, mutuum adiutorium, mutuus amor seu affectiva mutua traditio et unio), qui his diebus veniunt nomine « *valorum personalium* » in oppositione ad « valorem generativum ». Hodie nonnulli (pauci etiam catholici) primatum inter valores matrimoniales vindicare volunt valoribus personalibus. Notae sunt opiniones a Doms et Krempel propositae, qui ambo — (etsi non modo prorsus identico) — finem primarium matrimonii statuerunt coniugum unionem personalem affectivam et effectivam, negato fine procreationis tamquam fine primario stricte et presse intellecto, minime autem negata prolis generatione tanquam *fine secundario* (et fortassis etiam tamquam primario « *fructu* » et « *effectu* »). Constat: uniuscuiusque auctoris librum, in quo has suas theorias defenderunt, ex Decreto S. Officii debuisse e commercio retrahi.

**29.** Allocutio minime negat horum valorum personalium pondus et momentum, immo positive approbat et effert (n. 45, 48); at, quod *ordinem* valorum matrimonialium spectat, docet: hunc coincidere cum ordine *finium*, qui in matrimonio insunt ex voluntate Creatoris et *ex*

*natura operis,* et inter hos primum locum tenere prolis generationem et educationem.

Fines vero, quos in matrimonio ineundo vel in eo utendo coniuges ex subiectiva eorum voluntate intendunt, possunt coincidere cum finibus operis (primario et secundariis), item coincidere potest *ordo* finium intentorum cum *ordine* finium in se sumptorum. At non raro ab agente coniuge tamquam « *finis agentis* » primo loco ponitur finis, qui in obiectivo finium ordine primum locum non tenet. Haec *subiectiva et affectiva* motivorum praevalentia (apparenter « inversa »), quamdiu non transit ad *effectivam* ordinis recti inversionem, corrumpendo actum generativum vel eundem effective separando a fine generationis, non necessario et semper includit culpam moralem.

Ad rem aliquomodo faciunt verba Pii XI in Litt. Encycl. « Casti connubii »:

« Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus, etiam *primaria matrimonii causa et ratio* dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio consuetudo, societas accipiatur » (*AAS.* 22 [1930] pg. 548-549, n. 24). — Cf. insuper in iisdem Litt. Encyclicis dicta pg. 561 n. 60.

**30.** Ordo finium, quem Allocutio docet atque per obstetrices catholicas propagari et defendi vult, idem est atque ordo quem sententia omnino communis tenuit et tenet, quique in CIC explicitis his verbis enuntiatur: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae » (can. 1013, § 1). — Notat Summus Pontifex: se ipsum die 10 martii 1944, ut erroribus et deviationibus discutientium finem imponeret, declarationem formalem dedisse de finibus matrimonii eorumque ordine, qua declaratione se stabilivisse id quod ex interna struc-

tura facultatis et apparatus generativi constet, quod ex tradita doctrina christiana habeatur, quod repetitis vicibus Summi Pontifices docuerint (cfr. e. gr. Pius XI in Litt. Encycl. modo allegatis pg. 546 n. 17). Tenor huius declarationis neque in Allocutione exhibetur, neque alio loco videtur esse publicatus, at verbis adhibitis sufficienter indicatur: declarationem quoad rem fuisse identicam, cum paulo post publicato atque in Allocutione allegato Decreto S. Sedis, d. d. 1 aprilis 1944:

« De matrimonii finibus eorumque relatione et ordine his postremis annis nonnulla typis edita prodierunt, quae vel asserunt finem primarium matrimonii non esse prolis generationem, vel fines secundarios non esse fini primario subordinatos, sed ab eodem independentes.

Hisce elucubrationibus primarius coniugii finis alius ab aliis designatur ut e. gr.: coniugum per omnimodam vitae actionisve communionem complementum ac personalis perfectio; coniugum mutuus amor atque unio fovenda et perficienda per psychicam et somaticam propriae personae traditionem; et huiusmodi alia plura.

In iisdem scriptis interdum, verbis in documentis Ecclesiae occurrentibus (uti sunt v. gr. *finis, primarius, secundarius*) sensus tribuitur qui cum his vocibus secundum communem theologorum usum non congruit.

Novatus hic cogitandi et loquendi modus natus est ad errores et incertitudines fovendas; quibus avertendis prospicientes E.mi et Rev.mi Patres ... in consessu plenario Feriae IV, die 29 martii 1944 habito, proposito sibi Dubio: « *An admitti possit quorumdam recentiorum sententia, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis educationem et generationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes* »; respondendum decreverunt: « NEGATIVE ». (*AAS*, 36 [1944] pg. 103).

**31.** Ex his omnibus elucet: (concesso et ratihabito toto momento et pondere quod « valoribus personalibus » matrimonii actusque matrimonialis ex Dei voluntate et ex institutione naturae inest), hos valores: *a*) non exhibere finem matrimonii primarium; *b*) non esse fini primario generationis sive super- sive coordinatos, sed subor-

dinatos; *c*) hanc subordinationem his valoribus personalibus, in quantum sunt fines matrimonii, esse *essentialem*, ideoque valere in omni matrimonio, etiam senum aliorumque ex alia ratione sterilium.

Cum de finium ordine et de finium secundariorum subordinatione in « Periodica » saepius iam actum sit, nunc sufficiat remittere ad tunc temporis dicta [XXXIII (1944) pg. 218 sqq.; pg. 17 sqq.; XXXVIII, pg. 213 sqq.]. — Iuvat tamen hic notare: non apparere, quomodo quae recenter de finibus matrimonii in « *Il Diritto ecclesiastico* » (vol. LXII 1951 pg. 697-729) publicata sunt, componi queant tum cum pristinis documentis ecclesiasticis, tum cum doctrina, nunc in Allocutione ad obstetrices exposita. Summus Pontifex enim explicite et fuse urget omne id, quod altum et sublime coniugibus, ut novae vitae auctoribus, insit, devinctum esse servitio novae vitae procreandae et educandae (n. 50). Auctor autem articuli modo allegati censet: essentialem subordinationem finium secundariorum (qui coincidunt cum « valoribus personalibus ») non posse de omnibus matrimoniis asseri, cum non verificetur in coniugiis senum, qui novae vitae procreandae sint incapaces. At auctor negligit vel oblivioni dat: haberi posse naturalem *aptitudinem* naturalemque *destinationem* alicuius rei vel effectus, licet haec res vel hic effectus, aptus atque fini destinatus, huic fini ob quaedam impedimenta *actu applicari* non possit. Qua in re neganda auctor errat; naturalis enim aptitudo et destinatio nihil est, nisi ipsa haec res apta et destinata, secundum suam intrinsecam structuram considerata. Haec autem structura eadem est in coniugibus sterilibus quam in potentibus et fertilibus. — Quod tandem attinet ad opinionem laudati auctoris: textum CIC et documentorum ecclesiasticorum respicere solummodo « *ius conditum* » (idque positivum, solummodo ecclesiasticum, non autem ius naturae et intrinsecam rerum naturam), ideoque normam mutabilem; e contra, opinionem a Profes-

soribus Doms et Krempel propositam spectare ius « *condendum* »; hinc horum recentes theorias tamquam normam iuris futuri admitti posse: haec opinio cum obiectiva rei veritate non videtur posse componi.

**32.** Neque contra essentialem subordinationem « valorum personalium » valet instantia his diebus in quodam folio diurno, quod crisi subiicit argumentationem Allocutionis, prolata, scil.: S. Paulum, agentem de usu matrimonii reassumendo (« iterum revertimi in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam « vestram », 1 Cor. VII, 5) non adducere motivum procreationis prolis, sed remedii concupiscentiae, ergo valoris personalis; eundem agentem de principali coniugum virtute et obligatione, typice christiana, nullum dicere verbum de prole generanda, sed de amore fovendo, de intima cordis et carnis unione efficienda: « Viri debent *diligere* uxores suas, ut *corpora sua.* Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed *nutrit* et *fovet* eam ... Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et *adhaerebit uxori suae,* et *erunt duo in carne una* » (Eph. V, 28, 29, 31, 33).

At allegati hi ex epistolis S. Pauli textus non sunt unici, in quibus Apostolus agit de coniugibus et de matrimonio. Supra iam adductus est textus ex Epistola 1 Tim. II, 15: « Mulier salvabitur *per filiorum generationem* »; iuvat insuper audire S. Augustinum, disserentem de alio eiusdem epistolae textu, quem allegatum habemus etiam in Pii XI[i] Litt. Encycl. « Casti connubii »: « Generationis itaque causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: « *Volo,* inquit, *iuniores nubere.* Et quasi ei diceretur: « *Ut quid?* », continuo subiecit: « *Filios procreare, matresfamilias esse* » (S. Aug., *De bono coniug.,* cap. 24, n. 32; I Tim., V, 14; *Casti Connubii,* A.A.S., 1930 p. 544 n. 12).

Ut ergo constet de mente S. Pauli, tota eius de ma-

trimonio doctrina considerari debet. Insuper textus ex 1 Cor. VII et Eph. V allegati agunt de dispositione coniugum *subiectiva,* seu de « valoribus personalibus » (de quibus his in textibus est sermo), non autem de enuntiando *primario fine operis,* propter quem matrimonium a Deo est institutum. Qui finis clare elucet ex narrata in libro Genesis hominis-creatione: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ... masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram » (Gen. I, 27-28). Et ad hunc finem principalem matrimonii obtinendum viro et feminae tantam indidit ad invicem inclinationem et attractionem, ut in eodem libro Genesis paulo post, enarrata Evae formatione, enuntietur: « Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » (Gen. II, 24). — Totam hanc argumentationem ipsa Allocutio (et iustissimo iure) profert atque urget (n. 49).

**33.** De relatione autem inter matrimonii finem primarium seu *valorem generativum* et eius fines secundarios seu *valores personales,* additur (versus finem huius capitis, (n. 51 sqq.) animadversio notatu maxime digna. Significatur: actum generativum ex interna sua indole, a Creatore facta et constituta, esse actum personalem, essentialiter cooperativum, tempore et loco simultaneum, mutuae inclinationis et personae traditionis manifestativum. Hunc actum personalem Allocutio dein opponit fecundationi vel inseminationi artificiali, quae consistat in artificiali spermatis viri in organismum mulieris translatione, et quae ratione sui nihil habet istius personalis activitatis coniugum, quam natura vult et de qua est contractus matrimonialis. Quibus positis, Summus Pontifex renovat et urget, quod ante duos annos ad Congressum internationalem medicorum catholicorum contra artificialem inter ipsos quoque coniuges fecundationem

dixerat, se eam eliminatam et exclusam velle e familia, cum familia nihil commune habeat cum « laboratorio biologico », neque quoad habitualem usum neque quoad particulare iuris matrimonialis exercitium. Immo, monet Pontifex: personas quae incapaces sint ad naturalem coeundi actum, substantialiter integrum, ponendum, impotentes esse ad ipsum matrimonium ineundum, quantumvis potentes sint, inter quos fiat, utraque parte consentiente, artificialis inseminatio vel fecundatio (n. 52-53).

**34.** Quod tandem attinet ad defendendam *dignitatem* sive personae humanae sive personae christianae, de qua apostolatus obstetricis catholicae functione Allocutio ultimo loco agit (n. 58-69), primo effertur *factum*, scilicet a Conditore naturae usui iuris matrimonialis additam esse intensam corporis et animae delectationem, ideo coniuges — (eosque solos, quia non nisi intra coniugium usus facultatis generativae est licitus) — hanc delectationem licite appetere eaque licite frui. Ordinem autem moralem exigere, ne coniuges, ita agentes, *irrefrenate* delectationi gustandae se dent, sed ut tum quoad substantiam actus, tum quoad modum delectationis fruendae intra limites ordinis recti maneant. Hanc legem virtute cardinali temperantiae statui non minus quoad usum venereorum, quam usum cibi et potus.

Urget praeterea Summus Pontifex: in appetitionem quoque et pergustationem delectationis sexualis intrare normam, modo expositam, de matrimonii finibus atque de eorum inter se ordine; et quidem ideo, quia honestas et inhonestas delectationis capiendae semper normam et mensuram sumat ab *actu* in quo ponendo obtinetur, ita ut delectatio sit licita, si hic *actus* est licitus; non autem viceversa: ut actus sit licitus, si adnexa delectatio sit legi morali conformis. Omnem autem actum venereum quoad eius qualitatem moralem subesse magnae de *finibus* matrimonii legi atque legi de *ordine* inter hos fines servando.

**35.** Duplici autem huic principio — (altero, petito ex fundamentali virtutis cardinalis temperantiae natura, altero, desumpto ex fundamentali lege de servanda semper omnis actus venerei subordinatione sub finibus facultatis generativae et matrimonii) — contraria censeri debet ideoque severis verbis in Allocutione reprobatur in dies crescens tendentia *hedonismi sexualis*, quae stabilire attentat autonomiam delectationis sexualis necnon separationem campi sexualitatis a campo fertilitatis et generationis. Negant huius hedonismi fautores: desiderium et pergustationem delectationis venereae ultimam sumere debere normam ab ultimo *fine* ipsius facultatis generativae; dicunt: sexualitatem habere propriam eamque independentem sicuti sphaeram, ita et normam.

**36.** Ex his opinionibus et desideriis originem sumpsit nova nonnullorum inter catholicos tendentia, scil. ponendi virtutis *castitatis* aliud fundamentum, quam *finalitatem intrinsecam* (tum partis psychicae tum partis somaticae), quam naturae Conditor indidit facultati generativae; quae finalitas primario est ordinatio in novam vitam procreandam.

Et tamen *castitatis* non est alia functio, quam voluntatem hominis promptam et firmam reddere contra concupiscentiae impetum, ut non appetat neque deliberate gustet delectationem veneream, nisi secundum ordinem rectum; qui ordo rectus non est alius atque *ordo finis* a natura positi. Hanc finalitatem integram servare, est ergo principium universale, quo regitur amplissimus castitatis campus, tum quoad coniugatos tum quoad solutos; tum quoad actus internos tum quoad actus externos; tum quoad actus completos, tum quoad incompletos.

Ideo recentium illorum tendentia qui « *castitatem* » solvere volunt a dicta *intrinsecae finalitatis* lege, cui et facultas et functio generativa est alligata, non solum offendit contra traditionem christianam, contra rerum

realitatem et naturam, sed tangit etiam et labefactare attentat fundamentum, quod impetere nec convenit nec licet.

**37.** Ex hac delectationis venereae subordinatione sub fine facultatis et actus generativi apparet, quanta sit aberratio eorum, qui velint coniuges inprimis tendere debere in hoc, ut in activitate sua sexuali quam maximam mutuamque habeant complacentiam et satietatem. Allocutio attentos reddit hos huius hedonismi apostolos, ut discere velint a natura et ab obiectiva actionis generativae structura biologica, quemnam finem Creator naturae, hunc actum construendo et dando hominibus, intenderit; qui finis, si esset imprimis coniugum subiectiva laetitia et sexualis exstasis, sane aliam a Creatore accepturus fuisset structuram, atque eam, quam habet.

Hic hedonismus exaggeratus omni hodie quo potest modo sine freno et aggere, ubique divulgari et diffundi coeptus est, voce et scriptis, omni deposito pudore, revelans intima et maxime abscondita activitatis generativae inter coniuges secreta. Prout Summus Pontifex iam monuerat die 18 septembr. 1951 in sua ad patresfamilias e Gallia Romam advectos habita (A.A.S., 43 [1951] pg. 730-734), nunc denuo et gravissime monet, ut catholici ab hoc hedonismo et ab eius propagatione, ab eius scriptis et sermonibus abstineant eisque firmiter obstent.

**38.** Neque oblivioni dari debent verba gravissima, quibus Summus Pontifex sese opponit usitatae et multum sparsae non paucorum doctrinae: ad naturam cuiusque personae humanae, ad eius evolutionem atque perfectionem indispensabiliter requiri, ut proprius sexus ex altero sexu accipiat per activitatem generativam, perfecto vel imperfecto modo exercitam, quoddam « complementum »; quod si non fiat, hominem esse et manere semper gravi defectu psychico notatum. His generativae ac-

tivitatis et affectionis laudibus Summus Pontifex opponit sobriam veritatis realitatem, scil.: ad perfectionem personae humanae nullo modo requiri experientiam sive psychicam sive somaticam activitatis generativae, cum functio generativa (cum omnibus suis in anima et corpore additamentis) non sit data nisi ad determinatum huius vitae terrestris officium, idest ad prolis generationem et educationem. Quod officium non fore in statu termini, licet in eo perfectissima habeatur personae humanae et efformatio eiusque ex consortio cum aliis completio, dempta vero in utriusque sexus sanctis omni indolis et facultatis *typice generativae* qualitate et nota.

**39.** Posita admonitione, ut obstetrices hanc quoque sui apostolatus functionem, quae est in dignitate humana contra indignum hedonismum defendenda fideliter exerceant, Allocutio finitur brevissima quadam materiae tractatae recapitulatione et synopsi, cui adiicitur benedictio apostolica.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

## 16. Congregatio S. Officii

(AAS. XXXXIII [21 apr. 1951] p. 217)

### I

### DECRETUM

Supremae huic Sacrae Congregationi propositum est dubium:

« Utrum magna prostratio (*gonyklisia*), ubi in usum venerit in celebratione Missae Ritus Byzantini, facienda sit post Christi verba, in consecratione panis et vini pronunciata, aut tandem post prolatam « *Epiclesim* ».

E.mi ac Rev.mi Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi in Plenario Conventu Feriae IV, die 20 Decembris 1950 habito, audito Rev.morum Consultorum voto, respondendum censuerunt:

*Affirmative* ad I^am^ partem;

*Negative* ad II^am^.

Et Feria V subsequenti, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 12 Februarii 1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

## Annotationes

Prostratio de qua in hoc decreto agitur, ea est quae magna vocatur; quamquam ad eam faciendam nonnumquam genua flectuntur, minus recte tamen gonyclisia vocatur; verum nomen est « metanoia » magna; prostratio vero seu « metanoia » parva profundae inclinationi ritus latini similis est. Quaestio autem proposita non est utrum necne illius prostrationis usus inducendus sit vel retinendus sive tollendus, sed solum quo loco prostractio facienda sit, sicubi in usum venerit, ibique retineatur. Solutio igitur habet aliquid hypothetici, quoniam eos tantum ritus eaque loca spectat in quibus illa prostratio fiat; valet tamen etiam absolute, quatenus ad omnes eosdem ritus atque loca sine exceptione pertinet. Magna prostratio post prolatam epiclesim facienda in nullo ritu orientali, sive catholicorum sive dissidentium, rubrica qualibet vel lege praescribitur. Apud Russos dissidentes tantum *de facto* fieri solita est, eaque consuetudo saeculo XVIII orta esse videtur; eandem consuetudinem a quibusdam catholicis recentius admissam fuisse haec s. Officii interrogatio persuasum facit. Neque post dictam utramque verborum Christi sententiam praescribitur apud dissidentes prostratio quaelibet vel genuflexio, nisi quod in *Hieratico* graeco-byzantino, anno 1895 Constantinopoli edito, iubentur celebrans et diaconus post dicta verba institutionis ambo genuflexionem facere; apud Coptitas vero celebrans post utramque sententiam prostrationem minorem facere fertur. Apud Orientales catholicos pariter celebrans binas prostrationes minores vel genuflexiones facit, sive id in libris liturgicis agere iubetur — quod fit in Euchologio russo et in rutheno anno 1942 Romae edito —, sive non vel, quod in quibusdam locis fieri vel factum esse dicitur, omissis binis illis gestibus post utramque verborum Christi partem agendis, unam tantum magnam prostrationem

post recitatam anamnesim, quae est tamquam institutionisi conclusio, facit.

Porro magnae prostrationis epiclesim subsequentis significatio aliud esse non potest quam ipsius dominici corporis et sanguinis per consecrationem praesentis facti adoratio; sacrae enim actionis qua ea praesentia efficitur, seu operae a Spiritu Sancto in consecratione collatae reverentia, non gestibus eandem actionem subsequentibus, sed antecedentibus manifestanda esset. Adde eam reverentiam in ritu byzantino trina inclinatione a celebrante et a diacono altari ante epiclesim facienda iam significari. Ceterum ipsa illius prostrationis post epiclesim faciendae historia ac modus satis clare demonstrat mentem dissidentium qui eam in usum induxerunt, fuisse non donorum consecrationem, — Spiritus Sancti actionem — sed ipsa dona per epiclesim consecrata, id est corpus et sanguinem dominicum praesentia facta, adorare; ad reverendam sacram actionem satis fuisset parvam facere prostrationem.

His igitur de causis decrevit S. Congregatio S. Officii magnam prostrationem, ubi usurpatur, non post epiclesim sed post pronuntiatia Christi verba fieri debere. Utrum autem post utramque dominorum verborum partem, seu bis facienda sit, an semel tantum post secundam; utrum, si semel fit, post ipsa dominica verba agenda sit, an in fine anamneseos tantum, non definitur. Hic tamen locus ad illam prostrationem faciendam parum accommodatus apparet.

Vetaturne eodem decreto illam magnam prostrationem prorsus supprimi? Hoc explicite quidem in decreto non fit, sed implicite fieri videri potest. Nihilo minus nobis probabiliter existimari posse videtur S. Congregationem non exigere illam magnam prostrationem in iis ritibus quoque retineri, in quibus, secundum communem atque legitimum omnium catholicorum usum, prostratio minor vel genu flexio a celebrante post utramque partem

verborum Christi fit. Immo in hoc casu melius esse censuerimus, servato legitimo atque communi ritu, ritum certe illegitime contra praescriptum canonis 818 in usum inductum amandare.

Liceat denique omni homini catholico, nobilissimarum ecclesiarum catholicarum Orientis sincere amanti, ex animo gaudere quod novo S. Officii decreto, saltem implicite, improbatur nimia illa obsequentia et quasi anxia ecclesiarum dissidentium imitatio, qua fieret ut ecclesiae catholicae non iam suis sed alienis ritibus uti viderentur, cum in ritibus suis tutandis, instaurandis, perficiendis nihil facere vel omittere auderent, nisi ad exemplum dissidentium.

Ioannes Michael Hanssens S. I.

## II

## DECRETUM

### DE CONSECRATIONE EPISCOPI SINE CANONICA PROVISIONE

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, ex speciali facultate sibi a Summo Pontifice facta, hoc edidit decretum:

Episcopus, cuiusvis ritus vel dignitatis, aliquem, neque, ab Apostolica Sede nominatum neque ab Eadem expresse confirmatum, consecrans in Episcopum, et qui consecrationem recipit, etsi metu gravi coacti (c. 2229, § 3, 3°), incurrunt *ipso facto* in excommunicationem Apostolicae Sedi *specialissimo modo* reservatam.

Hoc decretum vim suam exeret ab ipso promulgationis die.

Datum ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Aprilis 1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

## 17. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXIII [2 iul. 1951] p. 477)

### NOTIFICATIO

Suprema Sacra Congregatio S. Officii, decreto feriae IV, diei 17 Ianuarii 1951, redegit ad statum laicalem Sacerdotem Michaelem Collin, a Congregatione Sacerdotum a S. Corde Iesu iam dimissum et per plures dioeceses pervagantem, qui saepe ac variis modis praescripta sacrorum canonum violaverat.

Associationem autem cui titulus « *Institut des Apôtres de l'Amour Infini — Opera degli Apostoli dell'Amore Infinito* » quam praedictus Sacerdos, absque approbatione competentis Auctoritatis Ecclesiasticae, condere praesumpserat, eadem Suprema S. Congregatio dissolvit atque vetuit rursus constitui.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 Maii 1951.

Marinus Marani, *Notarius.*

## 18. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXIII [11 aug. 1951] p. 561)

### I

### DECRETUM

*Feria IV, die 27 Iunii 1951*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR.

DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem Librorum Prohibitorum inserendam mandarunt dissertationem P. Leonis Seiller, O. F. M., in ephemeride « Franziskanische Studien » (Münster in Westf., 1948-49) editam, sub titulo « *La psychologie humaine du Christ et l'unicité de personne* ».

Et sequenti feria V, die 28 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Exc.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 12 Iulii 1951.

MARINUS MARANI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

## II

## DECRETUM

*Feria IV, die 18 Iulii 1951*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, examinatis actis et documentis quae spectant ad assertas visiones B. M. V. in vico Heroldsbach, archidioecesis Bambergensis, praehabito RR. DD. Consultorum voto, decreverunt: « Constare praedictas visiones non esse supernaturales; proindeque prohiberi relativum cultum in loco supradicto et alibi exhibitum; sacerdotes vero qui eidem illicito cultui in posterum interfuerint, incurrere ipso facto suspensionem a divinis ».

Et sequenti feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Exc.mo D.no Adsessori Sancti Officii im-

pertita, relatum Sibi E.morum Patrum decretum approbavit, confirmavit et publicandum iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 25 Iulii 1951.

MARINUS MARANI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

## 19. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXIII [18 Sept. 1951] p. 602)

### SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

P. Leo Seiller, O. F. M., humiliter se subiecit decreto S. Officii diei 12 Iulii 1951, quo damnata et in Indicem librorum prohibitorum inserta est dissertatio ab eo edita in ephemeride « Franziskanische Studien » (Münster, West., 1948-49), sub titulo « *La Psychologie humaine du Christ et l'unicité de personne* ».

Idem fecit « Directio » ephemeridis « Franziskanische Studien ».

Ex Aedibus S. Officii, die 30 Augusti 1951.

M. MARANI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

## 20. S. C. Consistorialis

(*AAS*, XXXXIII [31 mar. 1951] p. 173)

### DECLARATIO

Plures abhinc menses in Republica Cecoslovacha multis iisque inauditis modis in Ecclesiae iura invasum est et in ipsas ecclesiasticas personas inique est impetitum: Ordinarii etenim locorum a suis muneribus impediti sunt; eorum pastoralia iura usurpata; ipsa officia Curiarum seu Ordinariatuum necnon beneficia ecclesiastica intrusis qui-

busdam personis sunt collata, laicorum arbitrio sese dioecesium regimini immiscere praesumentium.

Multis insuper Clericis et Religiosis libertas adempta est; nonnulli Episcopi, impio ausu, ad iudicem laicum tracti et in vincula sunt coniecti.

Novissime autem Pragensis Metropolita Excellentissimus P. D. Iosephus Beran, iamdiu captivus in aedibus episcopalibus detentus et ab exercitio iurisdictionis penitus impeditus, nequissime deportatus est a sua Sede et Archidioecesi.

Contra patrantes huiuscemodi delicta plures extant Sacri Canones, quibus ii omnes excommunicatione, pro casuum varietate, simpliciter vel speciali modo Apostolicae Sedi reservata, ipso facto incurrenda, plectuntur:

*a*) qui ad iudicem laicum traxerint Episcopum (Can. 2341);

*b*) qui violentas manus in personam Archiepiscopi vel Episcopi iniecerint (Can. 2343 § 3);

*c*) qui directe vel indirecte impediverint exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (San. 2334 n. 2);

*d*) qui contra legitimas ecclesiasticas Auctoritates machinantur aut earum potestatem quomodocumque conantur subvertere (Decr. S. C. Concilii diei 29 Iunii 1950: A. A. S., Vol. XXXXII, anno 1950, pag. 601);

*e*) qui ecclesiasticum officium vel beneficium vel dignitatem sine institutione vel provisione canonica, ad normam Ss. Canonum facta, occupant vel in eadem sinunt illegitime immitti, vel eadem retinent (ibidem).

Proinde Sacra Congregatio Consistorialis declarat illos omnes, qui ad memorata delicta patranda vel physice vel moraliter concurrerint, aut eorundem participes ad normam (Can. 2209 §§ 1-3, fuerint, excommunicationes supra relatas incurrisse eisque subiectos permansuros donec ab Apostolica Sede absolutionem obtinuerint.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 17 Martii 1951.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
*a Secretis*

L. ✠ S.

I. Ferretto, *Adsessor.*

## 21. S. C. Consistorialis

(*AAS.* XXXIII [15 sept. 1951] p. 602

### I

### DECRETUM

CIRCA PRAESCRIPTA CANONUM 534 § 1 ET 1532 § 1 N. 2 C. I. C.

Cum mutata nummorum vis pecuniaeque nutatio alicubi peculiares difficultates induxerit in applicandis praescriptis Canonum 534 § 1 et 1532 § 1 N. 2 Codicis Iuris Canonici, expostulatum est a Sancta Sede et apta norma ediceretur.

Quapropter SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, re mature perpensa, hoc Sacrae Congregationis Consistorialis Decreto, benigne decernere dignatus est, ut perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis, ad eandem Sedem Apostolicam sit recurrendum quotiesquemque agatur de pecuniae summa quae decem millia francorum seu libellarum aureorum excedat.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregatoinis Consistorialis, die 13 Iulii 1951.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
*a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

## II

## DECLARATIO

Postremis hisce temporibus in Republica Romena multis iisque inauditis modis in Ecclesiam Catholicam impetitum est eiusque sacrosancta iura invasa. Insuper omnes sacrorum Antistites nedum a suis muneribus sunt impediti, sed et in vincula sacrilego ausu coniecti sunt; multis insuper clericis et religiosis libertas adempta est.

Novissime autem Excellentissimus P. D. Augustinus Pacha, Episcopus Timisoarensis, iamdiu captivus, nequissime ad iudicem laicum tractus atque iniquo iudicio subiectus est.

Quapropter haec Sacra Consistorialis Congregatio declarat eos omnes qui huiusmodi delicta patraverint, sive mandantes cuiuscumque generis et gradus, sive complices quos praefata delicta, sua natura, postulaverint sive illos qui ad delictorum consummationem induxerint vel in hanc quoquo modo concurrerint, si tamen sine eorum auxilio delictum non fuisset commissum, excommunicationem latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatam — ad tramitem canonum 2343 § 3, 2334 n. 2, 2341 et 2209 §§ 1-3 — contraxisse ceterasque poenas pro qualitate delinquentium incurrisse, ad normam Sacrorum Canonum Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 17 Septembris, anni 1951.

L. ✠ S.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
*a Secretis*

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

## 22. S. Congregatio Concilii

(*AAS.* XXXXIII [31 mar. 1951] p. 177)

### LUCERINA ET ALIARUM
MISSAE PRO EPISCOPO
*Die 11 Novembris 1950*

DUBIUM. — Huic Sacrae Congregationi Concilii propositum fuit dirimendum sequens dubium: « Utrum, de « Episcopi mandato, Capitulum diebus anniversariis elec- « tionis seu translationis et consecrationis eiusdem Epis- « copi teneatur tantum Missam solemnem celebrare, an « etiam eam pro Episcopo applicare ».

ANIMADVERSIONES. — *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, cap. 35 n. 1) statuit: « Singulis annis, in diebus « anniversariis electionis et consecrationis Episcopi Mis- « sam solemnem, vel per ipsum Episcopum, vel per ali- « quam dignitatem seu canonicum, ipso praesente, cele- « brari convenit ».

Quae convenientia, *accedente Episcopi mandato,* fit obligatio. Nam Sacra Rituum Congregatio ad dubium: « An Missa solemnis in anniversariis electionis et conse- « crationis Episcopi sit *praeceptiva* in Cathedralibus et « Collegiatis dioecesis, licet *Caeremoniale Episcoporum* « (lib. II, cap. 35 n. 1) solum dicat: « *celebrari convenit* », « die 14 Augusti 1858 in *Granaten.* N. 3078 respondit: « *Affirmative, accedente mandato Episcopi* ». Huius Missae obligatio confirmatur in ipsis Rubricis servandis ad normam Constitutionis Apostolicae *Divini afflatu* Pii Pp. X diei 1 Novembris 1911, tit. XII (*A. A. S.*, vol. III, pag. 649).

Missae vero, de qua agitur, celebrationem, secumferre et obligationem eandem pro Episcopo applicandi eruitur ex canone 825 n. 4 Codicis Iuris Canonici: « Numquam

« licet ... alteram recipere eleemosynam pro sola celebra-
« tione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi cer-
« to constet unam stipem oblatam esse pro celebratione
« sine applicatione ». Quae exceptio certo non exstat in casu: obligatio igitur Missam pro Episcopo applicandi logice continetur in ipsa obligatione celebrandi.

Quin immo, ne praesumi quidem potest Episcopum, Missae celebrationem praecipientem, ritum tantummodo exteriorem intendere et fructum Missae spiritualem excludere.

Quod confirmatur ex ipso *Caeremoniali Episcoporum*, quoad Missam pro Episcopo praedecessore defuncto, haec statuente: « Episcopus vivens, praedecessoris sui proxime
« ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro
« eius anima singulis annis in die obitus anniversarium
« celebrare, vel saltem Missae pro eius anima ab aliqua
« dignitate seu canonico celebrandae, praesens assistere
« et in fine absolvere » (lib. II, cap. 36 n. 1).

Quo in loco nullum dubium quin Missae celebratio pro anima defuncti Episcopi et applicationem secumferat.

Resolutio. — Proposito itaque ut supra dubio, in plenariis Comitiis die 11 Novembris 1950 habitis, E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quam resolutionem in Audientia diei 22 eiusdem mensis et anni Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp XII approbare et confirmare dignatus est.

Franciscus Roberti, *a secretis*

# NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

## E periodicis

China Missionary Bulletin, III (1951), n. 3 (mart.). — *Nos chrétiens isolés*, p. 212-217. — J. T. McGinn, C. S. P., *The Personality of the Instructor of Converts*, p. 118-224.

Collectanea Mechliniensia, 36 (1951), fasc. 3 (maii). — Ch. Moeller, *En marge du quinzième centenaire du concile de Chalcédoine*, p. 211-221. — A. F. Peeters, *De priester in de parochie van morgen*, p. 222-232; — Fasc. 6 (nov.) — J. Leclercq, *Comment enseigner la morale chrétienne en notre temps?* p. 560-568.

Ecclesiastica Xaveriana, Vol. I (1951). — Alberto Camplioo, *Instituciones de utilidad comun*, p. 91-137. — Leopoldo Uprimmy, *El proceso administrativo de separación de lecho, mesa e y habitación*, p. 138-156.

Nederlandse Katholieke Stemmen, XLVII (1951), fasc. 4 (apr.). — A. Smeets O. F. M., *Het Religieuzencongres. Indrukken en Kanttekeningen*, p. 103-110. — Fasc. 9-10 (sept.-oct.). — J. J. M. van der Ven, *De godsdienstige vorming der leken*, p. 269-276. — L. C. Baas, *Vragen rondom de katholieke Aktie*, p. 276-287. — H. Boelaars, *Enkele vragen omtrent het ieiwnium eucharisticum*, p. 288-297. — Fasc. 11 (nov.). — H. Manders, *Kalenderhervorming*, p. 334-340.

Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht, II (1951), fasc. 1 — L. Adamovich, *Das Grundrecht der Glaubens- und Gewissensfreiheit*, p. 3-22. — F. Arnold, *Aktuelle Probleme der Kirchlichen Vermögensverwaltung*, p. 22-31. — J. Trümmer, *Mystisches im alten Kirchenrecht. Die geistliche Ehe zwischen Bischof und Diözese*, p. 62-75. — Fasc. 2 (nov.). — Josef Bohatec, *Ursprung der Kirchenhoheitstheorie*, p. 169-183. — Rudolf Köstler, *Eherechtsreform ohne Kulturkampf*, p. 183-193. — Erwin Melichar, *Das schiedsrechterliche Verfahren im kanonischen Recht*, p. 193-222.

Recherches de Science religieuse, XXXVIII (1951), num. 1 (ian. - mart.). — Joseph Lecler, *Les origines et le sens de la formule: Cuius regio, eius religio*, p. 119-131. — XXXIX (1951-1952). — *Mélanges Jules Lebreton*, I 480 pag. (34 articuli de Antiquitate, Scriptura sacra, Originibus christianis et Patristica).

Revista Ecclesiastica Brasileira, Vol. 11, fasc. 3. — L. Castagnola, *A filosofia da religiao e a metafisica classica na soluçao do problema da vida e do mal*, p. 614-634.

Rivista del clero italiano, XXII (1951), fasc. IV (apr.). — L. Oldani, *Questioni morali: Il « Rotary Club »*, p. 140. — A. Gemelli O. F. M., *Il problema della formazione nel periodo dell'adolescenza*, p. 141-149. — Fasc. 12 (dic.) — L. Oldani, *Casi di morale*: 1. *L'iniziazione sessuale*. 2. *Comunioni generali ed assoluzioni collettive*, p. 489-491. — F. Tonolo, *Problemi di pastorale liturgica: I. La messa dei giovani*, p. 492-494.

# S. Romana Rota

## Tabulae synopticae causarum anni 1950

### I

*Causae iudicatae*

A - De matrimonio

| Causae | Aff. | Neg. | Iud. |
|---|---|---|---|
| Nullitatis | | | |
| Ob amentiam mulieris | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei | 1 | 1 | 2 |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum prolis et impotentiam viri | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum sacramenti | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum prolis | 5 | 22 | 27 |
| Ob exclusum bonum prolis et appositam condicionem | | 1 | 1 |
| Ob exclusum bonum prolis et simulatum consensum | 1 | 1 | 2 |
| Ob exclusum bonum prolis et bonum sacramenti | 4 | 4 | 8 |
| (Dispensatio super rato) | | (1) | (1) |
| Ob exclusum bonum sacramenti | 1 | 4 | 5 |
| Ob exclusum bonum sacramenti et simulationem totalem | | 1 | 1 |
| Ob clandestinitatem | | 2 | 2 |
| Ob condicionem appositam | 1 | 9 | 10 |
| Ob simulatum consensum | | 4 | 4 |
| (Dispensatio super rato) | | (1) | (1) |
| Ob simulatum consensum et appositam condicionem | | 1 | 1 |
| Ob impedimentum criminis | | 1 | 1 |
| Ob invaliditatem dispensationis | | 1 | 1 |
| Ob invalidtatem dispensationis et alimentorum | 1 | | 1 |
| Ob defectum formae | 2 | 1 | 3 |

| Causae | Aff. | Neg. | Iud. |
|---|---|---|---|
| Ob impotentiam mulieris | | | |
| (Dispensatio super rato) | (1) | (2) | (3) |
| Ob impotentiam viri | 7 | 9 | 16 |
| (Dispensatio super rato) | (5) | (1) | (6) |
| Ob impotentiam utriusque coniugis | | 1 | 1 |
| (Dispensatio super rato) | | (1) | (1) |
| Ob simulationem totalem | | 1 | 1 |
| Ob vim et metum | 13 | 33 | 46 |
| (Dispensatio super rato) | (1) | (2) | (3) |
| Ob vim et metum et exclusum bonum prolis | | 1 | 1 |
| Ob vim et metum et exclusum bonum sacramenti | 1 | 2 | 3 |
| Ob vim et metum et igeneratam substantiam sacramenti | 1 | | 1 |
| Ob vim et metum et simulatum consensum | 1 | 2 | 3 |
| Ob causam non iudicatam | 1 | | 1 |
| (Dispensatio super rato) | (1) | | (1) |
| Separationis | | | |
| Incidentis | 1 | | 1 |
| | 41 | 108 | 149 |
| | (8) | (3) | (16) |

B - De aliis argumentis

Causae 3: crediti, damnorum, iurium.

N. B. - Ex his 149 causis 50 peractae sunt cum gratuito patrocinio.

II

*Causae quae eodem anno 1950 transactae fuerunt, vel absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.*

A - De matrimonio

| Causae | |
|---|---|
| **Nullitatis** | |
| Ob amentiam mulieris | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum prolis | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et appositam condicionem | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei, condicionem appositam, defectum consensus et impotentiam mulieris | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et simulationem totalem | 1 |
| Ob exclusum bonum prolis | 6 |
| Ob exclusum bonum prolis et bonum sacramenti | 3 |
| Ob exclusum bonum prolis et bonum sacramenti et simulationem totalem | 1 |
| Ob exclusum bonum sacramenti | 3 |
| Ob condicionem appositam | 12 |
| Ob defectum consensum | 2 |
| Ob simulatum consensum | 1 |
| Ob nullitatem dispensationis, nullitatem exsecutionis rescripti dispensationis et ignorantiam matrimonii naturam | 1 |
| Ob defectum formae | 1 |
| Ob impotentiam mulieris | 2 |
| Ob vim et metum | 20 |
| Ob vim et metum et exclusum bonum fidei et bonum prolis | 1 |
| Ob vim et metum et exclusum bonum prolis | 2 |
| Ob vim et metum et appositam condicionem | 1 |
| Ob causam non indicatam (Dispensatio super rato) | 1 |
| Incidentis | 2 |
| Reiectionis libelli | 2 |
| Separationis | 1 |
| | 68 |

B - De aliis argumentis

Causae 3: iurium 2, restitutionis in integro 1.

# INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

P. Petrus M. Abellan S. I. Prof. Theol. Moral. in P. U. Gregoriana.

P. Felix Asensio S. I. Prof. S. Scripturae in P. U. Gregoriana

P. Dr. L. Bender O. P. Prof. Iur. Can. in P. A. Angelico

P. E. Bergh S. I. Prof. Theol. Moral.

P. Gulielmus Bertrams S. I. Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

P. Michael Fábregas S. I. Prof. Theol. Moral. in P. U. Gregoriana.

P. Michael Hanssens S. I. Prof. Inst. Liturg. in P. U. Gregoriana

R. P. Franciscus X. Hetch. S. A. C.

P. Franciscus Hürtz S. I. Prof. Theol. Moral. in P. U. Gregoriana.

R. P. Nicolaus Onstenk M. C. I.

P. Andreas Snoeck S. I. Prof. Theol. Dogm.

P. Hermanus Schmidt S. I. Prof. Liturg. in P. U. Gregoriana.

R.mus D. Dinus Staffa Auditor S. Romanae Rotae.

# INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM


pag.

*Lex orandi lex credendi in recentioribus documentis pontificiis,* H. SCHMIDT S. I. . . . . 5

*Accomodata renovatio legislationis canonicae communis relate ad status perfectionis,* E. BERGH S. I. . . . . 29

*Annotationes ad Const. Apost. « Sponsa Christi »,* P. M. ABELLÁN S. I. . . . . 78

*Annotationes ad Decretum S. Officii super clericis nomen dantibus « Rotary club »,* F. HÜRTH S. I. . . . . 111

*Annotationes ad Instructionem Com. Pont. de Re Biblica super Scriptura Sacra in Seminariis recte docenda,* F. ASENSIO S. I. . . . . 136

*Annotationes ad Decretum S. C. Rituum de solemni vigilia paschali instauranda,* H. SCHMIDT S. I. . . . . 145

*De delectatione morosa uti est peccatum internum,* A. SNOECK S. I. . . . . 167

*De Const. « Circa Pastoralis super clausura monialium et tertiariarum,* M. ONSTENCK M. C. I. . . . . 210

*De duobus malis minus est eligendum.* P. L. BENDER O. P. 256

*De manus extensione in ordinatione diaconali,* F. X. HETCH S. A. C. . . . . 265

*Annotationes in Allocutionem Pontificiam ad membra conventus generalis religiosorum ad finem Anni Sancti habiti,* M. FÁBREGAS S. I. . . . . 285

*Annotationes ad epistolam S. C. De Religiosis ad Legatos R. Pontificis.* P. ABELLÁN S. I. . . . . 298

*De iure et eius exercitio relate ad bonum prolis. D. Staffa Auditor S. R. Rotae* . . . . . 305

*De natura iuridica fori interni Ecclesiae,* W. BERTRAMS S. I. 307

*Annotationes ad Allocutiones a R. Pontifice habitas ad obstetrices « Unione Cattolica Italiana Ostetriche » et ad « Fronte della Famiglia »,* F. HÜRTH S. I. . . . 402

*Annotationes ad Decretum S. Officii super « gonyclisiae »* usu, M. HANSSENS S. I. . . . . 434

# INDEX MONUMENTORUM


*pag.*

SS. D. N. PIUS PP. XII

Constitutio Apostolica de sacro monialium instituto promovendo . . . . . 40
Allocutio ad membra Conventus generalis religiosorum Romae habiti . . . . . 271
Allocutio ad membra Conventus « Unione Cattolica Italiana Ostetriche » . . . . . 341
Allocutio ad membra Connventus « Fronte della Famiglia » . . . . . 396

S. Congregatio S. Officii

Decretum de clericis nomen dantibus « Rotary Club » 111
Decretum super « gonyclisiae » usu . . . . . 433
Decretum de consecratione Episcopi sine canonica provisione . . . . . 436
Notificatio redactionis ad statum laicalem sacerdotis M. C. . . . . 437
Decretum damnans librum « La psychologie humaine du Christ et l'unicité de personne » . . . . . 437
Decretum de assertis visionibus B. M. V. in vico Herolsdbach . . . . . 438
Notificatio submissionis P. L. S. . . . . 439

S. Congregatio Consistorialis

Declaratio de poenis incursis in Republica Cecoslovacha a patrantibus canonica delicta in Ecclesiam eiusque ministros . . . . . 439
Decretum circa praescriptum canonum I. C. 534 § 1 et 1532 § 1 n. 2 . . . . . 441
Declaratio de poenis quas incurrerunt in Republica Romena patrantes determinata delicta . . . . 441

pag.

S. Congregatio Concilii

Solvitur dubium propositum circa applicationem Missae pro Episcopo . . . . . 443

S. Congregatio Religiosorum

Textus epistolae ad Legatos Romani Pontificis . . . 299

S. Songregatio Rituum

Decretum de solemni vigilia paschali instauranda . . 143

S. Congregatio de Seminariis et Universitatibus

Instructio de Scriptura Sacra in seminariis et religiosorum collegiis recte docenda . . . . . 121

Sacra Romana Rota

Romana (N. 4385) coram R. P. Dino Staffa, Ponente . 291
Tabulae synopticae causarum anni 1950 . . . . . 445

ACTA SUMMATIM RELATA . . . . . 150

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE . . . . . 163 et 448

INDICES GENERALES . . . . . 451

# INDEX ALPHABETICUS RERUM

(Numeri indicant paginas tomi)

*Abnegatio* unum iter ad perfectionem, 281.
*Abusus* principii « lex orandi lex credendi », 17.
*Abortus*, 412.
*Abstinentia* coniugalis possibilis est, 374.
*Adnotationes* ad novam legislationem pro monialibus, 78.
*Appetitus* sexualis non est authonomus, 389.
*Apostolatus* obstetricum catholicarum, 345, 403.
*Associationes* « Rotary Club » et clerici, 111.
*Auctoritas* publica et insontis occisio, 410.
*Authonomia* monasteriorum monialium, 55.

*Baptismus* infantis in periculo mortis consulendus, 359.
*Bonum* prolis, 371.
*Bonum* publicum iustificat limitationem iuris privati, 309.
*Bona* secundaria actionis generativae, 385.

*Caritatis* excellentia, 280.
*Castitatis* functio, 430.
*Causa* diminutionis candidatorum ad statum religiosum, 287.
*Causae* iuridicae occultae spectant ad forum internum, 339.
*Clausura* Monialium, 54.
*Clerici* ut clerici non sunt in statu perfectionis, 286.
*Christianae* vitae perfectio, 57.
*Congregationes* non tertiariarum et « Sponsa Christi », 233.
*Coniuges* non debent temperantiae fines transire, 388.
*Consilia* ad docendam S. Scripturam, 131.
*Criterium* distinctionis inter forum internum et externum, 311.

*Desiderium* internum, 170.
*Distinctio* inter ius et usum relate ad actus vere coniugales, 293.
*Documenta* pontificia de relatione inter fidem et liturgiam, 6.
*Documenta* nova circa Institutum Monialium, 298.
*Dotes* quibus obstetrices praestare debent, 347.

*Elementa* propria vitae contemplativae Monialium, 51.
*Episcopus* consecrari nequit sine canonica provisione, 436.

*Efficacia* potestatis iurisdictionis fori interni, 322.
*Excellentia* muneris obstetricum, 342.
*Exegetica* expositio S. Scripturae quo pacto facienda, 141.
*Exemptio* Religionum non repugnat E. Constitutioni, 285.

*Fidei* patrimonium labentibus annis non variatur, 281.
*Finis* studiorum rerum biblicarum, 141.
*Forum* internum et externum ad eundem ordinem iur. pertinent, 320.
*Forum* internum forum conscientiae, 332.
*Fundamentum* novum in quo perfectionem condere autumant, 277.

*Gaudii* natura, 172.
*Gonyklysiae* usus, 433.
*Gradus academici ad Scripturam docendam*, 138.

*Hedonismus* in vita coniugali, 390, 414.
*Historica* synopsis originis et fastorum Institutorum Sanctimonialium, 45.

*Imaginatio* et memoria in peccatis internis, 177.
*Insontis* vita est inviolabilis, 351.
*Instrumenta* quibus apostolatus Monialium praecipue utitur, 58.
*Interni* actus stricte dicti, 168.
*Ius* subiectivum quid sit, 292.

*Labor* in monasteriis Monialium, 56.
*Laici* et « Rotary Club », 114.
*Larem* in biologicam oficinam convertere, nefas est, 383.
*Liturgia* evolvenda sarta tectaque doctrinae catholicae integritate, 24.
*Liturgica* studia, necessaria, 16.

*Mala* e bello profluentia quae familiam invadunt, 397.
*Materia* et forma in ordinatione sacerdotali et diaconali, 265.
*Matris* et prolis vita servanda est, 411.
*Matrimonii* validitas si usus iuris coniugalis excludatur, 291.
*Matrimonium* institutum est ut vitae serviat, 397.
*Monialium* vitam Ecclesia, sua disciplina, fovet et defendit, 42.
*Moralitas* actuum internorum et praecipue imaginationis, 192.
*Mysticam* Christo virginum consecrationem, Ecclesia, a suis primordiis ordinavit, 42.

*Natura* iuris publici et privati ecclesiastici, 307.
*Necessitas* absoluta graviditatem vitandi, 421.
*Nova* proles magni fiat et ametur, 357.

*Oblatio* Sacrificii Eucharistici secum ferat oblationem fidelium, 14.
*Obiectum* contractus matrimonialis, 384.
*Obligatio* perfectionis christianae in clericis et in religiosis, 274.
*Obligationes* non imponuntur in foro interno sed solvuntur, 315.
*Obligationes* tertiariis impositae in Const. « Circa Pastoralis », 211.
*Occisio directa*, 405.
*Omnis* homo etiam infans in utero matris ius inviolabile ad vitam habet 349.
*Onanismus coniugalis*, 414.
*Opera* externa et vita interna in religiosis, 288.
*Operositas* et vita intima pari gradu procedere debent, 279.
*Ordinum* Contemplativorum necessitas in Ecclesia, 280.
*Ordo* finium seu valorum in matrimonio, 380.
*Ordo* servandus ex voluntate Creatoris in ortu novae vitae humanae, 423.
*Ortus* et conflatio « Existentialismi » non casu evenit, 279.

*Peccatum* internum, 167.
*Periodi* agenesici mulieris et moralitas actus coniugalis, 366.
*Poenae* declarantur in quosdam Reipublicae Cecoslovachae, 439.
*Poenae* in quosdam delinquentes in Republica Rumena, 442.
*Primaria* lex de intima coniugum consuetudine, 363.
*Privilegia* tertiariis Hispaniae concessa, 221.

*Quaedam* notae psychologiae moralis, 175.

*Ratio* docendi rem biblicam, 125.
*Rationes* ad ineundum statum religiosum, 277.
*Rationes* propter quas S. Pontifex accomodationes inducere decrevit in Monialium Institutis, 32.
*Rectus* ordo finium matrimonii, 423.
*Relatio* inter valorem generativum et valores personales in matrimonio, 428.
*Relationes* inter forum internum et externum Ecclesiae, 313.
*Religiosi* cum suo tempore incaepta exaequare debent, 281.
*Regressus* et progressus Liturgiae solemnis vigiliae paschalis, 143.
*Renovatio* legislationis canonicae de statu perfectionis, 29.
« *Rotary Club* » quid in particulari fovet et colit, 114.

*Sensus* rubricarum in ordinatione diaconi, 267.
*Solemnia* vota monialium, 53.
*Somniatio* nocturna, 185.
*Statuta* generalia monialium in « Sponsa Christi », 54.
*Sterelizatio* directa et indirecta, 416.

*Sterelizatio* directa graviter infringit legem moralem, 365.
*Summa* historiae dispositionum S. S. circa « Rotary Club », 112.

*Theoriae* et argumenta falsa pro directa occisione infantis, 408.
*Tertiariae* sine tribus votis religiosis, 229.
*Tertiariae* non viventes in Congregatione, 231.

*Usus* matrimonii in diebus sterilitatis, 412.

*Vigilia* paschalis, 147.
*Visiones* B. M. V. in vico Herolsbach, 438.
*Vocatio* monialium plene totaque apostolica est, 57.
*Vocationem* religiosam habentem nemo dehortetur, 279.
*Votum* oboedientiae summi pretii in perfectione adquirenda, 277.